BLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
G
58
NAPOLI

XVII
G
58

SUMMA
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ Oraculis, Eccleſiæ Traditionibus, ac Decretis, SS. PP. & Theologorum ſententia, & rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA, Dogmata, Sacramenta, & præcepta breviter, & ſcholaſticè explicantur, & propugnantur ad mentem Doctoris Subtilis

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER, Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito, Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conſcripta.

TOMUS VII.

Tract. XII. De Sacramentis in genere, & XIII, de Baptiſmo, & Confirmatione, & Euchariſtia.

POST FATA RESURGO

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCXX.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA

Ad usum Dom. Rdi Pij Angeli à Grumo

Pertinet ad Conventum S. M.ae Carmeli S. Anselmi.

INDEX
DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM
HUJUS TOMI SEPTIMI,
De Sacramentis in genere.

TRACTATUS XII.
DISPUTATIO I.

D*E exiſtentia, quidditate, & numero Sacramentorum novæ legis.* 1
QUÆST. I. *An, & quid ſit Sacramentum.* 2
Q. II. *De numero Sacramentorum novæ legis.* 10
Q. III. *De neceſſitate Sacramentorum: An pro omni ſtatu fuerint neceſſaria. Et an in omnibus ſtatibus extiterint.* 15
Q. IV. *De materia, & forma Sacramentorum; An conſtent rebus, & verbis.* 30
Q. V. *A quo determinatæ ſint materia, & forma Sacramentorum, & quæ mu-*

mutatio in eis invalidet Sacramenta. 37

Q. VI. Quomodo verba, ſeu forma Sacramentorum proferri debeant, An concionatoriè, vel conſecratoriè. 45

DISPUTATIO II.

DE cauſis Sacramentorum. 48

Q. I. De cauſa effectiva, ſeu inſtitutiva Sacramentorum tam de facto, quàm de poſſibili. 49

Q. II. De cauſa miniſtrante: Qualis debeat eſſe miniſter Sacramenti. 56

Q. III. Quæ fides, & probitas requiratur in miniſtro Sacramenti. 60

Q. IV. An miniſter Sacramentorum debeat illa negare indignè petentibus. 68

Q. V. De intentione miniſtri in confectione, & adminiſtratione Sacramentorum, qualis eſſe debeat. 73

Q. VI. De unitate miniſtri, an plures ſimul poſſint conficere idem Sacramentum. 93

Q. VII. De errore miniſtri; Quinam error in miniſtro invalidet Sacramentum. 98

Q. VIII. De ſuſcipiente Sacramenta; Quis eſſe debeat; & quænam in eo requi-

quirantur. Et 1. de intentione. 102
Q. IX. *An Sacramentum poſſit eſſe validum, & informe: An operetur aliquid in eo, qui ſuſcipit illud ficte.* 110
Q. X. *Per quid tollatur obex. Quomodo, & quando ſacramentum preteritum operetur.* 121
Q. XI. *An liceat petere ſacramentum à miniſtro peccatore.* 127

DISPUTATIO III.

De effectibus, & cauſalitate Sacramentorum. 130
Q. I. *An omnia, & ſingula ſacramenta cauſent gratiam, & qualem.* 131
Q. II. *Quomodo Sacramenta cauſent gratiam. An phyſicè, an moraliter. An ut cauſæ principales, aut inſtrumentales. An per qualitatem inditam.* 143
Q. III. *An conferant gratiam ex opere operato, vel operantis.* 156
Q. IV. *An conferant omnibus gratias æquales.* 160
Q. V. *Quandonam ſacramenta cauſent gratiam.* 167
Q. VI. *De effectu minùs principali Sacramentorum, ſeu de charactere: An,*

& quid ſit character. 170
Q. VII. *De ſubjecto materiali, & formali characteris.* 182

DISPUTATIO IV.

De *ſacramentalibus, & caremoniis.* 184
Q. I. *An, quid; & à quo ſint ſacramentalia.* 185
Q. II. *De ſacris caremoniis.* 188

TRACTATUS XIII.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

DISPUTATIO I.

De *exiſtentia, & eſſentia Baptiſmi.* 193
Q. I. *An, & quid ſit ſacramentum Baptiſmi.* 194
Q. II. *De materia Baptiſmi.* 196
Q. III. *De forma Baptiſmi.* 205
Q. IV. *De unitate Baptiſmi; quotuplex ſit Baptiſmus. Et de Baptiſmo Joannis.* 213
Q. V. *De inſtitutione Baptiſmi; Quando contigerit, & cœperit eſſe de præ-*

cepto. 220

Q. VI. *De neceſſitate Baptiſmi; an, & quomodo, & quibus ſit neceſſarius.* 227

Q. VII. *An, & quomodo ſuppleri poſſit Baptiſmus in adultis, & pueris.* 233

DISPUTATIO II.

De miniſtro, & ſubjecto Baptiſmi. 242

Q. I. *Quis, & qualis ſit ſuſcipiens Baptiſmum.* ibid.

Q. II. *De diſpoſitionibus requiſitis ad ſuſcipiendum Baptiſmum, præcipuè in adultis.* 247

Q. III. *An diſpoſitio requiſita in adultis ad Baptiſmum debeat eſſe contritio perfecta.* 254

Q. IV. *An infantes infidelium poſſint baptizari invitis parentibus. Et an qui juſtificantur in utero matris, debeant baptizari poſt nativitatem.* 258

Q. V. *Quis ſit miniſter Baptiſmi.* 273

Q. VI. *An unus miniſter poſſit plures ſimul baptizare, An plures unum.* 271

DIS-

DISPUTATIO III.

DE effectibus, & caremoniis Baptiſmi. 276
Q. I. De principali effectu Baptiſmi, ſeu de gratia ſanctificante, ac remiſſione peccatorum. ibid.
Q. II. De aliis effectibus Baptiſmi, & de ejus charactere. 282
Q. III. De caremoniis Baptiſmi. 285

DISPUTATIO IV.

DE Sacramento Confirmationis. 288
Q. I. An, & quid ſit ſacramentum Confirmationis. ibid.
Q. II. A quo, & quando inſtituta ſit Confirmatio. 292
Q. III. De materia Confirmationis. 295
Q. IV. De forma Confirmationis. 301
Q. V. De miniſtro Confirmationis. 303
Q. VI. De ſubjecto Confirmationis. 309
Q. VII. De neceſſitate Confirmationis. 311
Q. VIII. De effectibus Confirmationis. 315

TRA-

TRACTATUS XIV.

De ſacramento Euchariſtia.

DISPUTATIO I.

DE exiſtentia, & eſſentia ſacramenti Euchariſtiæ. 320

Q. I. An, & quid ſit Euchariſtia ſacramentum. 321

Q. II. Quænam ſit ratio eſſentialis hujus ſacramenti. 325

Q. III. De unitate ſacramenti hujus: An ſit unum, vel multiplex in ſe. 335

Q. IV. De neceſſitate, vel congruitate Euchariſtiæ. 344

Q. V. Quandonam inſtitutum fuerit hoc ſacramentum. An potuerit inſtitui ante naturalem exiſtentiam Chriſti per Incarnationem, prout facta eſt. An Adamo non peccante inſtituendum foret. 350

DISPUTATIO II.

DE materia, & forma Euchariſtiæ. 358

Q. I. *Quæ ſit materia remota Euchariſtiæ.* ibid.

Q. II. *An mixtio aquæ in calice ſit de neceſſitate ſacramenti; & an aqua illa convertatur immediate in vinum priuſquam in ſanguinem.* 367

Q. III. *An conſecratio ſub utraque ſpecie ſit de neceſſitate ſacramenti, & de conditionibus requiſitis ex parte materiæ ad conſecrationem.* 374

Q. IV. *De forma conſecrationis Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis.* 381

Q. V. *De forma conſecrationis calicis.* 390

Q. VI. *An verba conſecrationis dicantur hiſtorice, ſeu materialiter, & ſignificativè,* 395

Q. VII. *Quomodo ſumantur, & quid ſignificent verba formæ conſecrationis, & maxime pronomina HOC, & HIC.* 399

Q. VIII. *An verba conſecrationis ſint eadem cum illis, quibus Chriſtus conſecravit.* 509

DIS-

DISPUTATIO III.

De effectu conſecrationis, ſeu de tranſubſtantiatione Euchariſtiæ. 414

Q. I. An per verba conſecrationis corpus, & ſanguis Chriſti vere, & realiter ponantur in ſacramento Euchariſtiæ. 415

Q. II. An corpus, & ſanguis Chriſti ſint realiter in Euchariſtia per veram converſionem ſubſtantiæ panis, & vini, ſeu per veram tranſubſtantiationem. 425

Q. III. An tranſubſtantiatio panis, & vini ſit proprie illorum annihilatio. 335

Q. IV. De actione tranſubſtantiativa, & termino ejus.

Q. V. De ipſa præſentia Chriſti ſub ſpeciebus; Quid illa ſit, & in quo conſiſtat. 450

Q. VI. An totus Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus ſecundum totam humanitatem, & divinitatem. 461

Q. VII. Quid, & quomodo Chriſtus poſſit agere, & pati in Euchariſtia. 470

Q. VIII. An, & a quo præſentia Chriſti in hoc ſacramento cognoſci poſſit. 482

Q. IX.

Q. IX. *De Chriſti deſitione in hoc ſacramento; Quomodo ibi deſinat eſſe.* 486

DISPUTATIO IV.

DE *accidentibus, ſeu ſpeciebus Eucharisticis.* 492

Q. I. *An omnia accidentia Euchariſtica ſint ibi ſine ſubjecto; & quomodo ibi exiſtant.* ibid.

Q. II. *Quid accidentia illa poſſint ibi agere, & pati.* 398

Q. III. *An, & quæ mutationes fieri poſſint in accidentibus illis manente ſacramento.* 404

DISPUTATIO V.

DE *effectibus Euchariſtiæ.* 506

Q. I. *An ſacramentum Euchariſtiæ operetur gratiam, & qualem.* 507

Q. II. *De efficacia Euchariſtiæ contra peccata venialia, & mortalia; An aliquando poſſit delere mortalia.* 514

Q. III. *De aliis effectibus Euchariſtiæ.* 521

Q. IV. *Quandonam Euchariſtia cauſet effectus ſuos.* 522

DIS-

DISPUTATIO VI.

De cauſis miniſtrante, & conficiente, & ſuſcipiente. 529
Q. I. *Quiſnam conficere poſſit Euchariſtiam.* ibid.
Q. II. *De adminiſtrante Euchariſtiam.* 536
Q. III. *De ſuſcipiente Euchariſtiam, quis, & qualis eſſe debeat.* 531
Q. IV. *De diſpoſitionibus requiſitis ad licitam, & validam Euchariſtiæ receptionem.* 546

DISPUTATIO VII.

De Sacrificio Miſſæ. 556
Q. I. *De ratione ſacrificii, in quo conſiſtat.* ibid.
Q. II. *An Euchariſtiæ confectio, & ſumptio, ſeu an Miſſa habeat rationem ſacrificii.* 559
Q. III. *In quo conſiſtat ratio formalis ſacrificii Miſſæ.* 567
Q. IV. *Quale ſacrificium ſit Miſſa.* 576
Q. V. *An conſecratio corporis Chriſti ſub utraque ſpecie ſit de eſſentia hujus ſacrificii.* 580

Q. VI. *De valore, & fructu Sacrificii Miſſæ.* 584
Q. VII. *De ſtipendio Miſſæ: An liceat ſacerdoti accipere ſtipendium pro celebratione Miſſæ.* 592

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ TRACTATUS XII.

De Sacramentis in genere.

HIc ad fontes ſedebimus Salvatoris, ut in eis cum gaudio ſalutares aquas gratiarum inde ſcaturientes hauriamus. Dico Sacramenta, quæ ſunt perennes aquarum fontes, quos in Eccleſia nobis aperuit divinus Salvator; ſive potiùs rivuli ex illo inhexauſto bonorum omnium fonte perenniter fluunt.

DISPUTATIO PRIMA.

De eſſentia, exiſtentia, & numero Sacramentorum novæ legis.

EXaminamus 1. naturam, cauſas, & effectus, & proprietates Sacramentis omnibus communes, antequam ad ſingula deſcendamus; & id poſtulat doctrinarum ordo, ut ab univerſalibus ad particularia, à generibus ad ſpecies, & ab his ad ſingularia procedatur.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit Sacramentum.

OMitto varias nominis ſacramenti ſignificationes ſive in Scriptura, ſive apud homines, ut cùm dicitur de juramento, vel de myſterio, vel de ſecreto; nobis ſufficiat, quòd hic ſumitur latè pro ſigno ſenſibili aliquo rei ſacræ, & maximè rei inviſibilis, & quidem practico.

Signum autem ex Auguſtino (1) eſt id, *quod præter ſui ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*: Et aliud eſt *naturale*, quod independenter ab hominum arbitrio aliquid aliud repræſentat, ut fumus ignem: Aliud *arbitrarium*, ſeu *ad placitum*, quod non repræſentat aliud, niſi ex humana inſtitutione; quippe de ſe nullam habet ſimilitudinem, aut relationem ad ſignificatum, ut vox *homo*. Rurſus aliud eſt *ſpeculativum*, quod nullam prorſus habet efficientiam circa ſignificatum; aliud *practicum*, quod efficit id, quod repræſentat, aut ſaltem habet aliquam efficientiam circa illud ſive phyſicam, ſive moralem.

Sacramenti ergo nomen hìc, & deinceps uſurpabimus pro ſigno ſacro, per quod ſignificatur interna, & inviſibilis aliqua conſecratio, & ſanctificatio. Nec immorabor in aſtruendo ejus uſu contra hæreticos, qui volunt illud nomen à Theologis Scholaſticis noviter inventum; nec in aſtruenda talium ſignorum, ſeu ſacramentorum exiſtentia, quam nullus negare videtur, ſaltem pro nunc ſupponimus dari aliqua ſacramenta; & hoc fatentur omnes in ſuo ſenſu, quo explicant eſſentiam, & rationem ſacramenti; ſed de illorum eſſentia minimè conveniunt, nequidem hæretici inter ſe, nec perfectè ipſi Catholici, ſaltem in eorum definitione.

Non immoror etiam in illa quæſtione, an ſacramentum poſſit ſecundum exactas Logicæ leges propriè definiri: nam controverſia eſt inutilis, & de nomine definitionis propriæ, vel impropriæ: parum enim refert nobis, ac Theologis, quòd poſſit propriè defi-

[1] 2. *doct. chriſt.* 1.

definiri, modò poſſit ita explicari ejus natura, ut talis, qualis eſt, intelligatur: fatemur ſacramentum phyſicè ex multis conſtare, quæ pertinent ad diverſa prædicamenta, ſed quæ ex voluntate Dei inſtitutoris habent unitatem moralem, ſub qua poſſunt una oratione deſcribi, & hoc ſufficit nobis.

Omitto denique examen variarum definitionum, quæ tum ab hæreticis, tum à Theologis Orthodoxis afferuntur; nam modò noſtra bona ſit, & rectè explicet naturam veri ſacramenti, de quo hìc agimus, nihil aliud optamus. Qui de eſſentia ſacramenti non conveniunt, ut hæretici, non mirum quòd in ejus definitione diſcrepent, qui verò de re, & eſſentia conveniunt, ut omnes Catholici, non poſſunt contendere niſi de verbis; quæ contentio eſt grammaticalis, non theologica: ſemper tamen utendum verbis, & oratione, quantùm fieri poteſt, propriis ad explicandam eſſentiam rei definitæ.

CONCLUSIO.

S*Acramentum verum ſufficienter deſcribitur ſignum ſenſibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum efficaciter ſignificans ex inſtitutione divina, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*. Eſt Scoti, & Scotiſtarum expreſſis verbis. (1)

Prob. 1. quia hæc oratio ſufficienter explicat naturam ſacramenti, prout hìc ſumitur, & hoc per verum genus ejus, & propriam differentiam, ita ut conveniat omni, & tali ſacramento, & diſtinguat illud ab omni alio ſigno, quod non eſt ſacramentum; & hoc ſine ſuperfluitate, vel defectu, ut patebit diſcurrendo per ſingulas ejus particulas; ergo definitio illa eſt bona, & ſufficiens. Prob. ant. 1. dicitur *ſignum*, nam vere aliquid ſignificat, & præter ſui notitiam ingerit nobis cognitionem alterius rei. 2. *ſenſibile*, nam vere conſiſtit in rebus, quæ cadunt ſub ſenſum, ut aqua, & ablutio in baptiſmo, & res, & verba in ſingulis: & hæc habent rationem generis: nam per hæc convenit cum aliis ſignis, maximè cum ſenſibilibus. 3. *gratiam Dei ſignificans*, & per hoc jam differt ab aliis per ordinem ad ſuum ſignificatum, quod

[1] 4.*d*.1.*q*.2.*M*.9.

eſt gratia Dei interna, & inviſibilis, quam in anima ponit. 4. *vel effectum ejus gratuitum*, & hoc ponitur ad majorem explicationem illius ſignificati, & propter ſacramentum Euchariſtiæ, quod per ſe 1. non eſt ſignum gratiæ, ſed corporis Chriſti poſiti ſub ſigno, nempè ſpeciebus panis; corpus autem illud non eſt gratia formalis, & inhærens, & accidentalis, ſed ſubſtantialis, & ſubſiſtens. 5. *efficaciter ſignificans*, per quod diſtinguitur à ſignis ſpeculativis: nam ſacramentum operatur id, quod ſignificat; ut de ſingulis ſacramentis dicemus, nempe gratiam aliquam mediatè, ut Euchariſtia; vel immediatè, ut alia. 6. *ex inſtitutione divina*, & per hoc diſtinguitur tum à ſignis naturalibus; quia ſacramenta non habent naturalem connexionem cum ſuo ſignificato, ſc. gratia, ita ut ex ſe, & independenter à voluntate Dei cauſent ejus cognitionem, aut exiſtentiam; tum à ſignis arbitrariis humanis, quæ ex hominum voluntate, & arbitrio ſignificant. Nam ſignificatio ſacramenti pendet à ſola Dei voluntate. 7. denique *ad ſalutem hominis viatoris ordinatum*, per quod deſignatur cauſa finalis ejus: nam in remedium animarum inſtituta ſunt ſacramenta, ut ſanatæ à peccatorum vulneribus, & maculis perveniant ad ſalutem. Sunt enim *fontes aquæ* (ſeu gratiæ) *ſalientis in vitam æternam*; ergo hæc definitio ſufficienter explicat naturam hujus ſacramenti per verum ejus genus, & differentiam.

Prob. jam per partes 1. quòd ſit ſignum, & quidem formaliter 1. ex Patribus: nam inquit Dionyſ. (1) *Senſibilia ſacramenta ſimulacra ſunt inviſibilium, ad quæ manu ducunt, atque viam ſternunt*. Et Auguſtinus: [2] *Signa, cùm ad res divinas pertinent, dicuntur ſacramenta*. Et Bernardus: [3] *Appropinquans paſſioni Dominus de gratia ſua inveſtiri curavit ſuos, ut inviſibilis gratiæ ſigno aliquo viſibili præparetur; ad hoc autem inſtituta ſunt ſacramenta*; ergo ſacramenta ſunt ſigna.

Prob. 2. ex Scriptura. [4] Nam circumciſio dicitur *ſignum fœderis*: & Apoſtolus, [5] *Signum accepit circumciſionis*: & baptiſmum dicit ſignum ſepulturæ Chri-

[1] *Hiera.cœl.2.* [2] *Ep.5.* [3] *Marcel.ſerm.1.& 2.*
[4] *Gen.17.* [5] *Rom. 4. & 6.*

Chriſti: *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte eius baptizati ſumus*.

Confir. ex Concil. Florent. & Trident. [1] in quibus ſacramenta noſtra dicuntur ſigna gratiæ dandę per Chriſtum.

Prob. 2. p. de ſignis ſenſibilibus 1. quia Scriptura, & PP. & Concilia citata loquuntur de ſignis ſenſibilibus; ergo ſacramentum eſt ſignum ſenſibile.

Prob. 2. quia per ſacramenta homines conveniunt in unitatem religionis & Eccleſiæ viſibilis, ſeu in unum corpus viſibile, & morale; ergo & ipſa debent eſſe ſenſibilia. Prob. conſ. ex Auguſtino, [2] *In nullum nomen religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari poſſunt homines, niſi aliquo ſacramentorum, vel ſignorum viſibilium conſortio colligentur*. & S. Gregorius: [3] *Quia ab inviſibilibus per viſibilia cecidimus, dignum eſt, ut in inviſibilia ipſis rurſum viſibilibus invehamur, ut quo caſu anima venit ad infima, eo gradu revertatur ad ſumma, atque iiſdem, quibus corruit, paſſibus reſurgat*.

Confir. Nam remedia peccati debent applicari ea ratione, qua ipſum contractum eſt; ſed peccatum ordinariè per ſenſus introducitur in animam; ergo & remedia peccatorum debent per eoſdem adhiberi. Et de facto id patet de ſingulis, ut dicemus: nam ſingula conſtant ſignis externis, & ſenſibilibus, ſc. rebus, & verbis; ergo &c.

Prob. 3. pars: *Gratiam Dei efficaciter ſignificans*, 1. ex Scriptura, & Patribus, ut de ſingulis dicemus in particulari, gratiam aliquo modo cauſant: per baptiſmum regeneramur ſpiritualiter per gratiam, [4] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*. Undę Auguſt. miratur: *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* ſc. per ablutionem externam operatur internam ablutionem à peccato.

Prob. 2. Nam per *ſignum rei ſacræ*, quod eſt ſacramentum, in eo diſtinguitur ab aliis ſignis rerum ſacrarum, quæ non ſunt ſacramenta, quod illud conferat ſanctitatem internam: ergo ſacramentum debet ſignificare efficaciter gratiam Dei, ſeu illam operari aliquo modo, & eſſe ſignum ejus practicum.

[1] *ſeſſ.7.& 6.* [2] 19. *con. Fauſt.* 11.
[3] 19. *con.Fauſt.6.mor.*8. [4] *Joan.*3.

Prob. ant. nam ex omnium conſenſu in lege veteri ſacrificia, & cæremoniæ plurimæ, & oblationes ſignificabant quidem ſanctificationem aliquam externam, & legalem; ſed quia non conferebant internam, non dicuntur ſacramenta; ergo niſi baptiſmus, & cætera Sacramenta ſignificarent efficaciter gratiam internam, non dicerentur ſacramenta. Prob. ant. nam ſerpens æneus erat ſignum rei ſacræ, non tamen erat ſacramentum, quia non conferebat ullam gratiam; ergo &c.

Confir. ex SS. PP. Nam inquit S. Iſidorus, [1] *Sacramentum eſt, per quod ſub tegumento rerum viſibilium divina virtus ſecretiùs ſalutem operatur*; & hanc definitionem ſacramenti Gratianus tribuit S. Gregorio, & S. Thomas [2] D. Auguſtino. Sic etiam definit ſacramentum Hugo Victor, & Magiſter ſententiarum, & Catechiſmus Pii Quinti; ſed Dei virtus non ſic operatur ſalutem per ſacramentum, niſi quatenùs operatur gratiam ſanctificantem; ergo &c.

Prob. 3. ex dicendis de cauſalitate ſacramentorum in communi, & in particulari: nam omnia ſignificant, & operantur gratiam ſanctificantem; ergo &c.

Confir. Nam niſi hoc requiratur ad eſſentiam, & rationem formalem ſacramenti, cæremonię omnes veteris teſtamenti, & alia, quæ ibi fiebant, fuiſſent vera ſacramenta; ſignificabant enim, imò pleraque conferebant juſtitiam externam, ſeu legalem; & purificationes, & alia figurabant noſtra ſacramenta: Agnus Paſchalis, & manna Euchariſtiam; aqua, & tranſitus maris baptiſmum: ſerpens æneus paſſionem Chriſti, &c. (3) Denique *omnia in figuris contingebant eis, & lex tota fuit figura futurorum, & omnes baptizati ſunt in nube, & omnes mare tranſierunt*. Idem eſt de ſacrificiis, & oblationibus, quæ omnia ſignificabant quidem gratiam per noſtra ſacramenta, & per ſacrificium Euchariſticum obtinendam, ſed ipſa non eam ſignificabant efficaciter, & practicè; ergo &c.

Dices ſufficere, quòd ſacramentum inſtituatur ad cultum religionis, & ſic ſignificet veram ſanctitatem.

Contra 1. Nam illæ cæremoniæ, & ſacrificia, & obla-

[1] *6. Etymol.* [2] *1. q. 1. c. multi 4. d.*
[3] *1. Cor. 2. Coloſſ. 2.*

oblationes idem ex inſtitutione præſtabant; ſed non ideò erant ſacramenta; ergo id non ſufficit ad rationem ſacramenti, ſed requiritur ut gratiam operetur.

Contra 2. Nam per hoc non ſalvantur definitiones Conciliorum de efficacia, & virtute ſacramentorum: volunt enim, quòd operentur gratiam internè, quam externè ſignificant; ergo &c.

Prob. 4. *de inſtitutione divina*; non enim ſunt ſigna naturalia gratiæ; ſigna illa externa non habent ex ſe connexionem naturalem cum illa gratia, quam ſignificant efficaciter, v. g. ablutio externa cum ſanctiſicatione interna, quæ eſt per gratiam ſupernaturalem; ergo non ſunt ſigna naturalia gratiæ, ſed ex inſtitutione; tum quia nulla creatura poteſt illis conferre talem virtutem; ergo ſolius Dei eſt hæc inſtitutio.

Fatendum tamen, quòd ſingula habent aliqualem ſimilitudinem externam, ſeu analogiam cum effectibus, quos internè operantur: v. g. baptiſmus confertur in aqua per externam cum verbis ſignificantibus internam animæ ablutionem, & ſic de aliis; quod docuit Auguſtinus, & patet ex mediis, quibus conferuntur.

Prob. denique de fide, quòd Sacramentum ſit *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*: non enim pro Angelis, nec pro iis, qui ſunt in termino ſalutis, aut damnationis; ergo pro ſolis viatoribus inſtituta ſunt ſacramenta.

Objic. 1. con. 1. p. Cauſa non dicitur ſignum ſui effectus; ſed ſacramentum eſt cauſa gratiæ; ergo non eſt ſignum ejus.

Reſp. 1. diſt. maj. aliqua cauſa, & maximè phyſica, conc. omnis cauſa, & maximè cauſa moralis, neg. maj. & conſ. nec enim video quomodo ratio ſigni repugnet rationi cauſæ, & præcipuè cauſæ morali reſpectu ſui effectus, quem moraliter cauſat, ut ſacramentum cauſat gratiam.

Objic. 2. Significatum ſigni ſenſibilis debet eſſe ſenſibile; ſed ſignificatum ſacramenti non eſt ſenſibile (eſt enim gratia ſpiritualis, & inſenſibilis) ergo ſacramentum non eſt ſignum ſenſibile, ſed potiùs id implicat in terminis. Prob. maj. Signum debet parere cognitionem ſignificati eidem potentiæ, cui eſt ſi-

gnum; nam præter id, quod ingerit ſenſibus, facit aliud cognoſci, nempe illimet ſenſui; ſicut ſignum intelligibile movet intellectum ad intellectionem alterius; ergo ſacramentum non poteſt eſſe ſignum ſenſibile gratiæ.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. & ult. conſ. & maximè pro ſignis ex inſtitutione, & ad placitum, qualia ſunt ſacramenta, & adhuc magis pro ſignis inſtitutis à Deo; voces ſunt ſigna ſenſibilia conceptuum mentis, qui per ſe non ſunt ſenſibiles. Unde non video cur Cardin. Laurea dicat illud argumentum difficile, quandoquidem iſtud exemplum eſt familiare.

Inſt. Ratio ſacramenti non poteſt conſiſtere in ente rationis; ſed ſignum ad placitum eſt ens rationis; ergo ſacramentum non eſt ſignum ad placitum. Prob. min. Nam ratio formalis ſigni conſiſtit in relatione rationis ad ſignificatum, & ad voluntatem inſtituentis; ergo dicit pro formali ens rationis.

Reſp. diſt. maj. & ant. prob. ente ut relatione rationis fingentis, con. maj. & neg. ant. rationis verè, & realiter operantis, neg. maj. & conſ. Nam licèt relatio ſigni ad inſtituentem, & ad ſignificatum dependeat à ratione, & voluntate divina inſtituente hæc ſigna realia ad ſignificandam, & cauſandam moraliter gratiam, & hoc ſenſu dicatur relatio, & ens rationis; tamen eſt verè aliquid reale, & reſultat inter extrema realia, & à parte rei, nullo fingente; de quo vide dicta in Logica de ratione ſigni conſtitutiva.

Objic. 3. Multa ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ, quæ non ſunt ſacramenta; ergo per hoc non benè definitur ſacramentum; nam bona definitio non debet convenire aliis à definito. Prob. ant. Paſſio Chriſti, apparitio linguarum ſuper Apoſtolos, martyrium, & ſimilia ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ, & non ſunt ſacramenta; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. non debet convenire aliis quoad differentiam eſſentialem, quæ eſt pars definitionis, conc. quoad particulam genericam, neg. ant. imò per iſtam debet definitio convenire aliis à definito, ſicut animal commune eſt bruto, & homini; ſicut ratio ſigni ſenſibilis gratiæ convenit ſacramento, & ſacrificiis, & paſſioni Chriſti.

Objic. 4.

Objic.4. Hæc tota definitio convenit ſacrificiis; ſed hæc non ſunt ſacramenta; ergo definitio non eſt propria ſoli ſacramento. Prob. maj. nam ſacrificia ſunt ſigna ſenſibilia, & gratiam efficiunt, & plurima ſunt à Deo inſtituta: ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nec enim ſunt primariò, & principaliter inſtituta ad cauſandam gratiam interiùs ſanctificantem, ut ſacramenta, ſed vel ad proteſtationem cultus, vel dependentiæ in Deum, vel ad purificationem aliquam legalem, & externam: vel ſi cauſant aliquam gratiam, id faciunt impetratoriè, vel meritoriè, & ex opere operantis, ut dicetur.

Objic. 5. Eſſentia matrimonii conſiſtit in conſenſu mutuo contrahentium; ſed ille conſenſus non eſt quid ſenſibile, ſed actus internus voluntatis; ergo &c. Idem eſt de Euchariſtia; nam conſiſtit in corporis Chriſti ſumptione; corpus autem illud non eſt quid ſenſibile; ergo de ratione ſacramenti non eſt eſſe ſenſibile ſignum.

Reſp. diſt. ant. quod utramque partem, eſt conſenſus ſenſibiliter expreſſus, & corpus Chriſti ſub ſpeciebus ſenſibilibus panis, conc. purè inſenſibiliter, neg. ant. Nam ad matrimonium requiritur conſenſus externè ſignificatus verbis, aut ſignis; & cum Euchariſtia corpus Chriſti ſumitur ſub ſpeciebus ſenſibilibus panis, & ipſa ſumptio eſt ſenſibilis. Idem eſt de contritione, quæ non eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, niſi ut ſignificata per confeſſionem, & alia ſigna externa, ſicut & ipſa abſolutio ſacramentalis.

Dixi autem in concluſione, *ſufficienter deſcribitur*, ut abſtineam ab inutili controverſia de rigore definitionis: nam, ut iam monui, ſufficit nobis, quòd ſacramenti natura ſatis exactè, & clarè explicetur.

Collige autem ex dictis, quòd ad verum ſacramentum requiruntur illæ conditiones. 1. ut *ſit ſignum ſenſibile*. 2. ut *gratiam immediatè ſignificet, & operetur*, ut ſex ſacramenta legis novæ, vel *mediatè*, ut ſacramentum Euchariſtiæ, quod immediatè operatur, & continet corpus Chriſti. 3. ut *ſit à Deo inſtitutum ad hanc ſignificationem*; nam neque à natura, neq; ab ulla voluntate creata poteſt habere virtutem ſignificandi, vel cauſandi gratiam ſupernaturalem;

Quæres, *an hæc deſcriptio conveniat omnibus veris ſacramentis tam novæ legis, quàm Moſaicæ, aut naturalis, ſi quæ in eis legibus extiterint.*

Reſp. affirmativè: nam ſi quæ in illis antiquis legibus extiterunt, quæ ſignificarent efficaciter gratiam ſanctificantem, ut circumciſio pro infantibus, in his omnibus conveniebant cum noſtris, etiam univoce, cum aliqua tamen analogia, ut videbimus.

CONCLUSIO II.

D*Antur aliqua de facto hujuſmodi ſacramenta, maximè in Eccleſia, imò & aliqua fuerunt in lege Moyſis, & naturæ.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Supponendum tanquam certum, quòd per circumciſionem peccatum originale delebatur; quod patet per auctoritatem ſanctorum; & ad hoc eſt ratio congrua; quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum ſine remedio neceſſario ad ſalutem;* ergo circumciſio ex Scoto habuit rationem veri ſacramenti, prout deſcripſimus illud; ſed circumciſio viguit ſub lege naturæ per 400. annos ante legem ſcriptam, & ſub hac etiam lege; ergo in utroque ſtatu fuerunt aliqua ſacramenta.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus apud Scotum: (2) *Ex quo eſt inſtituta circumciſio in populo Dei hujus peccati veteris valebat magnis, & parvis, ſicut baptiſmus* &c. Et Beda: (3) *Idem ſalutiferæ curationis auxilium circumciſio in lege agebat, quod baptiſmus tempore gratiæ agere conſuevit;* ergo ſicut baptiſmus in lege gratiæ eſt ſacramentum; ita & circumciſio in illis legibus. De hoc magis infra, ubi de circumciſione, & neceſſitate ſacramentorum.

Non immoror in probanda exiſtentia ſacramenti in Eccleſia, ſeu in lege gratiæ, ut jam monui.

QUÆSTIO II.

De numero Sacramentorum novæ legis.

D*Ico novæ legis;* nam de ſacramentis aliorum ſtatuum nihil ad nos: diximus, quòd aliqua in illis extiterunt; quænam autem illa fuerint, parum juvat.

CON-

[1] *4.d.1.q.6.Art.2.& 13.* [2] *2.de nupt.* [3] *Luc.2.*

CONCLUSIO.

S*Acramenta noſtra ſunt numero ſeptem, & non plura, nec pauciora: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Ordo, Matrimonium, & Extrema unctio.* Eſt de fide contra hæreticos Lutherum, & Calviniſtas; nam ille agnoſcit modo tria, baptiſmum, pœnitentiam, & panem; modo unicum, & tria ſigna ſacramentalia: iſti etiam modo tria, baptiſmum, cenam, & manuum impoſitionem; modo duo, baptiſmum, & cœnam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Congruum fuit ſeptem adjutoria conferri obſervatoribus legis Euangelicæ, in quibus eſſet perfectio non tantùm intenſiva, ſed etiam extenſiva, & ſufficiens ad omnia neceſſaria pro obſervantia hujus legis: hæc autem ſunt, ut dicit Magiſter in littera, Baptiſmus pertinens ad generationem ſpiritualem, Euchariſtia neceſſaria ad nutritionem, Confirmatio ad roborationem, Pœnitentia ad lapſi reparationem, Extrema unctio ad finalem præparationem, Matrimonium ad multiplicationem in eſſe naturæ, vel carnali, & Ordo ad multiplicationem in eſſe gratiæ, vel ſpirituali.* Vides & numerum, & rationem, ſeu congruentiam numeri.

Prob. 2. ex Scriptura, qua conſtat hæc ſingula, & non plura fuiſſe inſtituta à Deo cum promiſſione gratiæ, ut de ſingulis dicetur, cum de illis agemus in particulari: nullum enim eſt, de quo non conſtet ex Scriptura, & de nullo alio id conſtat.

Prob. 3. ex Conciliis Florentino in Decreto Eugenii, & Tridentino, [2] in quibus hæc enumerantur, & determinantur definitive: *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non fuiſſe a Domino J. C. inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quam ſeptem, ſc. Baptiſmum &c. aut aliquod horum non eſſe vere, & proprie ſacramentum, anathema ſit.*

Prob. 4. Nam ſicut non poſſet de hoc numero determinato dari ratio à priori, cum hoc dependeret ex mero Dei arbitrio, plura ſc. aut pauciora inſtituere; tamen aliquæ ſolent afferri congruentiæ, quas ha-

[1] *d.3.q.1.C.n.3.& 4.*
[2] *ſſ.7. can. 1.*

bemus apud Theologos. Inter alias eſt iſta: quia tot debuerunt inſtitui ſacramenta ut cauſæ gratiæ, quot indigemus remediis pro vita ſpirituali; ſed hæc ſunt præcipue ſeptem; ergo &c. Prob. min. Nam ſicut pro vita naturali requiritur generatio, nutritio, corroboratio, ſanitatis alteratæ reparatio, virium debilium inſtauratio, in communitatis regimine adminiſtratio, & generis propagatio; ſic in vita ſpirituali, & ſupernaturali per baptiſmum regeneramur; per confirmationem roboramur; per Euchariſtiam nutrimur; per pœnitentiam ſanamur; per extremam unctionem reliquiæ morbi pelluntur, & vires animæ reficiuntur; per ordines creantur magiſtratus ſpirituales; & per matrimonium propagationi generis providetur; ergo &c.

Prob. denique. Nam nullum poteſt aſſignari verum ſacramentum in Eccleſia præter iſta 7. nec ullum eſt ex iſtis 7. quod non ſit verum ſacramentum novæ legis; ergo tot ſunt, & non plura, aut pauciora.

Obiic. 1. pro hæreticis. In nullo Scripturæ Sacræ loco deſignatur hic numerus ſeptenarius ſacramentorum; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. 1. retorquendo argumentum: in nullo loco Scripturæ deſignatur numerus ternarius, vel binarius, quem aſſerunt hæretici; ergo male hic aſſeritur.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam ab auctoritate negativa non valet conſeq. alioqui dicerem, non eſſe quatuor Euangelia, quia nullibi hæc Scriptura dicit eſſe quatuor.

Reſp. 3. neg. ant. Nam licet Scriptura non faciat mentionem de ſingulis ſub nomine ſacramentorum; tamen ſingulis tribuit, quod ſignificent efficaciter gratiam internam, ut patebit, cum de ſingulis agemus. Imo, inquit ſanctus Hieronymus, *etiamſi Sacræ Scripturæ auctoritas non ſubeſſet, totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret*.

Obiic. 2. Septē Sacramenta figurantur per 7. capita beſtiæ,[1] qualis eſt Eccleſia Romana; ergo ſola beſtia tot ſacramenta agnoſcit, non autem vera Eccleſia.

Reſp. hanc objectionem dignam ſuo auctore, ſc. Kemnitio impio, & blaſphemo, qui audet ſacramenta Chriſti repræſentare per capita beſtiæ; melius

[1] *Apoc.* 17.

lius ea repræſentaſſet in 7. candelabris aureis.

Objic. 3. SS. PP. pauciora recenſent, & nunquam ſeptem; ergo &c. Prob.ant. S. Dionyſ. [1] numerat tantum quinque, & omittit unctionem, & matrimonium: S. Juſtinus [2] ſolum Baptiſma, & Euchariſtiam: S. Irenæus eadem: S. Cyprianus [3] Euchariſtiam, Chriſma, Pœnitentiam, & Ordinationem: S. Cyrillus Hieroſolymitanus meminit tãtum baptiſmi, Chriſmatis, & Euchariſtiæ. Idem eſt de S. Gregorio, ut refertur in Decreto cap. *multi ſæcularium*, Idem de S. Iſidoro: [4] Ambroſ. meminit tantum de Baptiſmo, Confirmatione, Euchariſtia: & S. Auguſtinus [5] dicit ſacramenta novę legis eſſe pauciſſima; ergo ex Patribus ſacramenta non ſunt ſeptem.

Reſp. neg. conſeq. 1.quia, ut dicebamus, ad præcedens anteced. iſtud eſt negativum. 2. Patres loquuntur in illis locis de aliquibus ſecundum occaſionem, non excludendo alia, de quibus non erat occaſio loquendi: v. g. Auguſtinus dicit, [6] *in Baptiſmo, Euchariſtia, & cæteris ſacramentis eſſe munera.* Duo numerat, ſed non excludit alia.

Inſt. Eccleſia Græca non agnoſcit niſi duo, Baptiſmum, & Euchariſtiam; ergo non ſunt plura, ſaltem neceſſario. Prob. ant. Nam Cyrillus Luparis Patriarcha Conſtantinopolitanus (7) in confeſſione fidei habet, *Credamus, Euangelica ſacramenta .... eſſe duo, nempe Baptiſmum, & Euchariſtiam; ampliorem numerum ſacramentorum non habemus;* ergo, &c.

Reſp. neg. 1. ant. & conſ. 2. Nam ille Cyrillus erravit in fide, & in hoc damnatus dicitur a ſuis ſucceſſoribus Cyrillo Beroita (8) anno 1638. & Parthenio 1642. Septenarium numerum admittunt alii plurimi Græci Præſules tum antiqui, tum moderni, tum Orthodoxi, tum Schiſmatici, ut notat P. Claudius Fraſſen. Unde notabis, quod in controverſiis inter Eccleſiam Græcam, & Latinam nunquam lis ulla mota eſt circa hunc numerum, nequidem in Conciliis, quibus ſunt adunati amborum Præſules. Imo in Concilio Florent. citato, in quo aderant Græci, & Armeni, numerus iſte definitus eſt anno 1439.

[1] *Hier.Eccl.* [2] *Apocal.*2. [3] *l.*1.*c.*9. *&* 13.
[4] 1.*q*.1. [5] 6.*&* 19.*de ſacram.*
[6] *Pſ.* 31. [7] *c.*15. [8] *d.*1.*a.q.*5.*n.*8.

Objic. 4. Ablutio pedum habuit omnes conditiones ſacramenti in lege nova · eſt 1. ſignum ſenſibile. 2. gratiam ſignificat, & operatur: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Unde S. Bernardus vocat eam *ſacramentum remiſſionis quotidianorum peccatorum*. 3. Inſtituitur, & præcipitur a Chriſto: *Exemplum dedi vobis* &c. Et, *Vos debetis alter alterius lavare pedes*; ergo habet omnes conditiones ſacramenti; ergo ſunt pluſquam 7. nam iſtud non continetur in aliis.

Reſp. neg. ant. non enim fuit inſtitutum, nec præcipitur ut ſacramentum neceſſarium ad ſalutem, ſed ut actus charitatis, & humilitatis; & per ablutionem illam a Chriſto exercitam in Apoſtolos notatur munditia requiſita ad receptionem Euchariſtiæ, ad quam eos præparabat: nam de Petro, & aliis præter Judam dixit, [1] *Vos mundi eſtis, ſed non omnes: Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*; ergo non ut ſanctificaret eos, adhibuit lotionem, ſed ut doceret, quanta cum puritate debeat ſumi Euchariſtia. Bernardus autem ſumit ſacramentum improprie, & large.

Obiic. 5. Singuli ordines ſunt vera ſacramenta; ſed illi ſunt 7. ergo ſunt ad minus 13. ſacramenta.

Reſp. neg. conſ. Nam illi ordines ſunt velut partes, aut ſpecies ſacramenti ordinis, quod eſt quaſi genus ad ſingulos.

Objic. 6. Eccleſia Chriſtiana eſt una a tempore Adami uſque ad finem mundi; ſed unitas Eccleſiæ notatur ex unitate ſacramentorum; ergo in Eccleſia Chriſtiana debent eſſe eadem ſacramenta, quæ in tota lege naturæ, & Moyſis, & non alia.

Reſp. diſt. min. unitate ſacramentorum quoad ſignificatum principale, & ſpirituale, & quoad caput, conc. quoad ſigna externa, neg. min. & conſ. Nam ad unitatem illam, quam Patres aſſerunt inter illas Eccleſias, ſufficit unitas capitis, & effectus, ac finis ſacramentorum.

[1] *Joan.* 13.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De neceſſitate Sacramentorum, an fuerint neceſſaria in omni ſtatu mundi.

Homines poſſunt conſiderari 1. in ſtatu innocentiæ, qui parum duravit, ſed potuit eſſe perpetuus; & ideo quæri poteſt, an in eo fuerint, vel futura eſſent aliquot ſacramenta. 2. in ſtatu legis naturæ, qui duravit ab ejectione Adæ extra paradiſum uſque ad legem datam Moyſi. 3. in ſtatu legis Moſaicæ uſque ad Chriſtum, & promulgationem Euangelii. & 4. a promulgatione iſta uſque ad finem mundi: & quærimus, an in his tribus poſterioribus ſtatibus fuerint vera ſacramenta, & quæ.

De præſenti ſtatu nihil reſtat dicendum, niſi an quæ habemus, ex neceſſitate aliqua data ſint. De aliis duobus non curo de omnibus, ſed tantum an aliqua fuerint in eis neceſſaria, & exiſtentia de facto.

Suppono autem diſtinctiones neceſſitatis *medii*, & *præcepti*; neceſſitatis *ſimpliciter*, & *ſecundum quid*, de quibus alias; & *neceſſitatis intrinſecæ*, quæ venit ex intima connexione medii cum fine, ita ut iſte non poſſit ullo modo haberi ſine illo, & *extrinſecæ*, quæ non oritur ex natura rei, ſed ex ordinatione divina, vel humana: prior convenit cum neceſſitate *ſimpliciter*, & poſterior cum neceſſitate *ſecundum quid*.

Certum eſt autem, pro nullo ſtatu ſacramenta fuiſſe neceſſaria neceſſitate medii, nec intrinſeca, nec ſimpliciter. Nec enim Deo deerant alii modi ſalvandi homines in quolibet illorum ſtatuum; ſed vel ſunt neceſſaria extrinſece, & neceſſitate præcepti, aut ſecundum quid, ſc. ex ordnatione, ſeu voluntate Dei.

CONCLUSIO I.

In ſtatu innocentiæ nulla fuerunt de facto ſacramenta; ſed probabile eſt aliqua in eo futura, ſi duraſſet.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Nam pro quocumque ſtatu, in quo eſt morbus, neceſſaria eſt medicina; & pro quocum-*

[1] *d.1.q.3.6.n.7.*

cumque ſtatu, in quo eſt morbus, neceſſaria eſt medicina; & pro quotumque ſtatu viæ, maxime poſt lapſum, congruum eſt hominem manuduci ad inviſibilia per aliquod ſenſibile; ſed in omni ſtatu viæ, maxime poſt lapſum, morbus eſt in natura; ergo &c. *Ex hoc apparet, quod in ſtatu patriæ nullum congruit ſacramentum, quia tunc non indiget homo ſenſibilibus, ut cognoſcat intelligibilia pertinentia ad ſalutem ſuam, neque tunc indiget excitari ad quærendum pertinentia ad ſalutem ſuam .... pro ſtatu etiam innocentiæ non fuit congruum inſtitui ſacramentum, ſicut poſt lapſum, quia etſi tunc homo non potuit niſi ex ſenſibilibus cognoſcere intelligibilia; tamen nullum ſenſibile fuit neceſſarium tanquam conferens ad ſalutem, removendo aliquod impedimentum ſalutis* &c. ergo ex Scoto non fuit neceſſarium ſacramentum in ſtatu innocentiæ ut remedium; quia ibi non fuit infirmitas peccati, ſed potuit eſſe ob alios fines.

Prob. 2. 1. p. quia cum ille ſtatus prævideretur à Deo non duraturus, niſi per ſex circiter horas, fruſtra fuiſſent ibi data ſacramenta pro ullo uſu; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam, ut dicit Doctor, ſi duraſſet ille ſtatus, homo quidem non habuiſſet originale, & forte fuiſſet confirmatus in gratia, & ſic non indiguiſſet ſacramentis ad removendum ullum impedimentum ſalutis; ſed potuiſſet peccare venialiter ſaltem, & debuiſſet manuduci per ſenſibilia ad cognitionem intelligibilium, ſaltem connaturaliter.

Confir. Nam in illo ſtatu durante homines indiguiſſent multis gratiis, & debuiſſent adunari in unum corpus myſticum, & religioſum ad Dei cultum exteriorem per actus, & cæremonias ſenſibiles, & non vacuas, ſed efficaces ad gratiæ augmentum, & ad alia auxilia neceſſaria, & proportionata illi ſtatui; ergo & in eo ſtatu congrue Deus aliqua ſacramenta ſenſibilia dediſſet pro illis gratiis conferendis. Ant. patet tum ex dictis in tractatu de gratia, tùm ex Auguſtino ſupra cit. *Non enim homines in unum religionis nomen poſſunt adunari, niſi Sacramentorum conſortio colligentur*: & ut dicebamus ex Scoto, [1] debuiſſent ad intelligentiam ſpiritualium donorum, & myſteriorum per ſenſibilia manuduci: [2] *Si incor-*

po-

[1] 19. *con. Fauſt.* 11. [2] *hom.* 62. *Matt.*

poreus eſſes, (inquit Chryſoſt.) *incorporea dona tibi Deus dediſſet; ſed quoniam anima corpori conſerta eſt, in rebus ſenſibilibus intelligibilia tibi præbet*. Prob. autem conſ. Nam Deus ex congruitate providentiæ ſuæ vult, ut cognoſcat homo & ea, quibus eget, & media, per quæ debet ea accipere, & quibus eadem largitur Deus; ſed homo propter unionem cum corpore non facile percipit ſpiritualia, niſi per ſenſibilia, qualia dicimus ſacramenta; ergo &c.

Confir. 2. Nam de facto Deus pro Adamo jam inſtituerat ſacramentum matrimonii, quod dicitur *magnum Sacramentum in Chriſto*, *& Eccleſia*; quia præter auxilia, & gratias, quas conferebat, figurabat etiam matrimonium ſpirituale, ac myſticum Chriſti cum Eccleſia.

Prob. 2. Nam ex dictis aliàs ex Scoto, [1] ſi ſtatus hic duraſſet, filii Adæ non fuiſſent confirmati in gratia, niſi poſt ſuperatam primam tentationem; & ante confirmationem poterant peccare, ut peccavit ipſe Adam; ergo congruebat Deo ipſis providere aliquod ſacramentum, cujus intuitu obtinerent gratias præſervativas, & roborativas, & etiam reparativas, caſu quo peccaſſent.

Confir. Nam, excepta remiſſione originalis, & remedio contra illud, omnia alia motiva adſunt ad inſtituenda ſacramenta in ſtatu innocentiæ, quæ habemus pro ſtatu naturæ lapſæ; ſed ex multis aliis motivis egemus ſacramentis in hoc ſtatu præter remedium peccati originalis; ergo &c. Prob. maj. Motiva alia præter remiſſionem peccati ſunt gratiæ augmentum, unitas in Dei cultu, & religione, ordo in miniſterio ſupernaturali, auxilia, vel remedia contra tentationes, & lapſus, exercitatio, & illuminatio ad intelligentiam inviſibilium per ſenſibilia; ſed hæc omnia, excepto peccati originalis remedio, congruebant ſtatui innocentiæ, ſi duraſſet; ergo &c.

Confir. Nam, ſuppoſito decreto incarnationis independenter à præviſione peccati, Chriſtus fuiſſet caput hominum in eo ſtatu, & ſic influxiſſet in eos gratias omnes ſanitatis; ſed hoc congruenter non potuiſſet facere, niſi per ſigna ſenſibilia, ſeu per ſacramenta; ergo &c.

Dixi

[1] 2.*d*.20.*q*.1.*B*.*n*.3.

Dixi autem *probabiliter*; nam cum hoc dependeret à Dei voluntate, & arbitrio, nec fuiſſet in eo ſtatu principalis neceſſitas, quæ adeſt poſt lapſum, nihil certum poteſt determinari, ſed conjici ex puris congruentiis.

Objic. contra 1. p. In illo ſtatu de facto fuit matrimonium per vos, & fuit eadem ratio, quæ adducitur, ſi duraſſet; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. pro 1. p. & ant. prob. 2. Nam matrimonium ibi potuit eſſe in ratione contractus indiſſolubilis, & quidem pro futuro potius, quam pro præſenti ſtatu illo, qui tam parum duraturus erat; & ob eandem rationem non aderant alia motiva, quæ adduximus pro 2. p.

Objic. contra 2. p. Durante innocentia non fuiſſent morbi; ergo nec ſacramenta, quæ ſunt remedia. Prob. ant. non fuiſſet peccatum originale, nec concupiſcentia, imo nec alia peccata; quia filii Adæ fuiſſent ſtatim confirmati in gratia; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. non fuiſſent morbi ex peccato originali, conc. ex conditione naturæ, neg. ant. fuiſſent debilitates naturæ, & indigentiæ gratiarum. Similiter diſt. conſ. nec ſacramenta ut medicinæ peccati originalis incurſi, conc. ut præſervativa contra peccatum, neg. conſ. Nam in eo ſtatu fuiſſent neceſſariæ gratiæ actuales, & habituales præſervativæ, conſervativæ, roborativæ, & ob alia motiva, quæ mox allata ſunt.

Objic. 2. ex Scoto. [1] Sacramentum non eſt neceſſarium, niſi pro ſtatu, in quo eſt morbus; ſed non eſſet morbus peccati in ſtatu innocentiæ, ergo nec ſacramentum ibi fuiſſet.

Reſp. diſt. maj. non eſt neceſſarium ut remedium peccati originalis, conc. ob alios fines, neg. maj. & conſ. ſimiliter diſtincta min. nam in eo ſtatu non fuiſſet morbus peccati originalis, ſed aliorum peccatorum, ſaltem ante confirmationem in gratia: fuiſſent etiam aliæ indigentiæ ſacramentorum, ut diximus. *Non fuit neceſſarium in illo ſtatu ſicut poſt lapſum, nec ut dici poſſet propriè medicina*, inquit.

Objic. 3. Sacramenta non habent efficaciam, niſi ex paſſione, vel meritis Chriſti; ſed tunc non fuiſſet paſſio

[1] *Ibid.*

paſſio Chriſti, imo nec Chriſtus, ſc. niſi Adam peccaſſet; ergo nec ſacramentum.

Reſp. diſt. min. non fuiſſet Chiſtus paſſibilis, conc. non fuiſſet abſolutè, & capax meriti, neg. min. Nam conſtat ex dictis venturum fuiſſe Chriſtum Adamo non peccante ut ſanctificatorem, & glorificatorem; & ideo ex meritis ejus prævifis illa ſacramenta habuiſſent efficaciam, & ipſe verè fuiſſet caput hominum, ſicut eſt modo, & Angelorum; & opera ejus non fuiſſent minoris valoris, quàm in carne paſſibili.

Objic. 4. cum P. Fraſſen. Sacramenta ſunt neceſſaria vel in remedium peccati, vel ad animam perficiendam; ſed ſtante innocentia non erant ſic neceſſaria; ergo &c. Prob. min. 1. non in remedium, quia erat ſtatus innocentiæ excludens peccatum. 2. non ad perficiendam aliter animam; ergo &c. Ant. patet quoad 1. p. prob. quoad 2. Nam illa perfectio conſiſteret vel in accipienda gratia, vel conſervanda, vel augenda; ſed nullum horum dici poteſt de ſtatu illo; ergo &c. Prob. min. non 1. quia Deus infundebat gratiam in ipſa creatione: non 2. quia in illo felici ſtatu nullus agitabatur tentationibus internis, vel externis, quibus potuiſſet amittere gratiam: non 3. quia magis conveniebat illi ſtatui, ut per media ſpiritualia augeret gratiam, quàm per corporalia, cum non dependiſſet à phantaſmatibus, vel ſenſibus; ergo &c.

Reſp. neg. 1. min. pro 2. p. & 2. & ant. 3. argum. quoad ſingula capita, & maximè quoad 2. & 3. conſ. prob. eorum: nam licet Deus potuiſſet infundere, conſervare, & augere gratiam ſine ſacramentis externis abſolute; tamen congruentius erat, ut ſaltem conſervaret, & augeret per media quædam externa, & propter alias rationes allatas ſupra.

Ipſe auctor fatetur, [1] quod ex hypotheſi, quòd Chriſtus veniſſet Adamo non peccante, fuiſſent inſtituenda ſacramenta, quibus inſtituendis peccatum non fuit occaſio, & maximè Euchariſtia, quia eſt incarnationis extenſio, quam ſic communicat omnibus. 2. quia eſt præſtantiſſimum gloriæ futuræ pignus. 3. quia eſt perfectiſſimum ſacrificium laudis, & gratitudinis. 4. quia per eam perfectiori modo augetur gratia. Denique eſt ſummæ munus dilectionis ejus, quæ

[1] *pag. 27. n. 9.*

quæ non minor fuiſſet in illo ſtatu erga nos. Hoc autem nobis ſufficit ad intentum concluſionis.

CONCLUSIO II.

IN *ſtatu legis naturæ fuit neceſſarium aliquod ſacramentum, ſaltem pro remedio peccati originalis*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Nullo tempore dimiſit Deus cultores ſuos ſine remedio neceſſario ad ſalutem; ſed omni tempore poſt lapſum fuit neceſſaria ad ſalutem deletio peccati originalis; ergo &c. Et ſi potuit deleri in adultis per motum bonum intrinſecum, non tamen in parvulis; & hoc remedium debuit eſſe certum quoad applicationem, & quoad effectum, ut ſc. parentes de illo eſſent certi reſpectu infantium*.

Prob. 2. ex SS.Patribus. Nam inquit Auguſtinus: [2] *Non eſt credendum ante datam circumciſionem famulis Dei, quandoquidem inerat eis fides mediatoris, nullo ſacramento opitulatum eſſe parvulis ſuis, quamvis quid illud eſſet ex aliqua neceſſaria cauſa Sacra Scriptura tacere voluerit*. [3] Et S. Gregor. *Quod agit apud nos aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres pro parvulis ſola fides*, ſc. per aliquod ſignum ſenſibile applicata; alioqui enim non fuiſſet ſacramentum; & ſic de aliis.

Prob.2. ratione, quam inſinuat Innocentius III. [4] *Abſit enim, ut univerſi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipſis miſericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad ſalutem*; ergo ſicut Deus omnes etiam infantes vult ſalvare, illis providit in omni ſtatu media neceſſaria ad ſalutem; ergo & in ſtatu naturæ providit ſacramenta, & maxime pro parvulis, & remiſſione peccati originalis; nec de hoc dubitare licet.

Objic. 1. Non dedit Deus remedium pro morientibus in utero materno, licet innumeri ſic moriantur; ergo illa ratio non valet pro aliis magis, quam pro iſtis.

Reſp. neg. conſ. & ratio eſt, quia morientibus in ute-

[1] 4.*d*.1.*q*.7.*A n*.2. [2] 3.*cont. Jul*.19.
[3] 4.*mor*.2. [4] *c. majores de bap.*

utero non poteſt applicari remedium ullum humano modo.

Inſt. 1. Scriptura nihil dicit de ullo ſacramento ante inſtitutam, & præceptam circumciſionem; nam ante Auguſtinum nullus de hoc remedio locutus eſt: ergo gratis hoc dicitur de tali ſacramento ante circumciſionem. Prob. conſ. nam de pertinentibus ad fidem nihil ut certum aſſerendum eſt, niſi conſtet ex revelatione; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. aſſerendum, ut ex fide credendum, con. ut firmiter credendum, ut veritas certa ex conſenſu Eccleſiæ, Patrum, & Doctorum, neg. ant. hoc autem non puto eſſe articulum fidei, ſicut nec Cardin. de Laurea.

Reſp. 2. neg. abſolute ant. prob. nam, ut dicebamus ex Auguſtino, ſi Deus ex aliqua cauſa neceſſaria voluit Scripturam de hoc tacere, non minus verum eſt. Unde Apoſtolus [1] illa tempora vocat *tempora ignorantiæ, quæ propoſuit Deus*.

Inſt. 2. Auguſtinus [2] ipſe dicit, *aliquos eſſe parvulos, quos Deus ſalvare noluit, neque illis de remedio providere ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ*; ſed hoc dicit tam de illis, qui in ſtatu naturæ moriebantur, quam de iis, qui moriuntur in utero; nec major eſt ratio de illis, quam de iſtis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. de quo diximus alias, ſalvare noluit voluntate conſequente, con. voluntate antecedente, & quantum eſt ex ſe, neg. ant. nec enim id intendit Auguſtinus.

Objic. 2. Verum ſacramentum per nos debet eſſe 1. ſignum ſenſibile. 2. inſtitutum a Deo, & determinatum, & 3. effectivum gratiæ ex opere operato; ſed nullum horum dici poteſt de tali remedio in lege naturæ; ergo nullum in ea fuit verum ſacramentum. Prob. maj. 1. ex S. Greg. cit. *Quod facit apud nos aqua baptiſmi, faciebat fides pro parvulis*, quæ eſt actus internus: & alii Patres juſtificationem parvulorum tribuunt ſoli fidei parentum. 2. nullibi conſtat de inſtitutione talis illius ſigni, nec dicitur a nobis, nec ab ullo SS. Patrum, quale illud eſſet. 3. promiſſio gratiæ non poteſt eſſe determinata, niſi ſignum ipſum, per quod promittitur, & ad cujus applicationem

[1] *act. 17.* [2] *de bon. perſev. 12.*

nem confertur, ſit etiam determinatum; ſed hæc determinatio non conſtat; ergo nec promiſſio, nec efficacia illius ſigni.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. quoad 1. & 3. nam, ut dicebamus ex Auguſt. ſi Scriptura Sacra ex aliqua cauſa neceſſaria voluit hoc ſignum nos latere, fruſtra id quærimus, ſufficiat nobis ſcire, quod illud ſignum debuit eſſe actus externus proteſtationis fidei de mediatore, qui actus a parentibus pueri adhibebatur pro ſalute omnium, & per idem conſtat de inſtitutione. Ad Gregorium autem dicendum, quod illa fides oſtendebatur per aliquod ſignum ſenſibile, ut notat Scotus; alioqui non fuiſſet ſacramentum.

Igitur conveniunt omnes cum SS. Patribus, quod parvulis in lege naturæ Deus providerat de ſacramento, per quod remittebatur eis peccatum originale; & hoc fiebat per ſigna proteſtationis externæ; quæ fiebat per parentes puerorum, aut per conſanguineos, aut propinquos, vel tutores eorum, ſicut modo fit in baptiſmo, & antea in circumciſione defectu proprii miniſtri; & per illa ſigna delebatur peccatum originale ex opere operato, ut colligitur ex allatis verbis S. Gregorii.

Queres 1. *an in lege naturæ præter remedium illud contra originale fuerint alia Sacramenta proprie dicta.*

Reſp. non fuiſſe, bene vero aliqua improprie dicta.

Ratio 1. partis petitur ex conſenſu communi Patrum, & Theologorum, qui nullum aliud ſacramentum aſſignant pro remiſſione peccatorum, & cauſalitate gratiæ ſanctificantis præter illud: nam homo in tali ſtatu tenebatur propriis operibus ſibi procurare ſalutem ex auxiliis gratiæ divinæ, quæ illi non deerat.

Ratio 2. partis petitur ex eodem conſenſu, & adhuc magis ex Concilio Florentino, in quo docemur differentiam noſtrorum ſacramentorum ab antiquioribus conſiſtere in eo, quod antiquiora erant *vacua, & egena elementa*; noſtra autem *plena* ex abundantia gratiæ, quam ex ſe operantur; ergo illa non erant proprie ſacramenta.

Quæres 2. *qualis erat iſtorum neceſſitas, vel utilitas.*

Reſp. iſta fuiſſe neceſſaria ex præcepto ad reddendum debitum cultum externum: ſive, ut loquitur Alenſis, erant utilia ad humiliationem hominis, ad eru-

eruditionem, & exercitationem in religione erga Deum, ſc. eo modo, quo ſolent inſervire alia opera virtutum externa, quibus excitantur ad pietatem homines ad invicem in unam Eccleſiam, ſeu ſocietatem religioſam convenientes.

Quæres 3. *quid ſentiendum de matrimonio. An in ea lege fuerit verum ſacramentum.*

Reſp. ex dictis cum Scoto [1] fuiſſe ſacramentum, non tamen ita proprie, ſicut in lege nova. Ita etiam ſentit Alenſis poſt Hugonem.

CONCLUSIO III.

IN lege ſcripta, ſeu Moſaica fuit verum Sacramentum contra peccatum originale, & maxime circumciſio pro infantibus maſculis. Eſt communior contra Thomiſtas, & alios, qui putant, circumciſionem nonfuiſſe niſi ſignum diſtinctivum populi Iſraelitici, ex quo naſciturus erat Meſſias.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui ſupponit ut certum, quod *per circumciſionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates ſanctorum; & ad hoc eſt ratio congrua; quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum ſine remedio neceſſario ad ſalutem; fruſtra enim data eis fuiſſet lex illa ſine tali remedio;* ergo tempore legis Moſaicæ dedit aliquod tale remedium obſervantibus hujuſmodi legem, & illud remedium pro maſculis erat circumciſio; ſine qua non ſalvabantur, juxta illud: [3] *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa nonfuerit, delebitur anima ejus de populo meo.*

Prob. 2. ex Patribus citatis in præcedenti. Nam quoad neceſſitatem veri ſacramenti pro peccato originali ſub hac lege valet eadem ratio, quæ allata eſt pro lege naturæ: ſc. quia cum Deus velit omnes ſalvare, nullum reliquit ſine remedio neceſſario ad ſalutem conſequendam; ſed pro pueris nullum aliud potuit dari remedium præter aliquod ſacramentum, quo deleretur in eis peccatum originale; ergo &c. maj. patet ex D. Gregorio, ex Innocentio III. & Augu-

[1] *q.2.mem.2.ad* 1.
[2] *Ibid.q.6.A.2.*
[3] *Gen.* 17.

guſtino; [1] ſc. *Nunquam reliquit Deus genus humanum abſque ſalutis remedio*.

Prob. 2. p. 1. ex Scriptura cit. in qua præcipitur circumciſio ſub pœnam deletionis animæ, & excluſionis a paradiſo, nec enim tam ſtricte hoc præcepiſſet, & ſub tali pœna, niſi eam inſtituiſſet in remedium peccati originalis, per quod pueri excluduntur ex populo electo.

Prob. 2. ex Patribus. Nam inquit Gregorius: [2] *Quod apud nos valet aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres ... vel pro iis, qui de ſtirpe Abrahæ prodierunt, myſterium circumciſionis*: & Innocentius allata verba Geneſis, *Maſculus, cujus præputii caro*, &c. comparat cum verbis iſtis Chriſti, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ſc.] circumciſionem comparat cum baptiſmo quoad pueros maſculos, & addit: *Etſi originalis culpa remittebatur per circumciſionis myſterium*, &c.& Auguſtinus: [3] *Ex circumciſione carnis, quam populus accepit, conjicere poſſumus, quod valeat in parvulis baptiſmi ſacramentum .. nam præceptum eſt Abrahamo, ut omnem deinceps infantem maſculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat credere, ut ei deputaretur ad juſtitiam, niſi quia & ipſum per ſe ipſum ſacramentum multum valebat*, [4] quod pluries alibi docet, ſicut & alii, ut Proſper, Hugo Victor, Beda, &c.

Prob. denique ratione Scoti: quia Deus non reliquit hominem ſine remedio aliquo efficaci ad ſalutem neceſſario; ergo nec maſculos in lege ſcripta; ſed nullum aliud legimus in ea lege remedium inſtitutum, & determinatum a Deo pro maſculis præter circumciſionem; ergo hæc fuit verum Sacramentum, ſeu remedium pro peccato originali pro infantibus maſculis in lege ſcripta.

Dico, *pro maſculis*; nam pro fœminis, aut etiam pueris ante octavum diem, ſi periclitabantur, valebat remedium, ſeu Sacramentum legis naturæ.

Objic. 1. ex Scriptura: [5] *Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo*, ſc. Deo. [6] Et, *In lege nemo juſtificatur apud Deum*: & Sacramenta illius temporis vocat [7] *infirma, & egena elementa*: & ali-

[1] 4. *Mor.* 2. [2] *Cap. maj. de bapt.* [3] *Ibid.*
[4] 4. *bap.* 24. [5] *Rom.* 3. [6] *Gal.* 3. & 4. [7] *Coloſſ.* 4.

& alibi dicuntur *umbra futurorum bonorum*; ſed de ratione veri Sacramenti eſt, ut juſtificet, & cauſet gratiam; ergo in illo ſtatu nullum fuit verum Sacramentum, nequidem circumciſio.

Reſp. diſt. maj. hæc dicit de aliis Sacramentis, quàm de circumciſione, aut alio remedio contra originale, conc. abſolutè de omnibus, neg. maj. & conſ. In lege veteri alia erant Sacramenta impropria; & de illis ibi loquitur Apoſtolus, non autem de circumciſione parvulorum, vel de remedio peccati originalis pro fœminis, aut aliis pueris, antequam poſſent circumcidi.

Inſt. De ipſa circumciſione dicit, [1] *Quæ utilitas circumciſionis?* Et, *Circumciſio nihil eſt*, ſeu nihil valet: ergo tam de circumciſione loquitur, quàm de aliis Sacramentis legis veteris.

Reſp. diſt. conſ. de circumciſione poſt datam legem Euangelii, con. ante Euangelium, neg. conſ. nam eo tempore, quo hæc ſcribebat, ceſſarant vetera Sacramenta, quæ antea juvabant.

Inſt. Loquitur de circumciſione, prout diſtinguebat Judæos à Gentilibus, & pro tempore, quo oſtendebat, quòd *credita ſunt eis eloquia Dei*, ſeu promiſſiones; ſed hoc tempus erat ante legem Euangelii; ergo nulla ſolutio: prob. ant. dicit enim, *Quid amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? multum per omnem modum, quia credita ſunt illis eloquia Dei*; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam per id tantùm docet, quòd jam amplius nihil habet Judæus ſupra Græcos, & gentiles, niſi quòd ille habet notitiam veri Dei per ſcripturas veteris teſtamenti, non verò iſti.

Objic. 2. ex Conciliis: nam Florentinum docet, noſtra Sacramenta differre ab antiquis, (2) *quia hæc non cauſabant gratiam; ſed ſolùm per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra verò continent, & conferunt gratiam digne ſuſcipientibus*. [3] Et Triden. *Si quis dixerit, novæ legis Sacramenta non differre ab antiquis, niſi penes cæremonias*, &c. *anathema ſit*;

 Sed

[1] *Rom.* 3.
[2] *ſſ.ult. in decr. cerem.*
[3] *ſſ.7.can.2.*

Sed non differrent, niſi penes cæremonias, ſi antiqua conferrent gratiam æquè ac noſtra; ergo &c.

Reſp. 1. hoc argumentum nimis probare: nam premit ipſos adverſarios admittentes neceſſitatem, & exiſtentiam alicujus Sacramenti pro originali in parvulis, pro omnibus ſtatibus tam legis ſcriptæ, quàm naturæ.

Reſp. 2. Concilia illa loqui de Sacramentis antiquis in genere, non autem in particulari de circumciſione quoad pueros maſculos, nec de alio remedio pro infantibus contra peccatum originale; nos verò de circumciſione ſub hoc reſpectu hic loquimur, & ſub iſto non erat propriè Sacramentum ſolius legis, quia diù ante legem fuerat data Patriarchis, ſc. Abrahæ, & poſteris.

Objic. 3. Patres docent, circumciſionem ſolùm datam Abrahæ, & poſteris ejus in ſignum fœderis, & diſtinctionis eorum ab aliis nationibus; ſed hoc non pertinet ad rationem veri Sacramenti; ergo circumciſio non fuit verum Sacramentum: prob. ant. nam ait Ambroſ. [1] *Carnalis circumciſio membrum amputat, ſpiritualis verò peccatum*. Et Chryſoſt. docet, eam nihil ad juſtificationem profuiſſe: *Voluit Deus circumciſionem pro lege ſtatui, non quòd animæ ſalutem hæc perficeret, ſed ut hæc gratitudinis indicium quaſi ſignum, & ſigillum circumferrent Judæorum pueri, & ne liceret eis commiſceri gentium commixtionibus*, &c. quid clarius, ut doceat circumciſionem non fuiſſe Sacramentum gratiæ collativum, ſed indicium gratiæ acceptæ, & ſignum diſtinctivum populi hujus ab aliis? ita eſt de aliis Patribus.

Reſp. diſt. min. ad rationem Sacramenti ſub hoc reſpectu, con. ſub alio reſpectu, neg. min. Nam circumciſio prout Abrahamo præcepta eſt, & aliis adultis, erat ſignum fœderis, & diſtinctionis populi electi, ut ex eo naſceretur Chriſtus; ſed prout maſculis conferebatur, erat ſimul remedium peccati originalis: nam pro illis dictum erat, *Maſculus, cujus præputii caro*, &c. alioqui fruſtra id præceptum fuiſſet pro octavo die potiùs, quàm alio tempore tardiori, & quo robuſtiores fuiſſent ad ferendum dolorem inciſionis; & non diceretur, *Delebitur anima illa, ſed homo ille*.

Ad

[1] *cap.22.hom.27.Gen.*

Ad Patres autem patet, quòd plures loquuntur de circumciſione quoad illum finem de nota diſtinctionis, quæ fuit motivum primariæ inſtitutionis: alii comparant efficaciam ejus cum efficacia baptiſmi; & dicunt eam in comparatione hujus non facere ad ſalutem, quia hæc delebat quidem pueris originale, ſed non aperiebat paradiſum, & ſic non perficiebat illis ſalutem; ſicut baptiſmus. Hoc ſenſu dicit Ambroſ. quòd circumciſio ex primario fine operatur in carne ſignum fœderis, & baptiſmus per ſe tollit maculam peccati.

Eodem ſenſu loquitur Chryſoſtomus, ſc. quòd circumciſio ex prima ſui inſtitutione, & maximè in Abrahamo ad juſtitiam nihil conducebat: *Ipſe Patriarcha Abraham, priuſquam circumciſionem acciperet, juſtificatus eſt*, inquit: & quòd plures fuerunt juſti ſine illa. *Quid igitur ſuperbis ludere in circumciſione? diſce, quòd ante hanc fuerunt juſti multi*, &c. Denique multi videntur ſic debuiſſe loqui de circumciſione, ut humiliarent Judæos, ne de illa ſuperbirent, quaſi ex lege vim illam haberet; quippe illam habebat jam antea, ſc. à tempore ſuæ inſtitutionis in lege naturæ: nam in pueris idem operabatur; imo & in eadem lege pro adultis, & fœminis habebatur aliud remedium illius peccati.

Inſt. Si circumciſio fuiſſet verum Sacramentum, & neceſſarium ad remiſſionem originalis, non fuiſſet neglecta per 40. annos, quibus mortuus eſt populus in deſerto: nam cùm innumeri mortui eſſent ibi, *horum filii in locum Patrum ſucceſſerunt, & circumciſi ſunt à Joſue, quia, ſicut nati fuerant, in præputio erant*, [1] alioqui etiam peccaſſent parentes, qui non circumcidebant filios, & multi ex iſtis, qui in infantia mortui ſunt, fuiſſent damnati; ſed hoc dici non poteſt; ergo per aliud remedium ſalvabantur, quàm per circumciſionem; ergo hæc non erat in lege verum Sacramentum.

Reſp. neg. ult. conſ. Nam potuit Deus permittere hanc negligentiam in parentibus in pœnam pertinaciæ, ingratitudinis, & aliorum peccatorum, propter quæ & ipſi mortui ſunt in deſerto, ut prædixerat eis. [2] *Veſtra cadavera jacebunt in ſolitudine; filii*

[1] *Joſ. 5.* [2] *N. 14.*

veſtri erunt vagi in deſerto annis 40. & portabunt fornicationem veſtram, &c. Si autem mortui ſunt etiam ſine hoc remedio aliqui pueri, quid inde? ſic & moriuntur inter Chriſtianos plurimi ſine baptiſmo.

Objic. 3. Si Sacramenta legis antiquæ conferebant gratiam ut noſtra, fruſtra veniſſet Chriſtus; fruſtra inſtitueret nova; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c.

Reſp. neg. maj. tum quia antiqua non conferebant gratiam, niſi ex meritis Chriſti venturi, & ejus adventum figurabant; tum quia nova longè ampliores gratias conferunt.

Inſt. Vetera non aperiebant cœlum; ergo non erant vera Sacramenta, ſicut noſtra.

Reſp. neg. conſ. quia tunc nondum erat ſolutum pretium redemptionis, ideo nondum apertum erat cœlum, benè verò poſt mortem Chriſti; & ſic Sacramenta noſtra pleniorem habent gratiam, & effectum.

CONCLUSIO IV.

IN eadem lege ſcripta fuerunt alia plura Sacramenta, ſed non ejuſdem efficaciæ cum noſtris. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: *In illa lege fuerunt multa dicta impropriè Sacramenta, ſc. purgationes ab immunditiis contractis ſecundum legem... erant etiam ibi ſacramenta impropriè dicta alia ab iſtis, tamen plus accedentia ad perfectionem; cujuſmodi erant oblationes hoſtiarum... & de iſtis concedo, quòd non cauſabant gratiam tanquam ſigna efficacia reſpectu gratiæ eo modo, quo expoſitum eſt in definitione Sacramenti; ſed tamen in illis conferebatur gratia per modum meriti*, ſeu ex opere operantis; ergo in lege veteri erant alia Sacramenta præter circumciſionem, & illud aliud, quo delebatur originale.

Prob. 2. ex Conciliis Florentino, & Trident. cit. Nam ibi fruſtra fieret comparatio de novis ad vetera, ſi nulla fuiſſent, & quidem vera Sacramenta quantum ad efficientiam aliquam, non quidem gratiæ ſanctificantis primæ, aut ſecundæ ex opere operato, ſed ſaltem ex opere, & merito operantis.

Prob. 3. ex Patribus. Nam Auguſtinus dicit quòd

(1) quòd *prima Sacramenta, quæ obſervabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant adventus Chriſti ... & ſi antiqui juſti, qui ſacramentis illis intelligebant venturam revelationem fidei ... & pro illis omnia dura, & aſpera perpeti parati fuerunt:* & probat illos errare, & delirare, *qui putant, ſignis, ſacramentiſque mutatis, etiam res ipſas eſſe diverſas*, &c. ergo ex Auguſtino in lege veteri fuerunt vera Sacramenta, &c.

Prob. denique ex communi Theologorum conſenſu, qui in ea lege admittunt Sacramenta à noſtris quidem diverſa (2) quoad efficaciam, ſed tamen vera ſigna gratiæ per noſtra conferendæ; & aliquam ipſamet cauſabant ex fide, & merito ſuſcipientium.

Prob. 2. ex locis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quæ in præcedenti concluſione adduximus contra efficaciam circumciſionis: nam hęc omnia tam validè probant pro inefficacia aliorum Sacramentorum illius legis, quàm debiliter contra circumciſionem applicatam pro remedio originalis. *Sacramenta veteris legis ablata ſunt, quia impleta, & alia ſacramenta inſtituta virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, & numero pauciora*, ait Auguſt. cit.

Confir. ex loco mox cit. Auguſtini, ubi dicit, antiqua ſignificaſſe gratiam eandem, quam noſtra; ſed illa ut futuram, & dandam per noſtra, quæ illam de facto cauſant.

Quæri poſſet, *quænam illa fuerint*: ſed quæſtio eſt inutilis; quandoquidem illa jam ceſſaverunt: iis pleni ſunt libri Exodi, & Levitici.

CONCLUSIO V.

IN *lege Euangelica neceſſaria ſunt, & vera exiſtunt Sacramenta*. Eſt de fide, & patet ex dictis, & dicendis in poſterum, & maximè dum de ſingulis agemus. Unde hìc non immoramur.

Loquor autem hìc non de neceſſitate abſoluta, & ſimpliciter, ſed de neceſſitate convenientiæ, & ſecundum quid.

Objic. Sacramenta vetera debebant eſſe perpetua; ergo non debuerunt mutari per nova. Prob. ant. Nam

[1] 19. *con. fauſt.* 13. [2] *c.* 16.

Nam de agno Paſchali dicitur: *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi, & filiis tui uſque in æternum*: Et de Sacerdotio; [1] *Functio eorum in ſacerdotium ſempiternum proficiat*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ratione ſignificati, con. ratione ſigni, neg. ant. & conſ. prob. Nam cùm Sacramenta illa eſſent figuræ noſtrorum, & gratiarum, quas noſtra erant operatura, & utraque ſint perpetua, ſc. noſtra Sacramenta, & effectus eorum; ita quoad hoc vetera illa dicebantur perpetua, ſed non in ſe.

Inſt. Si aliter, & per alia ſigna Deus ſanctificaret homines in novo teſtamento, quàm in veteri, eſſet aliqua *viciſſitudinis obumbratio* apud illum; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam tota viciſſitudo, & mutatio eſt in rebus, non in Deo, ut diximus de immutabilitate Dei.

QUÆSTIO IV.

De materia, & forma Sacramentorum, an conſtent rebus, & verbis.

SAcramentum eſt aliquod compoſitum, non phyſicum, ſaltem propriè, ſed morale, & Metaphyſicum, & Logicum, ut patet ex ejus definitione; ideo quærimus an Sacramenta conſtent parte illa, quæ dicitur materia; eſtque velut pars potentialis, & indeterminata, & alia, quæ dicitur forma, nempe illa, per quam illa alia pars ſubjectiva quaſi actuatur, & perficitur in ratione Sacramenti. Rurſus quæritur, quidnam ſit in Sacramento, quod habeat rationem materiæ, & formæ.

Porrò in pluribus Sacramentis reperimus aliquas res, & aliqua verba: v. g. in baptiſmo res eſt aqua, quæ applicatur per verba, *Ego te baptizo:* ſimiliter in Confirmatione res eſt oleum, & verba ſunt Epiſcopi dicentis, *Signo te*, &c. Sed hoc non videtur clarum de matrimonio, de pœnitentia, &c. ideo diſputatur, an omnia noſtra Sacramenta conſtent rebus, quæ ſint velut materia, & verbis, quæ ſint velut forma.

Rurſus in entibus moralibus, qualia ſunt Sacramen-

[1] *Levit.* 12. & 14.

menta, duplex eſt materia, & forma, una *partialis*, ut aqua in baptiſmo, & verba in eodem reſpectu aquæ, quia illam determinant ad ſignificandam ablutionem animæ: & alia quaſi *totalis*, in quam cadit ultima determinatio rei in ſuo eſſe eſſentiali, ut diximus in Metaphyſica, & Logica de eſſentia rerum, quæ eſt velut forma totius, quod maximè valet in ſententia noſtra de diſtinctione totius à ſuis partibus ſimul ſumptis. Sic ratio ſigni gratiæ in Sacramento eſt velut ultima forma ejus: & quia diximus illam rationem formalem ſigni eſſe relationem rationis fundatæ, ſeu denominationem extrinſecùs advenientem petitam à voluntate Dei inſtituentis, & terminatam ad ipſam gratiam ſignificatam, & fundatam, ac velut ſubjectatam in ipſo ſigno, velut in ſubjecto totali conſtante ex rebus, & verbis. Item illa partialis materia eſt *remota*, & eſt illa ipſa res in ſe conſiderata, quæ eſt in Sacramento adhibenda; ut aqua in baptiſmo: vel *proxima*, & eſt illius rei applicatio, v. g. ablutio in eodem: quæſtio præcipuè procedit de *remota*.

CONCLUSIO I.

OMnia *novæ legis Sacramenta conſtant aliqualiter rebus, & verbis tanquam materia, & forma partiali.* Eſt communior inter Catholicos contra veteres quoſdam hæreticos negantes in Sacramentis omnem materiam, & Lutheranos, & Calviniſtas, qui totam vim Sacramenti ponunt in materia, ſeu rebus.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſic de materia, & forma Sacramenti diſcurrit: (1) *Propriè loquendo de forma, prout eſt altera pars compoſiti, forma Sacramenti eſt ipſa relatio ſigni, qua formaliter eſt tale Sacramentum, & materia eſt totum fundamentum ipſius relationis. Tamen ſi in fundamento iſto ſint plura, ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quæ non omnino æqua iter ſe habent, ſed alterum ſit quaſi prævium, & determinabile, alterum quaſi poſterius, & determinatio præcedentis, primum poteſt dici quaſi materia per quandam ſimilitudinem ad materiam, & alterum*

[1] *D.* 3.*q.*2.*A.n.*2.*& q.* 3. *A.n.*2.

rum forma .... in fundamento relationis (loquitur de baptiſmate) *concurrunt ablutio, & verba ſive tanquam partes fundamenti ... ſive tanquam circumſtantiæ ... pars principalior in ſignificando ſunt verba ... tunc propter iſtam principalitatem verba poſſent dici forma reſpectu alterius*, &c. ergo ex Scoto (1) in Sacramentis reperiuntur res, quaſi materiæ, & verba quaſi formæ.

Prob. 2. ex Concil. Florent. dicente, quòd Sacramenta noſtra tribus perficiuntur, ſc. *rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri congerentis ſacramentum cum intentione .:.. quorum ſi quid deſit, non perficitur ſacramentum :* & Trident. ſingulis aſſignat materiam, & formam; ergo &c.

Confir. hoc ex Scriptura, & dicendis de ſingulis in particulari. Nam ſingulorum determinatur materia, & forma: v. g. in baptiſmo dicit Chriſtus, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ecce materia. Et, *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. ecce forma. Item & Apoſtolus utramque exprimit, (2) *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*.

Confir. 2. ex Patribus [3] Nam inquit Auguſtinus, *Accedit verbum ad elementum .... hoc eſt verbum, ſine quo procul dubio conſecrari non poteſt baptiſmus, detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua?*

Prob. 3. Nam de ratione ſacramenti eſt; ut ſit ſignum ſenſibile, & ſignificans efficaciter gratiam; ſed non poteſt ita ſignificare ſunſibiliter, niſi per aliquas res, & verba, ſaltem ordinariè, & humano modo; [4] *quippe verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi*, ait Auguſt. ergo &c. Certè ſi ſola aqua in baptiſmo adhiberetur, nihil ſignificaret præcisè, & formaliter, niſi ablutionem externam; & ſi verba ſola adhiberentur, eſſet imperfecta ſignificatio, & vacua. Quid enim ſignificarent hæc verba, *Ego te bapt. zo*, &c. niſi adhiberetur aliquis actio externa abluendi? ſaltem imperfectè, & vagè ſignificaret.

Prob. 2. pars. Nam in omnibus compoſitis illud habet rationem materiæ, quod eſt quaſi primum, & determinabile reſpectu alterius; & iſtud habet rationem formæ, quod quaſi determinat, & perficit illud pri-

[1] *Decr. unio.* [2] *Eph.* 5. [3] *tr.* 80. *Jo.*
[4] 2. *doct. chriſt.* 3.

primum: ſic in architectura lapides, & ligna dicuntur materia, ex qua architectus conficit opus ſuum; & figura operis. ſc. ordinatio partium materiæ, ſeu lapidum, & lignorum habet rationem formæ; ſed in ſacramentis res ſe habent reſpectu verborum, ut determinabiles ad ſignificandam gratiam, quam operantur, & verba determinant eas ad illam ſignificandam; ergo &c. Prob. min. Nam aqua de ſe eſt indeterminata ad humectandum, aut refrigerandum, aut abluendum; & oleum ad leniendos dolores, ſananda vulnera, fovendas vires, nutriendum ignem &c. per verba autem, *Ego te baptizo* aqua determinatur ad ſignificandam ablutionem, oleum ad roborandum infirmum, &c.

Dixi autem, *aliqualiter rebus, & verbis*: non enim omnia rebus phyſicis, & permanentibus eodem modo conſtant, ut baptiſmus aqua, Confirmatio chriſmate &c. Sed aliqua conſtant actibus tranſeuntibus, qui locum tenent materiæ, v. g. pœnitentia contritione ex Concilio Trident. (1) matrimonium conſenſu contrahentium verbis, aut nutibus expreſſo &c. Et ſic verba adſunt formaliter, vel æquivalenter.

Objic. 1. Materia, & forma in compoſito ſunt ejuſdem generis; ſed hoc dici non poteſt de rebus, & verbis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. in compoſito phyſico, conc. in compoſito morali, neg. maj. & conſ. Nam ſacramenta ſunt compoſita moralia.

Objic. 2. Euchariſtia poſt conſecrationem remanet ſacramentum: ſed tunc non conſtat verbis ergo ſacramenta omnia non conſtant verbis.

Reſp. diſt. min. non conſtat verbis actualiter, conc. habitualiter, & in effectu, neg. min. Nam Euchariſtia in ſuo fieri conſtat verbis tanquam forma conſecrationis, quæ conſecratio, & conſequenter forma perſeverat habitualiter, & in effectu.

Objic. 3. Totum ſacramentum pœnitentiæ conſtat ſolis verbis pœnitentis, & ſacerdotis; ergo non omnia conſtat rebus.

Reſp. neg. ant. Nam conſtat etiam actibus ipſius pœnitentis, *qui ſunt quaſi materia hujus ſacramenti*, ait Concilium Trident. ſc. *contritio*, *confeſſio*, & *ſa-*

(1) ſeſſ. 14. c. 9.

tisfactio. Item peccata prout confeſſa ſunt etiam materia, circa quam: denique ipſa verba, quibus exprimuntur tam peccata, quam illi actus, prout ſunt in pœnitente, ſe habent ut materia reſpectu verborum ſacerdotis abſolventis, quæ ſunt forma illius. Sunt ergo res æquivalenter.

Objic. 4. Matrimonium contrahi poteſt ſine ullis verbis, ſed ſolis nutibus; ergo & iſtud non conſtat verbis.

Reſp. diſt. ant. verbis formaliter, con. verbis æquivalenter, neg. ant. & conſ. Nam inquit S. Auguſt. [1] *Signa, quibus homines ſua ſenſu communicant, etſi pertineant ad oculorum ſenſum, aut ad alios ſenſus, verba dicuntur*.

Objic. 5. Materia, & forma in compoſitis debent eſſe ſimul; ſed in ſacramentis verba, & res non ſunt ſimul; ergo non ſe habent ut materia, & forma. Prob. min. Nam in baptiſmo ſæpe ablutio præcedit formam; & in Euchariſtia remanet ſacramentum ſine forma; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſimultate phyſica, aut morali, conc. maj. & neg. min. ſimultate phyſica tantùm, & neceſſariò, neg. maj. nam ſufficit ſimultas moralis, ſicut ipſum ſacramentum eſt compoſitum morale.

CONCLUSIO II.

Forma totius Sacramenti eſt relatio ſigni ad ſignificatum, res autem, & verba ſimul habent rationem quaſi materiæ. Eſt Scotiſtarum.

Prob. 1. ex Scoto cit. Nam ibi expreſsè dicit: (2) *Propriè loquendo de forma, prout eſt altera pars ſacramenti, eſt ipſa relatio ſigni, qua formaliter eſt ipſum Sacramentum, & materia eſt totum fundamentum ipſius relationis*; ſed illud totum fundamentum ſunt res, & verba; ergo &c.

Prob. 2. 1. p. Nam de eſſentia ſacramenti eſt, quòd ſit ſignum; ſed de ratione conſtitutiva ſigni arbitrarii, ſeu ad placitum eſt relatio extrinſecus adveniens relicta in materia ſigni ex inſtitutione, ſeu ex actu voluntatis illius, qui ſignum inſtituit; (ut Deus in ſacra-

[1] 2. *doctr. Chriſt.* 3.
[2] *d. 1. q. 1. C. n. 43. q. 60. a. 6.*

ſacramentis) ergo relatio illa eſt forma ultima totius ſacramenti.
Prob.2.p. Nam præciſa tali relatione relicta ex inſtitutione, quomodo nec aqua, nec verba in baptiſmo ſignificarent efficaciter ablutionem animæ?
Quæres, *An idem poſſit dici de Sacramentis antiquis legis naturæ, & ſcriptæ.*
Reſp. probabile eſſe quod ſic: tum quia, ut colligit Scotus, & S. Thomas ex D. Greg. *dici poteſt, proteſtationem fidei factam pro parvulis in verbo externo fuiſſe, vel in oblatione parvuli; adultis verò fuiſſe neceſſariam fidem cum ſacrificio.* Fateor tamen non mihi conſtare ex Scriptura, quòd verba ulla intervenirent in circumciſione puerorum, niſi colligatur ex eo, quod pueris ibi nomen imponebatur. Sed, ut jam diximus, de illis nihil ad nos.

CONCLUSIO III.

P*Robabilius eſt, quòd in iis Sacramentis, quæ in uſu conſiſtunt, res, & verba ſunt de intrinſeca conſtitutione Sacramenti, ut ratio ſigni, ſeu formalis ratio ſacramenti in utroque ſimul, & indiviſim fundetur.* Videtur contra quoſdam Scotiſtas; ſed in ea conveniunt Cardin. Laurea, & Maſtrius.
Prob. 1. ex Scoto, qui dicit de Euchariſtia conſiſtente in eſſe permanente, (1) *non eſt hic* [in Euchariſtia] *aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma, ſicut eſt in aliis .... quia iſtud eſt permanens, & ideò non poſſunt aliqua verba ad ejus eſſentiam pertinere; in quocumque autem ſacramento* [alio ab iſto] *diſtinguuntur materia, & forma. Signum viſibile dicitur eſſe materia, verba verò forma*; ergo ex Scoto res, & verba in ſacramentis, quæ in uſu conſiſtunt, ſunt partes intrinſecæ; & in utraque ſimul cadit forma totalis ſacramenti, ſeu ratio ſigni efficacis gratiæ.
Prob. 2. Nam ex Conciliis cit. non minùs res, quàm verba determinata ſunt à Deo in ſacramentis; ergo non minùs ſunt illis intrinſeca, & eſſentialia. conſ. patet; nam tota ratio, cur aliquid ſit eſſentiale ſacramento, petitur ex voluntate Dei ſic volentis. Prob. ant. Nam illa Concilia eodem modo loquuntur de

[1] *d. 8. q. 1. H.*

rebus, & verbis. Et Chriſtus ipſe in baptiſmo æqualiter requiritur aquam ad regenerationem,& verba *in nomine Patris* &c. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Et, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c.

Objic. 1. Scotus tam docet rationem ſigni fundari in ablutione ſigne verbo, quàm cum verbis, ergo ex Scoto non magis eſt probabile, quòd res, & verba ſint de intrinſeca ratione ſacramenti. Prob. ant.[1] *Duobus modis poteſt de fundamento relationis poni, quam importat baptiſmus, 1. quòd illa fundetur in toto iſto, ſc. ablutione ſimiliter, & verbis tanquam in uno fundamento .... alio modo, quòd ejus fundamentum ſit ſola ablutio*,&c.ergo Scotus æquè propendet in utramque partem.

Reſp.1. neg. ant. & conſ. 2. Nam licèt utramque partem ibi indifferenter proponat; tamen inferiùs remittit deciſionem ad tract. de ſingulis in particulari; ubi habet verba, quæ retulimus, & in quibus propendet in concluſionem noſtram.

Objic. 2 In ſacramento Pœnitentiæ non poteſt aſſignari materia, & forma, ſeu res, & verba; ergo non ſunt ambo intrinſecæ partes ſacramenti. Prob. ant. Nam relatio ſigni gratiæ fundatur in ſolis verbis abſolutionis. 2. quia verba illa non cadunt, nec determinant ullam materiam. 3. quia nulla exiſtit res ſeu materia, cum verba illa proferuntur; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & ſingulas partes prob. 1. quia verba abſolutionis nihil poſitivè ſignificarent, niſi caderent in actus pœnitentis confitentis. 2. nec ipſa confeſſio ſatis fundaret ſe ſola ſine abſolutione. ſine qua poſſet conſiderari, ut narratio hiſtorica. 3. quia ipſa confeſſio adhuc moraliter perſeverat in corde pœnitentis, & memoria, & conſideratione confeſſarii, dum abſolvit illum.

Inſt. Pœnitentia confertur per formam judicii;ergo conſiſtit in ſolis verbis miniſtri, qui & profert abſolutionem per modum judicii, & ſententiæ.

Reſp. diſt. ant. judicii reſpicientis reum confitentem, & contritum, conc. judicii nudi, neg. ant. & conſ. nam abſolutio reſpicit reum ut pœnitentem, & confitentem peccata.

Objic. 3. In Euchariſtia non ſunt res, & verba; ergo

[1]*d. 3.q. 1. C. & D.*

go hæc non requiruntur ut partes intrinſecæ ſacramenti.

Reſp. diſt. conſ. Sacramenti conſiderati in eſſe permanenti, conc. ut conſiſtentis in uſu, & tranſeunter, neg. conſ. nam illa, de quibus hoc dicimus, conſiſtunt in ipſo uſu: in Euchariſtia autem conſecratio, ſeu confectio ejus ſeparatur a ſuſceptione; ideo res, & verba non ſimul exiſtunt, niſi velis dicere, quod verba conſecrationis in Euchariſtia perſeverant moraliter, ſeu habitualiter in ſuo effectu. [1] Sed hæc reſponſio non placet aliquot Scotiſtis, præcipue P. Maſtrio.

QUÆSTIO V.

A quo determinatæ ſint materia, & forma Sacramentorum, & quæ mutatio earum invalidet ſacramentum.

Duo hic quæruntur, ut vides, 1. an, & a quo determinata ſit materia, & forma ſacramenti, ita ut non valeat in alia materia, vel forma: An ſc. hæc determinatio facta ſit ab ipſo Chriſto inſtitutore ſacramentorum, an pendeat ab Eccleſia. 2. Si aliqua in illis contingat mutatio, quæritur, qualis, & quanta ſit, quam patiantur, aut quam non patiantur.

Determinatio autem, ſicut & mutatio, alia eſt *ſubſtantialis* rei, & verborum; alia *accidentalis*: prima attenditur penes eſſentiam rerum genericam, aut ſpecificam, qualis eſt inter aquam naturalem, ſeu elementarem, & artificioſam, v. g. roſaceam, & in forma, ſeu verbis ſignificatio pariter *eſſentialis*. 2. attenditur in accidentibus ejuſdem entitatis genericæ, aut ſpecificæ, ut qualitas, & quantitas aquæ in materia baptiſmi, v. g. ſi calida ſit, aut frigida, in parva, aut magna quantitate: & in verbis tranſpoſitio aliqua verborum, quæ non mutet ſenſum, vel mutatio idiomatis; ut ſi græce, aut latine, aut gallice proferantur ſenſu immutato; aut ſi addantur quædam verba, vel detrahantur, aut aliis modis, qui his verſibus comprehenduntur.

[1] *diſp.* 1. *n.* 117.

Nil

Nil formæ demas, nihil addas, nil variabis:
Tranſmutare cave, corrumpere, verba morari.

1. Demitur de forma, ſi dicas, *Hoc eſt corpus meum*, demis *enim*; vel ſi omittas *hoc*, vel *meum*: additur ſi dicas. *Hoc eſt verum corpus meum*; vel *totum corpus*. 2. varias, ſi dicas, *Hæc eſt caro mea*. 3. corrumpis, ſi dicas. *Hoc eſt humanitas mea*. 4. verba moraris, ſi inter hæc verba, *hoc eſt*, notabilem moram interponas, antequam dicas, *corpus meum*; & ſic de aliis.

Rurſus determinatio materiæ alia eſt *generica*, alia *ſpecifica*, & quidem in ſpecie infima, vel ſubalterna; & de ſingulis eſt quæſtio.

CONCLUSIO I.

M*Ateria, & forma Sacramenti novæ legis eſt determinata a Chriſto in genere, vel ſpecie*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui, ut dicemus de ſingulis in particulari, aſſignat materiam, & formam ut a Chriſto determinatam: nam inde colligitur eum velle, quod de ratione ſacramenti eſt, ut materia, & forma ejus ſit determinata ab ipſo Deo, qui dat illi ſuam ſignificationem, & virtutem. Ideo ponit [1] *inſtitutionem divinam* pro differentia ſacramenti ab aliis ſignis. Illud enim definit *ſignum ſenſibile gratiam Dei efficaciter ſignificans ex inſtitutione divina*; non enim poteſt eſſe ſignum ſenſibile ex inſtitutione divina, niſi totum illud ſignum ſit ab ipſo determinatum.

Prob. 2. ex Scriptura. Nam conſtat de baptiſmo, quod determinavit aquam, & verba; & pro Euchariſtia panem, & ſimiliter verba, *Hoc eſt corpus meum*; ergo idem eſt de cæteris, quod magis patebit ex dicendis de ſingulis in particulari.

Prob. 3. ex Concilio Trident. *Si quis dixerit ſacramenta novæ legis non fuiſſe a Chriſto Domino inſtituta* &c. *Anathema ſit*. Et inferius docet, aut ſupponit nullam mutationem ſubſtantialem in eis fieri poſſe ab Eccleſia, bene vero accidentalem. *Declarat hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatue-*

[1] 4. *diſt*. 1.*q*. 2. *n*.7.

tueret, vel mutaret... quæ expedire judicaret &c. ergo materia, & forma ſacramentorum quoad ſubſtantiam ita eſt determinata a Chriſto, ut non liceat Eccleſiæ eam immutare.

Prob.4. quia ſolius Dei eſt dare virtutem alicui rei, conferre gratiam ſupernaturalem; ergo & ſoli Deo reſervatur determinatio talis rei, vel ſigni.

Confir. Nam licet potuerit Chriſtus committere Eccleſiæ ſuæ hanc determinationem ſignorum, quorum intuitu conferret gratiam; tamen congruentius fuit illa per ſeipſum determinare, quia ſic habent majorem auctoritatem, & fidem; & majorem ſibi conciliant reverentiam, quam ſi a puris hominibus inſtituerentur.

Dixi, *in genere, vel in ſpecie*: quia non omnium materia, nec verba formæ determinatæ reperiuntur in ſpecie atoma; non determinavit ſpeciem atomam panis, in quo fit Euchariſtia, modo fiat in pane triticeo, & vino de vite, ſufficit: & ſic de baptiſmo in omni ſpecie aquæ naturalis, & ſic de aliis; v.g. omnia peccata ſunt materia abſolutionis ſacramentalis; ergo materia ſacramentorum non fuit determinata a Chriſto in ſpecie ſpecialiſſima, ſeu infima, ſed in genere quodam: de quo magis patebit, dum de ſingulis agemus.

Confir. Nam materia ſacramentorum alia eſt in entitate phyſica rerum, v.g. aquæ, panis, vini, & olei; alia in rebus quaſi moralibus, v.g. in actibus aliquot humanis, ut ſunt contractus matrimonialis, peccata, & actus pœnitentis: priora illa potuit, & voluit Chriſtus determinare in ſpecie, v.g. in aqua naturali, & pane triticeo, & vino de vite, in oleo, balſamo; at poſteriora congruum fuit, ut cum illa pendeant ab hominum moribus, & aliquali arbitrio, hæc etiam in latiori genere determinaret; v.g. matrimonium in contractu civili, & valido ſecundum tempora, & mores; ergo &c.

Objic. 1. Sufficiebat determinatio verborum; ergo non fuit determinatio realis. Prob. ant. Nam verba ſufficienter determinant quaſcumque res, v.g. quoſcumque liquores, aut materias mundificativas ad ſignificandam gratiam abſterſivam maculæ peccati originalis; & quodcumque comeſtibile ad ſignifican-

dum corpus Chriſti per verba, *Hoc eſt corpus meum*; ergo non fuit neceſſaria determinatio materiæ ſacramentorum, ſed ſola determinatio verborum ſufficiebat.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam licet Deus de potentia abſoluta potuiſſet aliter velle; tamen magis congruebat etiam determinare materias, quæ propius accedunt ad ſymbolicam ſignificationem effectuum ſpiritualium, quos hæc ſigna operantur, quales ſunt illæ, in quibus inſtituta ſunt hæc ſacramenta: v. g. aqua eſt uſitatior in ablutionibus, & panis in cibis, & vinum in potu humano &c. Et ſic melius ſignificant nobis effectus horum ſacramentorum, & fortius nos excitant ad eorum fidem.

Objic. Non congruit Deo alligare potentiam, vel miſericordiam ſuam aliquibus ſignis, & rebus præ aliis; ergo nec determinare materias ſacramentorum ad ſanctificandum hominem.

Reſp. neg. an. Nam congruentiſſima ſunt quæcumque placent Deo; ideo licet eorum nulla nobis ſuppeteret congruitatis ratio, adhuc credere debemus id ſapientiſſime ordinatum, ubi optima ratio facti eſt voluntas facientis.

Præterea Deus non ſic alligavit potentiam, & miſericordiam ſacramentis illis, quin ſine illis, & ſe ſolo poſſit facere quidquid per illa operatur, imo & plura, & meliora, ſi velit.

CONCLUSIO II.

O*Mnis mutatio ſubſtantialis in materia, vel forma, ſeu verbis ſacramentorum illicita eſt, & ea invalidat; non autem accidentalis, licet ſit aliquando illicita*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui diſtinguit de mutationibus ſubſtantiali, & accidentali; & notat mutationes, quæ in forma baptiſmi v. g. invalidant ſacramentum, & quæ non invalidant: & in Reportatis dicit generaliter, quod miniſter *prætermittendo, vel mutando iſtam formam vere dat ſacramentum, ſed tamen peccat mortaliter*; ergo cenſet mutationem accidentalem non invalidare.

Prob. 2.

[1] *d.3.q.2.F.n.7.ibid.n.4.*

Prob. 2. quoad 1. & 2. p. quia cum mutantur eſſentialia rei alicujus, non eſt amplius ea res, bene vero quando mutatur tantum accidentaliter: v. g. in homine ſi mutatur quoad animalitatem, vel rationalitatem, non eſt amplius homo; ſi vero tantum mutetur quoad aliquam qualitatem, aut quantitatem; ut ſi de albo fiat niger, aut de Pigmeo fiat Gigas, aut de puero vir, non ceſſat homo; ergo idem eſt in mutatione circa res, & verba ſacramenti: nam, ſi fiat mutatio quoad ſubſtantiam, non erit amplius illud ſignum à Deo inſtitutum, bene vero ſi fiat ſolum mutatio accidentalis.

Confir. ex cap. *Retulerunt* de conſecrat. diſt. 4. ubi Papa Zacharias interrogatur, an baptiſma collatum ſub his verbis; *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta*, Reſpondet, ſi hoc fecit ex imperitia linguæ cum recta intentione, non intendens inducere errorem, verè baptizavit; & ratio eſt, quia ſuppoſita miniſtri illius intentione, recta verba illa ipſi hoc ipſum ſignificabant, quod illa, quæ à Chriſto inſtituta ſunt, & illa mutatio erat accidentalis, ſed ſi aliud intendiſſet, tunc erat mutatio ſubſtantialis, & aliud longe ſignificabant ea verba, quam quod inſtituit Chriſtus; ergo &c.

Confir. 2. Nam ſine dubio Chriſtus protulit formam baptiſmi, & Euchariſtiæ in lingua Hebraica, vel Syriaca; nec enim aliis idiomatibus uſus eſt in hac vita: nos autem utimur lingua latina, aut gallica; ergo mutamus formam accidentaliter, & tamen valide facimus; ergo &c.

Prob. 3. pars: quia vel mutatio accidentalis fit ex ignorantia vincibili miniſtri, vel ex negligentia, aut contemptu; ſed ex his omnibus cauſis peccatur in re gravi, & graviter; ergo peccatur mortaliter: prob. min. nam in his rebus ſacris, & quæ concernunt ſalutem animæ, quilibet tenetur ſequi praxim Eccleſiæ. Unde ſacerdos latinus peccaret mortaliter, ſi conſecraret in pane fermentato, ſicut ſi græcus in azymo. Unde inquit Scotus: *Quilibet miniſter in Eccleſia Romana tenetur ſervare formam illam, quam totalis Eccleſia impoſuit miniſtris*: ergo quoties illam ſcienter, aut imprudenter non ſervant, peccant non ſolum

lum contra obedientiam, ſed etiam contra reverentiam debitam ſacramento, quod exactam exigit applicationem. Igitur quoties mutatio eſt gravis, & maxime ſi eſt ſubſtantialis, peccatum eſt graviſſimum, & ſacrilegium, niſi excuſet indeliberatio; quia tunc fit ſacramentum irritum; ſi vero ſit tantum accidentalis, aliquando peccatum eſt mortale, non ſolùm ſi fiat ex contemptu, ſed etiam ſi adhibeatur forma, aut materia dubia abſque neceſſitate; quia tunc exponit ſacramentum nullitati.

Objic. 1. contra utramque concluſionem. Eccleſia in Sacramento Pœnitentiæ mutat materiam, & quidem quoad ſubſtantiam; & tamen tenemur credere, quod facit valide; ergo vel materia non eſt à Chriſto determinata, vel mutatio ſubſtantialis non irritat ſacramentum. Prob. ant. Eccleſia reddit irritas abſolutiones datas à ſacerdotibus ſine approbatione de peccatis mortalibus, & ab aliis reſervat aliqua, ita ut non ſint materia illius ſacramenti; ſed hæc mutatio eſt ſubſtantialis, & reſtrictio notabilis materiæ inſtitutæ à Chriſto; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. Nam ibi nulla eſt mutatio in materia quoad ſacramentum in ſe, ſed quoad miniſtrum, cuius limitatur poteſtas; & quidem non poteſtas ordinis, quam habent omnes ſacerdotes à Chriſto, ſed poteſtas juriſdictionis, quæ ex ordinatione Chriſti reſidet in Eccleſia, & ejus capite, à quo communicatur in membra ejus, prout expedire videt, & ſic aliquibus dat juriſdictionem in aliquos populos, & ſubditos peccatores, & non in alios, quos aliis reſervat, ſcilicet Epiſcopis, & Prælatis, aut ipſi Summo Pontifici. Peccata ergo in genere ſunt ſemper materia remota etiam generica ſacramenti Pœnitentiæ; ſed juriſdictio, & poteſtas illa non eſt æqualis in omnibus ſacerdotibus, ſicut nec æqualis data eſt omnibus ſacerdotibus, ſed amplior Apoſtolis, minor diſcipulis, & minima inferioribus, ac ſimplicibus presbyteris.

Objic. 2. Eccleſia mutavit materiam matrimonii, & quidem in ſubſtantia, ita ut quæ olim ſufficiebat, jam non ſufficiat ad valorem ejus; ergo vel illa materia non fuit determinata à Chriſto, vel non omnis mutatio ſubſtantiæ irritat illud. Prob. ant. Ante Concil.

cil. Trident. (1) matrimonia, quæ dicimus *clandeſtina*, quia non fiebant in facie Eccleſiæ, ſeu in præſentia Parochi, & teſtium, erant valida; & jam declarantur invalida; ſed non poſſet hoc fieri ſine mutatione eſſentiali materiæ; ergo &c. Prob. ant. Nam inquit, *Qui aliter quam præſente Parocho ... & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad ſic contrahendum matrimonium inhabiles reddit; & tales contractus irritos, & nullos eſſe decrevit* &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. Nam materia per Chriſtum determinata pro ſacramento matrimonii eſt conſenſus legitimus maritandorum; conſenſus autem ille, qui olim erat legitimus, jam non eſt talis; & ſic tota mutatio contigit in ſolemnitate contractus, ſeu conſenſus ſponſorum: ſed ſemper eſt eadem materia à Chriſto determinata, nempe conſenſus legitimus.

Objic. 3. Eccleſia mutavit materiam Confirmationis; nam hodie per Chriſmationem datur, & olim ab Apoſtolis per ſolam impoſitionem manuum, & orationem; ergo in Eccleſia eſt poteſtas mutandi materiam quoad ſubſtantiam; hæc enim mutatio eſt ſine dubio ſubſtantialis.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam licet nunc adhibeatur Chriſmatio, non eſt tamen de fide, quod ſit de neceſſitate Sacramenti: id enim multi negant apud Juenin. [2]

Reſ. 2. neg. ant. Nam ex Scoto, [3] & aliis cum Apoſtolis fuit quidem diſpenſatum, & per ſolam manuum impoſitionem confirmarunt; quia plura alia ſigna oſtendebat dari Spiritus Sanctus per illam impoſitionem; ſed in Eccleſia, exceptis Apoſtolis, ſemper adhibita eſt unctio.

Objic. 4. in Sacra ordinatione contigit etiam magna mutatio; nam olim Diaconi ordinabantur per ſolam manuum impoſitionem; ut patet de S. Stephano ab Apoſtolis ſic ordinato; & apud Græcos idem ſervatur: Eccleſia autem Latina adhibet traditionem libri Euangeliorum. Idem notatur in ordinatione ſacerdotum, quibus traditur materia conſecranda; & forma verborum diverſa eſt apud Græcos, & La-

tinos,

[1] *ſſ. 24. de reform. matr. c. 1.*
[2] *q. 2. c. 3.* [3] *4. d. 1. q. 1. C. 3.*

tinos, & tamen valide ordinant utrique; ergo mutatio eſſe ntialis materiæ non invalidat Sacramentum.

Reſp. neg. conſ. Nam inde tantum ſequitur materiam, & formam in ordinatione diverſam eſſe quoad ſpeciem infimam, non quoad rationem genericam, ſecundum quam inſtituta eſt à Chriſto; nec enim omnium materia, & forma determinata eſt à Chriſto in ſpecie atoma, ut diximus.

Objic. 5. Aliquando fiebat, & valebat Sacramentum in nomine Chriſti abſolutè: ſed hæc forma eſt ſubſtantialiter diverſa ab iſta, *Baptizo te in nomine Patris*, &c. ergo &c.

Reſp. diſt. min. eſt diverſa quoad voces, con. quoad ſenſum, neg. min. Nam cum ſola perſona Chriſti exprimebatur, id fiebat ex diſpenſatione divina notificata Eccleſiæ; & ex intentione Eccleſiæ, & miniſtrorum ejus ſemper intendebatur tota Trinitas: hæc autem magis patebunt, cum de ſingulis agemus.

Colligis ergo 1. ex dictis quæſtion. præcedenti, quod cum Chriſtus non omnem omnium Sacramentorum materiam, & formam per ſe ipſum immediate, & in ſpecie infima determinaverit, ſpecialiorem illam determinationem reliquit Eccleſiæ ſuæ, per quam ſic me. ii è determinat; & hoc dici poteſt de Sacramentis matrimonii, & ordinis, & quoad plures alios ritus, qui ſucceſſu temporis additi, vel mutati ſunt in Sacramentorum uſu, & qui videntur notabiles, & quaſi ſubſtantiales.

Colligis 2. quod cum Chriſtus D. inſtituerit Sacramenta noſtra in ſignis ſenſibilibus, ſc. in rebus, & verbis, quibus inducamur connaturaliter in cognitionem effectus eorum inviſibilis, quem per illa operatur in animabus noſtris, illa ſignorum mutatio ſemper invalidat, maximè in verbis, per quam corrumpitur verus, & naturalis ſenſus illorum. Sed ad ſingulos caſus mutationum, aut detractionum, aut additionum, quibus irritatur, aut non irritatur Sacramentum, deſcendere longius eſſet, plures afferemus, cum agemus de ſingulis in particulari.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

Quomodo verba, ſeu formæ Sacramentorum debeant proferri, an concionatorie, vel conſecratorie.

VErba proferuntur *concionatorie*, cum dicuntur præciſe ad docendum auditorem; dicuntur autem *conſecratorie*, cum præter inſtructionem dicuntur etiam cum intentione aliquid per illa conficiendi. Quæritur autem hic, an verba Sacramentalia debeant proferri a miniſtro pure *concionatorie*, ſc. ex intentione ſola inſtruendi populos de promiſſionibus divinis, & ad excitandam de illis fidem illorum, & quaſi recitatorie, ut dicta a Chriſto D. ut volunt hæretici, an vero ad operandam in ſuſcipientibus gratiam, quam illa ſignificant, ut docent Catholici.

CONCLUSIO.

V*Erba Sacramentorum debent proferri conſecratorie.* Eſt communis contra hæreticos, qui volunt ea eſſe verba promiſſoria, & concionatoria.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui impugnat opinionem Okami, & Gofredi dicentium, quod Sacerdos in conſecratione calicis *profert verba illa quaſi materialiter, quia recitat ea, ſicut a Chriſto dicta*... & rationem dat, quia Chriſtus per verba illa fecit hoc Sacramentum, & infra dicit verba illa eſſe converſiva; ſed manifeſte id ſequitur ex definitione Sacramenti, in qua definit illud, *Signum ſenſibile efficaciter ſignificans*, ideſt efficiens, quod ſignificat: nam verba pure concionatorie, & materialiter prolata non ſunt effectiva rei ſignificatæ. Unde

Prob. 2. ex dictis de natura Sacramenti. Nam ut dicebam, 1. eſt ſignum efficax gratiæ, quam ſignificat; ergo forma ſacramenti non debet exprimi recitative, ſed conſecratorie: pat. conſ. nam qui recitant formas, & verba Sacramentalia ſive docendo, aut concionando, non dicuntur conficere, nec conferre Sacramenta: prob. ant. ex dicendis de efficacia Sacramentorum. Item ex Concilio Trident.[2] Nam dicit

[1] *d.8.q.1.F.11.* [2] *ſſ.1.n.9.*

dicit anathema negantibus ſacramenta continere gratiam, quam ſignificant, aut quod eam conferant non ponentibus obicem, &c.

Confir. ex Scriptura. Nam Apoſtolus dicit ſe a Deo miſſum, non ad baptizandum, ſed ad evangelizandum; ergo docere, & baptizare ſunt duo miniſteria diſtincta; ergo qui docet formam, & verba, quibus conficiuntur ſacramenta, v.g. baptiſmus, licet proferat ea verba, non ideo facit ſacramenta; ergo ille tantum conficit ſacramentum, qui profert ex officio formam ejus conſecratorie, ſeu ſacramentaliter. Item Chriſtus inſtituens Euchariſtiam non dicit Apoſtolis, *Hoc dicite*, ſed, *facite in meam commemorationem*. Similiter mittens Apoſtolos duo injungit officia, 1. docendi, *Docete omnes gentes*: 2. baptizandi, *Baptizantes eos*, &c.

Confir. 2. Quia licet non debeant baptizari adulti, niſi prius doceantur de myſterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis rebus fidei; tamen conciones, & inſtructiones eſſent inutiles pueris, quos tamen hæretici baptizant, ſicut nos; ergo vel fruſtra ſuper pueros proferuntur verba, vel non proferuntur cōcionatorie.

Confir. 3. Nam quando lectores, aut ſubdiaconi legentes epiſtolas D. Pauli, & Diaconi legentes Evangelium incidunt in verba, quæ ſunt forma Euchariſtiæ, non illam conficiunt, & tamen proferunt verba recitative; ergo talis prolatio verborum ſacramenti non conficit ſacramenta.

Confir. denique; nam dicunt adverſarii, verba illa eſſe promiſſoria, quia notificant ſuſcipientibus promiſſiones divinas; ſed aliqua ſunt, quæ nullam oſtendunt promiſſionem; ergo &c. prob. ant. in forma, & verbis baptiſmi, *Ego te Baptizo*, &c. & in forma Euchariſtiæ, *Hoc eſt corpus meum* (idem eſt de omnibus aliis) nulla apparet promiſſio; ergo &c.

Dices. In conſecratione panis dicitur, *Quod pro vobis tradetur*; ergo hæc forma continet promiſſionem.

Contra. Nam promiſſiones, quas dicunt adverſarii per ſacramentorum verba ſignificari, non ſunt de paſſione pro nobis ſubeunda, ſed potius de bonis vitæ alterius per Chriſti paſſionem exhibitam recipiendis, alioqui poſt exactam traditionem corporis Chriſti in mortem nihil prodeſſent ea verba, nec

nec eſſent promiſſoria, ſed pure memorativa.

Objic. 1. Ex Patribus dicuntur ſignacula, & ſigilla; ſed hoc ſignificat ea eſſe obſignationes promiſſionum gratiæ Dei; ergo verba illa ſunt pure promiſſoria.

Reſp. neg min. Nam dicuntur ſignacula 1. quia per hæc Chriſtianus quaſi ſignatur, & diſtinguitur ab aliis: & per illos actus religionis in Deum notatur, ut pertinens ſpecialiter ad Deum, & filium eius Chriſtum. 2. occultant res ſacras, & inviſibiles gratias ſub illis ſignis externis, &c. 3. denique ipſa ſunt ſigna, & quaſi arcæ gratiarum, quas operantur, ideo non ſunt nuda, & vacua ſigna, ſed effectiva earumdem; & ideo proferuntur ea intentione, ut ſic operentur, ſcilicet conſecratorie.

Objic. 2. Chriſtus deſtinans Apoſtolos ut miniſtros Sacramentorum jubet, ut doceant, *Docete omnes gentes baptizantes*, &c. & Apoſtolus; *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, ſeu *doctrinæ*: ergo verba Sacramentorum ſunt doctrinalia, & concionatoria: nam baptizandi, & alii ſuſcipientes Sacramenta debent doceri de illorum virtute.

Reſp. diſt. conſ. doctrinalia, quatenus docent, & ſignificant ea, quæ operantur, con. pure ut doceant, ita ut nihil debeant operari ex intentione baptizantis, neg. conſ. Nam utrumque præſtant ea verba; ſed principalis intentio pronuntiantis ea eſt conſecratoria, & ſanctificatio ſuſcipientis; alioqui fruſtra proferrentur pueris, qui ſunt incapaces inſtructionis, cum baptizantur; pro adultis autem doctrina eſt quidem diſpoſitio ad fructuoſe ſuſcipiendum baptiſmum; quia debent credere per fidem, *Fides autem eſt ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*: doctrina, inquam, eſt diſpoſitio ad ſacramentum, ſed non eſt pars intrinſeca ſacramenti.

Objic. 3. Ambroſius [1] dicit, quod *ſicut in fontem Marath Moyſes miſit lignum: ita & in hunc fontem* [baptiſmalem] *ſacerdos prædicationem dominicæ prædicationis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam*: ſed prædicatio eſt verbum concionale; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. prædicationem crucis per verba inſtructiva, & præparativa adultorum, & capacium doctrinæ, con. prædicationem, quæ ſit pars intrinſeca

[1] *L. init. c. 2.*

ca baptiſmi, ut ſunt verba formæ, neg. maj. & conſ. nec enim aliud intendit S. Amb. imo & ipſum ſacramentum baptiſmi eſt ipſa immiſſio crucis, ſeu applicatio virtutis ejus ad aquam, ut operetur gratiam, hoc ipſo quod miniſter cum ablutione aquæ profert ea verba conſecratorie, ſeu cum intentione debita, ut operentur cum aqua.

Inſt. ex Auguſt. [1] *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat? niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur ... hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus, quo corda mundantur, & baptiſmus conſecratur*; ergo tota vis ſacramenti, & verborum conſiſtit in hoc, quod prædicata excitant fidem in baptizandis, per quam mundantur; & id confirmat ex Scriptura: totum hoc fit per verbum, de quo dominus ait, *Vos mundi eſtis propter verbum, quod locutus ſum vobis*.

Reſp. neg. conſ. Nam Auguſt. nihil aliud hic intendit, quam docere, quod virtus baptiſmi non ſit in aqua independenter a verbo Dei, & Chriſti, quod miniſter pronuntiat cum ablutione; alioqui infantes non mundarentur, quia per ſe ipſos non recipiunt verba concionatoria, nec concipiunt fidem per illa.

Objic. 4. Verba conſecratoria ſunt ſuperſtitioſa, & magicæ incantationi ſimilia; quia proferuntur ſuper elemento inſenſibili coram imperitis, qui nihil ex his intelligunt; ergo verba ſacramentalia non debent dici conſecratoria,

Reſp. neg. ant. ut impium, & ſuo auctore dignum: non enim invocantur dæmones per illa verba, quæ ex ore Chriſti prodierunt; ſed ipſe Deus, qui ad eorum prolationem operatur gratiam promiſſam, & quam ſignificant.

DISPUTATIO II.

De cauſis Sacramentorum.

Agimus de cauſis *extrinſecis*, quales ſunt efficiens, ſive inſtituens, miniſterialis, & ſubjectiva, ſeu ſuſcipiens: nam de *intrinſecis*, ſc. materiali, & formali, quæ intrant eorum eſſentiam, diximus in præcedenti.

QUÆ-

[1] *tr.* 80. 70.

QUÆSTIO I.

De cauſa effectiva, ſeu inſtitutiva Sacramentorum tam de facto, quàm de poſſibili.

CIrca poteſtatem inſtituendi ſacramenta ſolet diſtingui 1. *poteſtas auctoritatis, & abſoluta*, quæ eſt propria illi perſonæ, & quam ex ſe habet independenter ab alio, & per quam aliqua ſigna eligit ad conferendam gratiam, vel aliquod beneficium ſupernaturale hominibus; iſta eſt propria ſoli Deo. 2. *poteſtas miniſterialis*, quæ alicui delegatur ab habente poteſtatem auctoritatis, & hoc ad ſacramentorum deſignationem, vel adminiſtrationem, vel confectionem. 3. *poteſtas miniſterialis*, alia *excellentiæ principalis*, quę competit alicui cum ſpeciali prærogativa ſupra cæteras cauſas, quæ ad ſacramentorum deſignationem, vel confectionem deſtinari, vel concurrere poſſunt. 4. alia *communis*, quę communiter tribuitur cuilibet miniſtro ad purè conficiendum, & adminiſtrandum, aut diſpenſandum ſacramentum. 1. convenit ſoli Deo; poteſtas *excelentiæ* competit ſoli Chriſto ut homo eſt; & *communis* competit puris hominibus, v. g. ſacerdotibus.

Nota præterea, quòd ad primam auctoritatem prædictam ſpectat non ſolùm deſignare, ſeu determinare aliquod ſignum, ſeu res, & verba aliqua, per quæ conferatur gratia quocumque modo, ſed etiam dare illi ſigno, ſeu rebus, & verbis illis virtutem conferendi talem gratiam in ſuo genere cauſæ. Illa deſignatio non eſt completa inſtitutio ſacramenti, ſed completur per communicationem prædictæ virtutis, & efficaciæ: unde completa inſtitutio propria eſt ſoli Deo.

CONCLUSIO I.

SOlus Deus eſt cauſa efficiens ſacramentorum poteſtate auctoritatis propriè, & completè: Chriſtus autem ut homo omnia noſtra inſtituit poteſtate miniſteriali, & excellentiæ. Eſt communis. Dico *ut homo*; nam ut Deus eadem auctoritate, & poteſtate inſtituit, qua Deus Pater; nam opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quòd *quantum ad ſignationem poſſibile eſſet, quòd inſtitueretur ab aliqua creatura ... ſed non poſſet dare illi ſigno, quod eſſet regulariter certum; non enim poſſet dare certitudinem alicui ſigno practico, niſi in cujus poteſtate eſt poſſe cauſare ſignatum illius ſigni: ſolus autem Deus poteſt ſe determinare ad cauſandum effectum ſibi proprium ... ſic ergo patet, quòd à ſolo Deo poteſt inſtitui ſacramentum quantum ad ſignum certum*, &c. Ecce concluſionis primam partem: quoad 2. verò dicit (2) poſitivè, quòd *omnia ſacramenta ſunt à Chriſto, vel à Deo pro tempore iſtius legis*; & id probat ex Scriptura de ſingulis per ordinem.

Prob. 1. p. 2. Ille ſolus eſt, & poteſt eſſe cauſa completa, & propria auctoritate ſacramentorum, qui poteſt ſeipſo non tantùm determinare ſignum externum, ſed etiam dare illi certitudinem, & virtutem cauſandi gratiam, quoties applicatur ſubjecto capaci; ſed hoc convenit ſoli Deo; ergo, &c. Major patet ex dictis: min. prob. Nam illi ſoli competit dare talem certitudinem, & efficaciam, qui per ſeipſum poteſt ſic concurrere, & cauſare cum illis, aut per illa gratiam; ſed hoc ſoli Deo competit, quia, ut dictum eſt aliàs, gratia non cauſatur niſi per creationem, quæ ſoli Deo propria eſt; ergo, &c.

Prob. 2. p. Nam Chriſtus ut Deus cauſat, & inſtituit ſacramenta completè, & auctoritativè, ſed ut homo illa inſtituit miniſterialiter, & per quandam excellentiorem, ac ſupremam potentiam, quam unquam Deus contulerit, vel conferre poſſit ulli puræ creaturę propter unionem hypoſtaticam Verbi: item quia illis etiam, & per illa applicat ſuſcipientibus merita ſua; ergo ſingulari modo poteſt inſtituere ſacramenta ut homo; non enim mereri potuit, niſi ut homo.

Prob. 2. ex Conc. Trident. Nam *ſi quis dixerit ſacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Chriſto inſtituta, anathema ſit*. De facto igitur omnia inſtituit; ergo & potuit.

Confir. Nam Deus intuitu meritorum Chriſti dat efficaciam illis ſignis; & gratiæ, per quas illa nobis confert, veniunt ex merito paſſionis ejus: Et præterea ipſe Chriſtus deſignavit materiam, & formam ſingulo-

[1] 4. *d.* 1. *q.* 3. *C.* *n.* 4. [2] *d.* 2. *q.* 1. *C.* 4.

gulorum; ut probatum eſt, & magis patebit de ſingulis.

Objic. 1. Ejus eſt inſtituere principaliter, & auctoritativè ſacramenta, cujus eſt purgare a peccatis, illuminare, & perficere hominem; ſed hæc facit Eccleſia per miniſtros ſuos; ergo & ſacramenta. Prob. min. ex D. Dionyſio, qui hos effectus reputat inter actus Hierarchicos Eccleſiæ.

Reſp. diſt. maj. Cujus eſt purgare per ſe immediatè, & propria virtute, conc. maj. & neg. min. miniſterialiter, & mediatè, & aliena virtute, neg. maj. & conſ. & ant. prob. nec enim Dionyſius voluit tribuere ulli creaturæ hos effectus, vel hanc virtutem per ſe immediatè habere.

Objic. 2. Joannes inſtituerat ſuum baptiſmum; ſed iſte erat ſacramentum verum, & ille homo purus; ergo homo purus poteſt inſtituere completè ſacramentum: prob. maj. ex Auguſtino, *Talis erat baptiſmus Joannis, qualis Joannes; tale autem baptiſma Domini, qualis Dominus*, &c.

Reſp. 1. diſt. maj. Inſtituerat miniſterialiter, conc. propria auctoritate, & completè, neg. maj. Nam addit Auguſt. *Baptiſma tamen hominis juſti, ſed qui acceperit a Deo talem gratiam*. Vides poteſtatem purè miniſterialem.

Reſp. 2. neg. min. quoad 1. p. Nam ut videbimus, illud baptiſma non fuit verum ſacramentum.

Objic. 1. contra 2. par. ex dictis ſupra. Chriſtus non inſtituit per ſe extremam unctionem, nec confirmationem, quia hæc inſtituta ſunt, illud à S. Jacobo, illud ab Eccleſia poſt aſcenſionem Chriſti; ergo Chriſtus non omnia inſtituit, ſaltem per ſe immediatè. Prob. ant. ex graviſſimis Theologis, & Patribus, qui ad hoc citantur, inter quos ſunt Cyprianus, Hugo, Alenſis, imò & citatur S. Bonaventura.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus: nam contra hoc facit definitio cit. Concilii, qua definitur, quòd omnia ſunt inſtituta à Chriſto; & ſi aliter videntur docere aliqui Catholici (de hæreticis non curo) loquuntur de promulgatione, & uſu, non autem de primaria inſtitutione, quia fortè non fuerunt aliqua publicata, nec in uſu vivente Chriſto: quoad S. Bonaventuram, ab ea calumnia liberat eum Gaudentius. (1)

(1) *diſp. 3. q. 1.*

Objic. 2. Si Chriſtus inſtituiſſet omnia ſacramenta etiam ut homo, eſſet cauſa eorum principalis; ſed conſ. eſt contra nos; ergo, &c. Prob. maj. Omnis cauſa univerſalis eſt etiam principalis; ſed eſſet cauſa univerſalis ſacramentorum; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. utramque, vel ſic diſt. Si inſtituiſſet omnia ut cauſa principalis, conc. ſicut cauſa miniſterialis, neg. maj. utramque: nam in eo genere eſt principalis, in quo eſt cauſa univerſalis, ſc. in genere cauſæ miniſterialis inſtituit omnia; & in eodem hoc ſenſu eſt cauſa eorum miniſterialis, imò etiam in genere cauſæ meritoriæ: nam eorum omnium efficacia eſt ex meritis Chriſti.

Inſt. Si Chriſtus eſſet tantùm inſtitutor, & cauſa miniſterialis, nihil haberet ſupra puram creaturam, cui talis inſtitutio committeretur à Deo; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c. Nam talis homo eſſet cauſa miniſterialis omnium.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nulla pura creatura eſt capax tantæ excellentiæ, ac dignitatis, præciſa unione hypoſtatica, nec per conſequens tam excellentis, ac perfecti miniſterii: & præterea nemo poſſet attingere merita, quibus Chriſtus ut homo meruit efficaciam ſacramenti.

CONCLUSIO II.

Chriſtus ut homo non eſt cauſa phyſica efficaciæ ſacramentorum, benè verò moralis, ſeu meritoria. Eſt communis, & ſequitur ex dictis in tract. de Incarnatione de merito Chriſti.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd ſacramenta novæ legis à ſolo Deo habent efficaciam tamquam à cauſa principali, à Chriſto autem patiente, ſive à paſſione Chriſti habent efficaciam tamquam à cauſa meritoria*: & utrumque probat validè.

Prob. 2. quoad 1. par. Cauſa phyſica efficaciæ ſacramentorum eſt ipſa cauſa phyſica gratiæ, quam operantur; ſed hæc cauſalitas eſt propria ſoli Deo; ergo non competit niſi Deo; ergo non competit Chriſto ut homini. Min. ſupponitur ex dictis de gratia. Prob. maj. Illa eſt cauſa phyſica efficaciæ ſacramenti, à qua habet

[1] *diſt.2.q.1.F.n.7.*

habet, quod per ſui applicationem producatur gratia, quæ eſt effectus ejus; ſed hoc non habet phyſicè niſi ab eo, cui proprium eſt producere gratiam, qui eſt ſolus Deus; ergo, &c.

Prob. 2. p. 1. ex Scriptura. [1] *Chriſtus tradidit ſemetipſum pro Eccleſia, mundans eam lavacro aquæ*, &c. ſc. per baptiſmum: nam [2] *ſalvos nos fecit per baptiſma*: item, *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*. Et generaliter Deus *benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto*; ſc. omnis gratia Dei datur ex meritis Chriſti; ſc. ſumus omnes juſtificati per gratiam ipſius, *quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius*, &c. Denique *de plenitudine ejus omnes accepimus*.

Prob. 2. Nam Chriſtus ut homo eſt caput noſtrum, & ſic influit moraliter in nos gratias omnes; ſed viæ ordinariæ talium influxuum ſunt ſacramenta; ergo ſacramenta habent ſuam vim à Chriſto ut homine, & quidem ut à cauſa morali.

Objic. 1. Chriſtus ut homo dicit, *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*; ſed hoc non eſſet verum, ſi ei deeſſet poteſtas influendi phyſicè in gratias ſacramentales; ergo, &c. Prob. maj. Nam, ut Deus, haberet omnem poteſtatem à ſeipſo ex vi ſuæ generationis æternæ; ergo hoc dicit ſecundum humanitatem.

Reſp. diſt. maj. quatenùs per unionem hypoſtaticam unita eſt Verbo omnipotenti Deo, conc. quatenùs illi omnipotentia communicata ſit præcisè à Verbo, & unione illa, neg. maj. & min. non enim negamus, quin Chriſtus ut Deus operetur phyſicè gratiam per ſacramenta, ſeu in ſacramentis; ſed loquimur de actione, & influxu, qui egrediatur immediatè ab humanitate.

Objic. 2. Eodem modo influit Chriſti humanitas in effectum ſacramentorum, quo in miracula ejus; ſed in miracula influebat phyſicè; ergo & in gratiam: maj. patet: nam eadem eſt ratio de utriſque. Prob. min. niſi enim ſic influeret in miracula, ſc. phyſicè, ſed tantùm moraliter, & ut cauſa meritoria, nihil haberet ſupra reliquos ſanctos habentes donum miraculorum; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c.

Reſp. neg. min. 1 argum. & maj. 2. Nam Chriſtus habet hoc ſpeciale circa miracula ſupra cæteros, quòd illa

[1] Epheſ. 5. [2] 1. Pet. 3.

illa poteſtas debebatur illi ex vi unionis cum Verbo. 2. ex propriis meritis. 3. plenaria, & ſumma, & ad libitum; reliqui eam habent dependenter à Chriſto, & ex meritis ejus, & limitatam.

De influxu humanitatis in gratiam, & miracula diximus in tr. de Incarnatione diſp. 10. q. 1.

Igitur humanitas Chriſti influit in ſacramentorum inſtitutionem, & efficaciam; quia Deus dedit ei poteſtatem deſignandi, & determinandi res, & verba, quibus coaleſcunt, & ea publicandi, & præcipiendi Eccleſiæ ſuæ; & hæc ſic voluit inſtitui in beneficium, & ſanctificationem noſtram intuitu meritorum ejuſdem Chriſti Filii ſui, qui ſic optavit, & impetravit: Et denique ex eodem intuitu promiſit ſignis illis aſſiſtere, & ad eorum applicationem conferre gratiam ſuam ſuſcipientibus ea cum debitis forma, & diſpoſitione; imò & illa voluntas, & applicatio meritorum Chriſti adhuc in illo perſeverat in cœlis, non quidem ad novum meritum, ſed ad continuam impetrationem.

Objic. denique contra 2. p. Baptiſma, & Euchariſtia fuerunt inſtituta ante Chriſti paſſionem, & tunc operabantur gratiam; ergo non habent efficaciam ex meritis paſſionis ejus.

Reſp. diſt. ant. ante paſſionem in effectu externo, conc. in effectu interno, neg. ant. & conſ. Chriſtus ab inſtanti conceptionis voluit mori pro nobis, & mortem illam obtulit Deo pro nobis, & pro efficacia illa ſacramentorum, juxta illud Prophetæ: *In capite libri ſcriptum eſt de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui*, &c.

CONCLUSIO III.

Non poſſet Deus concedere ulli creaturæ poteſtatem completam inſtituendi ſacramenta, bene verò incompletam, & quoad deſignationem ſignorum ſenſibilium, ſc. rerum, & verborum. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quantum ad ſignationem poſſibile eſſet, quod inſtitueretur ab aliqua creatura; quia ſicut homo poſſet inſtituere ſignum ſpeculativum effectus Dei, ut patet de iſta oratione* (Deus cauſat gratiam

[1] *d. 1. q. 3. D. n. 5.*

tiam in anima) *ita poſſet imponere ſignum, quod practi-cè ſignaret Deum inviſibiliter agere; ſed non poſſet dare illi ſigno, quod eſſet regulariter certum*, &c. quia ſc. ad hoc deberet poſſe cauſare effectum, ſeu gratiam ſignificatam per illud; ergo, &c.

Prob. 2. Nam ad inſtitutionem completam ſacramenti debet auctor non ſolùm deſignare res, & verba ut ſignificent gratiam, ſed etiam dare illis certitudinem, qua res ita ſint, qualiter ſignificant; ſed hoc non poteſt Deus communicare ulli creaturæ; ergo nec inſtitutionem completam. Prob. min. Nam ille ſolus dare poteſt illi ſigno hanc certitudinem, qui poteſt ſeipſo producere illum effectum per illud ſignum ſignificatum, nempe gratiam; ſed hæc productio eſt ſoli Deo reſervata, & incommunicabilis creaturæ, ut probatum eſt ſæpè; ergo, &c.

Confir. ex eodem Doctore; Nam inquit: *Non congruit, quod Deus committat inferiori ſe inſtituere ſacramentum ut certum ſignum, ne Deus eſſet approbator ſigni falſi, vel æquivoci*; ſed ſi à pura creatura inſtitueretur aliquod tale ſignum, iſtud poſſet eſſe falſum, vel æquivocum, quia eſſet defectibile, ſicut & ipſa voluntas hominis inſtituentis; quia poſſet nolle cooperari illi ſigno, etiam ſuppoſito quocumque ſuo decreto; quod de Deo dici non poteſt; ergo, &c.

Confir. Nam inſtitutio completa ſacramenti dicit duos actus voluntatis in inſtituente. 1. actum, quo vult hanc rem, vel actionem cum his verbis, *Ego te baptizo*, &c. ſignificare interiorem animæ ablutionem: & 2. quo vult de facto animam interius ablui à peccati macula, quoties applicatur illa ablutio externa, & quidem ſemper, & infallibiliter, niſi adſit obex in accipiente; & hæc certitudo pendet à decreto illam ipſam ablutionem per gratiæ infuſionem operandi; ſed Deus non poteſt per creaturam dare hanc certitudinem ulli tali ſigno; quia voluntas hominis eſt eſſentialiter libera, & defectibilis, nec certò, & infallibiliter eſt volitura ſic agere; & quamvis eſſet ſic certò, & infallibiliter factura, adhuc illa operatio creandi gratiam non poteſt illi communicari; ergo, &c. Hinc

Prob. 2. p. Nam illa inſtitutio ſigni eſt inſtitutio ſacramenti incompleta; & quoad primum illum actum

voluntatis non repugnat creaturæ: nihil repugnat Deum dicere homini, *elige tibi res, & verba, quæ volueris, & quoties debitè fuerint applicata alicui, ego ſanctificabo illum*: ſicut cùm dicebat Achaz, *Pete tibi ſignum a Domino ſive, in excelſum ſupra*; &c. Liberum erat illi Regi eligere ſibi tale miraculum, quod voluiſſet, & Deus ad ejus electionem operatus fuiſſet illud.

Fateor tamen, talem inſtitutionem eſſe valdè impropriam, & imperfectam.

QUÆSTIO II.

De cauſa miniſtrante, qualis debeat eſſe miniſter Sacramentorum.

EFfectus ſacramenti ſuo etiam modo pendet à miniſtro, qui eſt cauſa ejus inſtrumentalis; & ideò requiruntur in eo aliquæ diſpoſitiones; ſicut & in quolibet inſtrumento requiritur aptitudo ad effectum, quem intendit cauſa principalis; & principaliter in iſto requiritur aliqua deſignatio, ſeu poteſtas, & intentio, præter alias minus principales, ut ſunt ætas, conditio, juſtitia, fides, &c. inſtrumentum, inquam quatenùs applicat materiam, & formam, ſeu ſacramentum ipſum ſubjecto capaci illius cum intentione debita.

Porrò miniſter alius eſt *ordinarius*, qui ex officio, & in quacunque occaſione poteſt miniſtrare ſacramentum, alius *extraordinarius*, qui non ex officio, nec in quavis opportunitate, ſed ex ſpeciali delegatione, vel caſu neceſſitatis hoc poteſt.

De ſingulis ſingulorum miniſtris dicemus ſuis locis. Hìc autem agimus tantùm de iis, quæ pertinent ad miniſtrum Sacramenti in genere.

CONCLUSIO I.

SOlus homo viator eſt miniſter ordinarius ſacramenti: extraordinarius autem eſt quævis creatura rationalis, etiam Angelus; imò & poſſet Deus delegare dæmoni in aliquo caſu. Eſt communis quoad 1, & 2. par.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nulla creatura rationalis excluditur a poſſe baptizare, niſi propter aliquem illorum trium defectuum: ſi deſit illi potentia loco motiva, locativa, & uſus rationis.... Dixi generaliter ſuppoſitum naturæ intellectualis, quia ſi Angelus baptizaret in corpore aſſumpto cum omnibus prædictis conditionibus, ſupponendum eſſet verum eſſe ejus baptiſmum, quia non fieret niſi de præcepto Dei... ſi etiam malus Angelus in corpore aſſumpto baptizet, & conſtaret, quod eſſet de præcepto Dei, talis habendus eſſet pro baptizato, quia oportet malum Angelum, etiam invitum, obedire Deo.* Habes totam concluſionem.

Prob. 1. p. Deputatio miniſtri ſicut ſacramenti pendet à voluntate Dei per Chriſtum; ſed non conſtat, quod Chriſtus deputaverit alios miniſtros ſacramentorum præter hominem viatorem; ergo ſolus homo viator eſt miniſter ordinarius ſacramenti. Prob. min. diſcurrendo per ſingula. Nam de Baptiſmo ad ſolos Apoſtolos dicit: *Docete omnes gentes baptizantes*, &c. 2. Ad eoſdem de Euchariſtia: *Hoc facite in meam commemorationem*. 3. De Pœnitentia: *Quorum remiſeritis peccata*, &c. 4. De Extrema unctione: *Inducat Presbyteros*, &c. 5. De Matrimonio: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; nec enim contrahitur niſi inter homines. 6. De Ordine: [2] *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur*. 7. De Confirmatione ſcribit Apoſtolus: [3] *In quo ſignati eſtis Spiritu ſancto promiſſionis*.

Prob. 2. Nam ſacramentum debet habere miniſtros ſibi proportionatos; ſed homo ſolus de ſe eſt talis; ergo, &c. Prob. min. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, & debet ſenſibiliter applicari, quod ſolus homo de ſe poteſt facere: nam nec animæ ſeparatæ, nec Angelis bonis, aut malis id competit, niſi corpora aſſumant; ergo, &c.

Confir. Nam Apoſtolus ſe, & alios vocat miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei; ergo, &c.

Prob. 3. rationibus Scoti. Nam inquit: *Congruum eſt ab homine viatore conferri baptiſmum, & non ab Angelo aliquo. 1. quia Chriſtus, qui inſtituit, homo fuit. 2. quia in ſacramento eſt aliquid ſenſibile, & aliquid ſpi-*

C 5

[1] 4. *d.* 6. *q.* 1. *A.* & *B. n.* 2. & 3.
[2] *Heb.* 5. [3] *Epheſ.* 11.

ſpirituale ; & ſic magis congruit miniſtro utenti ſenſu , & intellectu , quam pure intellectuali . 3. *Quia per baptiſmi ſuſceptionem adſcribitur aliquis , ut ſit membrũ Eccleſiæ militantis :* ergo congruum eſt hoc fieri per aliquem in illa Eccleſia , ſcilicet per hominem , & quidem viatorem .

Prob.2. & 3.p.Nihil enim repugnat Deum aliquando ad hoc miniſterium deputare Angelos bonos, imo & malos ; hoc enim pendet ab ejus arbitrio . Et certe de bonis narrantur aliquot hiſtoriæ , ut de S. Amphilochio , qui dicitur fuiſſe ordinatus Epiſcopus ab Angelo, & ejus ordinario approbata fuit ab aliis Epiſcopis , inquit Nicephorus . Et S. Michael prohibuit Epiſcopo conſecrare Eccleſiam ſuam, dicens , ſe illam conſecraſſe , &c.

Confir. ex Auguſt. [1] quod pertinet ad baptiſmi ſanctitatem . *Adeſt Deus, qui det , & homo , qui accipiat ſive per ſeipſum donante Deo , ſive per Angelum , ſive per hominem iniquum* , &c. ergo ex Auguſtino Deus poſſet dare ſacramenta , & gratiam ſacramentalem per Angelos,imò & per malos , quia quoad malitiam , & peccatum dæmon , & homo pares ſunt .

Quoad malos Angelos videtur major difficultas ; ſed tamen ſi quid obſtaret , maxime ſtatus peccati , & damnationis : nam inquit Doctor , *Deus non miniſtrat ſacramenta per excluſos finaliter a ſalute , ut ſunt dæmones* . Sed hoc verum eſt de via ordinaria ; neutra autem ratio facit repugnantiam . 1. non peccatum , quia homo peccator valide facit , & miniſtrat ſacramenta . 2. non damnatio , quia ille ſtatus non impedit, ne Deus utatur dæmonibus ad varia miniſteria tam miſericordiæ , quale eſt iſtud , quam juſtitiæ,cum per illos punit peccatores: denique id pendet à Dei voluntate .

Monet tamen Scotus , quod requireretur certitudo, quod Deus id dæmoni præcepiſſet . Ideò dixi , in aliquo caſu id fieri poſſe . Non enim eſſet credendum , quod vere baptizaret , niſi haberetur vera revelatio de præcepto divino ; tum quia *Deus non miniſtrat ſacramenta per excluſos finaliter à ſalute :* tum quia ſi non eſſet arctatus de precepto divino ad ſyncere volẽdum baptizare , ſupponendum eſt ipſum fraudulenter agere,nec complete facere ea,quæ eſſent neceſſaria ad

ſalu-

ſalutem baptizati propter inimicitiam, & invidiam.

Quæ dicimus de Angelo, dici poſſent de anima ſeparata reſumpto corpore; ſed dubium eſt, an in hoc caſu id faceret ex poteſtate ordinaria, ſicut homo viator?

Certè de valore talis ſacramenti non eſſet dubitandum, quia id talis anima ſancta non faceret, niſi ex ſpeciali deputatione Dei: ſed de poteſtate ordinaria quidam aſſerunt, quidam negant. Mihi res incerta videtur. Certè ſi aſſumeret corpus per ſimplicem aſſiſtentiam, non videtur, eum id facere per potentiam ordinariam; benè verò ſi reſumeret per veram informationem; quia tunc nulla eſſet difficultas magis, quam de homine reſuſcitato.

Objic. 1. Quidquid poteſt inferior, poteſt ſuperior; ſed homo, qui eſt inferior, poteſt miniſtrare ſacramenta ut miniſter ordinarius, & Angelus eſt ſuperior homine in ordine hierarchico; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Poteſt ſuperior diverſo modo, & in his, quæ pendent ab arbitrio alieno, neg. maj. hæc autem miniſteria dependent ab arbitrio Dei, & poſſunt ſenſibiliter in homine fieri, non autem ab Angelo per ſe præcisè.

Objic. 2. Petimus remiſſionem peccatorum ab Apoſtolis; nam Eccleſia orat: *Nos a peccatis omnibus ſolvite juſſu quæſumus*: à D. Petro, *Peccati vincula reſolve tibi poteſtate tradita, qua cunctis cœlũ verbo claudis, aperis*: ergo in Apoſtolis beatis eſt poteſtas ordinaria abſolvendi; ergo & aliorum ſacramentorum.

Reſp. neg. conſ. quia hæc ab eis petuntur, ſicut & ab aliis ſanctis, ut ea præſtent ſua interceſſione, non autem ſacramentali abſolutione.

Inſt. Si Apoſtoli reſurgerent, baptizarent, & conſecrarent eadem poteſtate, qua ante mortem; ſed hæc erat ordinaria, ergo & illa; ergo & idem nunc habent.

Reſp. neg. 2. conſ. Nam in caſu reſurrectionis retinent eandem poteſtatem, quam habuerunt ante mortem; ſed in caſu concluſionis alia eſt eorum conditio; reſumerent ſtatum viæ, quem non reſumerent illæ animæ.

Objic. contra 2. *Omnis Pontifex debet aſſumi ex hominibus, ut offerat dona, & ſacrificia*; ergo non poſſunt aſſumi Angeli ad miniſterium ſacramentorum.

Reſp.diſt. aut. debet aſſumi ex hominibus ordinariè, conc. neceſſariò,& de potentia abſoluta, neg.ant. Nam homo viator eſt quidem miniſter ordinarius; ſed Deus iſtis legibus non ligatur. Unde lex Moyſis promulgata eſt per Angelos; & multa ſimilia Deus fecit per illos, quæ fieri ſolent per homines.

Objic.2.Sacramentum debet exerceri vitaliter ſive in agendo, ſive in loquendo; ſed Angelus in corpore aſſumpto non ageret vitaliter; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi fieret per miniſtrum ordinarium, conc.ſi per extraordinarium, neg. maj. & conſ. Nam Angelus eſſet miniſter extraordinarius; & ad hoc ſufficeret qualiſcumque materiæ applicatio, & locutio, modò eſſent ſenſibiles.

Objic. 1. contra 3. p. Si Deus committeret adminiſtrationem ſacramenti diabolo, eſſet auctor ſacrilegii; nam iſte miniſtraret in ſtatu peccati mortaliſſimi; ſed conſ. repugnat; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus: nam in eo caſu diabolus miniſtraret invitus, & juſſu Dei, & ſic non peccaret, nec faceret ſacrilegium.

QUÆSTIO III.

Quæ fides, & probitas requirantur in miniſtro Sacramenti.

DUbium hoc tangit primò infideles, & non baptizatos. 2. hæreticos, qui errant pertinaciter in aliquo puncto fidei. 3. catholicos, qui in ſtatu peccati mortalis exiſtunt. 4. eoſdem aliquos, qui ſunt de numero reproborum. & 5. excommunicatos, aut ſuſpenſos, vel interdictos.

Novatiani in 3. ſæculo dixerunt, Sacramenta collata ab his, qui ſunt extra Eccleſiam, non valere etiam quoad ſubſtantiam: imò & S. Cyprianus cenſebat, ab hæreticis baptizatos iterum eſſe baptizandos. Donatiſtæ irrita cenſebant ea, quæ ab impiis conferebantur dicentes, requiri in miniſtro fidem, & ſanctitatem. Idem tenebant Valdenſes, & Albigenſes, VVicleffiſtæ, & Huſſitæ,qui hoc idem docebant de reprobis, ita ut apud eos Sacramenta non valerent, niſi à prædeſtinatis reciperentur.

De

De infidelibus dicemus, ubi de baptiſmo; nam cum in aliis requiratur aliqua poteſtas in miniſtro, quam non habent non baptizati, certum eſt, eos non poſſe valide ullum miniſtrare. De matrimonio illorum dicemus ſuo loco.

CONCLUSIO.

Q*Uacumque malitia miniſter ſit malus ſive hæreſis, ſive ſchiſmatis, ſive morum, ſi intendat facere, quod facit Eccleſia, & ſervet modum Eccleſiæ, confert vere Sacramentum*. Ita Scotus [1] loquens in terminis de baptiſmo. *Uno verbo, non eſt neceſſaria in miniſtro Sacramenti fides habitualis, nec ſanctitas, ut valide faciat*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex eodem. [2] Nam inquit 1. *Placuit Chriſto inſtituenti Sacramentum, ut malitia miniſtri non impediret illud, nec ejus effectum*; quia ipſemet Chriſtus eſt ille, qui baptizat inviſibiliter, dum ille homo baptizat viſibiliter: [3] *Hic eſt, qui baptizat*; & congruum fuit Chriſtum ita ſtatuere. 1. quia rationabile eſt Deum aſſiſtere ſigno practico a ſe inſtituto, ne vacuum ſit. 2. ſi valor Sacramenti dependeret a bonitate miniſtri, rarus eſſet ille valor, & incertiſſimus; *non eſſet in magnum remedium viatoris, ſed quaſi communiter in detrimentum*: nunquam poſſet eſſe quis certus ſe eſſe baptizatum, ſed ſemper anxius viveret.

Prob. 2. ex Conciliis, in quibus illi errores condemnati ſunt. Nam præter Stephanum I. qui reprobavit duo Concilia Provincialia, in quibus Præſules Africani ſtatuerant baptizatos ab hæreticis rebaptizandos, & contrarium definivit, in Concilio Nicæno admittitur baptiſmus omnium hæreticorum, exceptis Paulianiſtis, teſte Hieronymo: & in Arelat. I. [4] ubi ſic ſtatuitur de Arianis... *Si ad Eccleſiam aliqui de hac hæreſi venerint, interrogent eos noſtræ fidei Sacerdotes Symbolum; & ſi præviderint eos in Patre, & Filio, & Spiritu S. baptizatos, manus iis tantum imponant* (ſc. Chriſmationem conferant) *ut accipiant Spiritum S.* Et in Carthaginienſi I. petebatur, *interrogatus in Trinitate ſecundum Evangelii fidem ... ſi liceat*

[1] 4. *d.* 5. *q.* 1. *A. n.* 4. [2] *ibid.*
[3] *Joan.* 10. [4] *c.* 8.

teat iterum interrogari in eadem fide, & aqua iterum intingi: Univerſi Epiſcopi dixerunt, abſit, illicitas eſſe ſancimus rebaptizationes; ergo cenſent validum fuiſſe Sacramentum illud, licet ab hæreticis datum, In Conſtantienſi ſeſs.8. & denique in Trident. [1] ubi decernitur: *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum, anathema ſit*: Et quamvis ibi non fiat mentio de hæreſi, ſed tantum de peccato mortali, tamen ſub nomine illo tenent Theologi comprehendi peccatum hæreſis, inquit Kakeranus.

Confir. ex Patribus, & perpetua traditione Eccleſiæ. Nam inquit Vincentius Lirinenſis: [1] *Agrippinus Carthaginienſis Epiſcopus primus omnium mortalium contra univerſalis Eccleſiæ regulam, contra divinum Canonem, contra morem, & inſtituta majorum rebaptizandum eſſe cenſebat*; ergo hæretici valide baptizant, ſicut & peccatores.

Confir.2. ex praxi hodierna: quia Eccleſia non rebaptizat Lutheranos, & Calviniſtas venientes ad fidem. Dixi autem, *ſi ſervetur modus debitus*: nam ſi hæretici illi adhiberent aliam materiam, aut formam eſſentialiter differentem ab ea, quam a Chriſto accepit Eccleſia, ut faciebant Paulianiſtæ, qui non ſervabant debitam formam, non enim baptizabant in nomine SS. Trinitatis, quam non credebant; ideo eorum baptiſmus erat invalidus; & qui ab eis erant baptizati, rebaptizabantur, non autem alii ab aliis hæreticis venientes: *Si quis confugerit ad Eccleſiam Catholicam a Paulianiſtis, & Cataphrigis, ſtatuum eſt eos rebaptizari debere*, Concilium Nicænum [3]

Prob. denique. Nam miniſter ſacramenti non confert gratiam, ſed Deus ipſe per manum, ſeu miniſterium ejus; ergo ſicut lux Solis non polluitur, nec minus clara eſt, licet tranſeat ſuper lutum, aut ſterquilinium, ita nec Sol juſtitiæ Chriſtus Deus minus ſanctificat animas per manus lutoſas, & fœtidas malorum miniſtrorum.

Objic.1. Scriptura ubique in ſacerdotibus, ac miniſtris Dei ſanctitatem exigit ſub gravibus pœnis, ut cum legi-

[1] *ſeſſ.7.c.7.* [2] *n.44.* [3] *cap.19.*

legimus: [1] *Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiam eos*. Ideo Aaron, & filii ejus lavabant manus, & pedes ingreſſuri tabernaculum, & acceſſuri ad altare, & ſtatuerat Deus, [2] *ut qui haberet maculam, non offerret panes Deo*. 3. per Pſalmiſtam [2] dixit peccatori: *Quare tu enarras juſtitias meas . . . tu vero odiſti diſciplinam?* Et, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum*. 3. per Sapientem: [4] *Spiritus S. diſciplina effugiet fictum . . .* Item, (5) *Ab immundo quis mundabitur? . . . qui baptizatur a mortuo, quid prodeſt lavatio ejus?* 4. Per Prophetã: [6] conqueritur Deus: *Facta eſt plebs mea mihi ſicut aqua mendax, non habens fidem*, ſc. requiritur fides in ſervientibus Deo. 5. ex novo teſtamento: [7] *Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus?* Item, [8] *Non poteſt arbor mala bonos fructus facere*, ſcil. malus miniſter gratiam conferre. Item, *Deus peccatores non exaudit*. 6. denique prius Apoſtoli recipiunt ſanctitatem, quam miniſterium ſacramenti pœnitentiæ, in quo remittunt peccata: *Accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata*, &c. ergo ſanctitas, & puritas a peccato requiritur in miniſtro ad valorem, ſeu ad effectum ſacramenti in ſuſcipiente.

Reſp. neg. conſ. vel diſt. ad licite miniſtrandum, con. ad conferendum valide, neg. conſ. Nam in noſtris ſacramentis gratia non confertur per modum impetrationis ex parte miniſtri, ſed per modum collationis, quæ fit a Deo inviſibiliter ad applicationem viſibilem ſacramenti: *Paulus baptizet, hic eſt, qui baptizat*, ſc. Deus, & ſic abſolute, & de neceſſitate ſacramenti ſufficit, quod miniſter faciat ſacramentum debito modo, applicando ſc. rem, & verba inſtituta a Deo cum debita intentione; & Deus ex parte ſua aſſiſtit miniſtro, & per ſe confert gratiam, quam promiſit: & ſic loca illa non faciunt ad rem iſtam.

Objic. 2. ex Patribus; nam inquit Auguſt. *Mali miniſtri remiſſionem peccatorum non dant*: & illud, *Quorum remiſeritis peccata, Chriſtus non dixit raptoribus, & fœneratoribus*. Et Ambr. *Eſt in aliquibus aqua mendax; non ſanat baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed pol-*

[1] *Exod.* 19. [2] *Levit.* 21. [3] *Pſal.* 49. 140.
[4] *Sap.* 1. [5] *Eccl.* 34. [6] *Hierem.* 15.
[7] *Matth.* 7. [8] *Item* 9.

polluit. Et Innocentius, *Qui perfectionem ſpiritus, quam acceperant, perdiderunt, non poſſunt ejus plenitudinem dare*, &c. ergo mali miniſtri non conferunt valide Sacramenta.

Reſp.neg.conſ. non eſt enim miniſter malus,qui dat remiſſionem, ſed Deus, qui eam dat, & Spiritum S.& gratiam per miniſtros.

Inſt. Peccator adminiſtrans Sacramentum illud profanat, & polluit; ſed per actum profanationis non fit Sacramentum; ergo, &c.

Reſp.diſt.maj. profanat in ſe,& pro ſe ipſo, conc.in aliis, & pro aliis, neg.maj. & conſ. *Baptiſmus Chriſti verbis Euangelicis & conſecratur, & per adulteros, & in adulteris ſanctus eſt; quia ſanctitas ejus tolli non poteſt... vera ſolis, aut lucernæ lux, cum per cœnoſa diffunditur, nihil inde ſordium contrahit*, inquit Auguſtinus.

Objic. 3. Tam debet eſſe irritum Sacramentum defectu legitimi miniſtri, quam defectu debitæ materiæ aut formæ; ſed iſte defectus irritat Sacramentum; ergo & ille.

Reſp.diſt.maj. defectu miniſtri, ſi deſit ei poteſtas, vel intentio debita,conc. ſi deſit ei probitas,neg. maj. & conſ. & ratio negati petitur ex fundamento concluſionis: non enim Chriſtus voluit alligare vim ſacramenti, & miſericordiæ ſuæ beneficia bonitati miniſtrorum, quia nimis incerta eſt, & nimis incerta, & fallibilia redderet ſacramenta.

Objic. denique Agrippinum, Cyprianum, & alios Sanctiſſimos Patres, & Epiſcopos, qui docuerunt irrita eſſe ſacramenta ab hæreticis data, & accipientes rebaptizabant; ſed hoc non feciſſent Sancti illi viri, & Pontifices, ſi putaſſent baptiſmum ſic datum valere; ergo, &c.

Reſp. cum Scoto, Patres illos ita ſenſiſſe ex errore; quia id nondum fuerat ab Eccleſia definitum; & Cyprianus quidem paulo ferventius ſuam opinionem ſuſtinuit; ſed tamen promptus fuit ſentire aliter, ſtatim ac Eccleſia id determinavit: peccavit autem venialiter, quia nimis aſſeruit illud, quod nec auctoritatem, nec rationem cogentem habuit.

CON-

CONCLUSIO II.

Miniſter conficiens ſacramentum in ſtatu peccati mortalis peccat mortaliter. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui ſatis hoc indicat dicens, eum, qui petit ſacramentum ab homine peccatore, non cooperari peccato ejus; quia hic petens *magis neceſſitat ſacerdotem ad pœnitendum*, (ut ſine novo peccato conferat) *quam ad actum peccandi*; ergo cenſet ſacerdotem exiſtentem in peccato mortali, cum petitur ab eo ſacramentum, peccare mortaliter, ſi non eliciat actum contritionis, antequam conferat ſacramentum.

Prob. 2. ex Scriptura cit. in objectionibus contra præcedentem: nam ex his habetur, ſaltem ſine gravi peccato ſancta non debere tractari, niſi a ſanctis, & mundis, & requiri munditiam in miniſtris Dei.

Confir. ex aliis locis; ut cum dicitur de ſacramentis, & cæremoniis antiquæ legis, quæ cum eſſent inferioris longe ſanctitatis, & efficaciæ, quam noſtra; ſummam tamen exigebant munditiem in miniſtris. Prob. ant. Nam de offerentibus munus, & incenſum dicitur: [1] *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus*. Et ad filios Aaron dicitur: [2] *Omnis homo, qui acceſſerit . . . ad ea, quæ conſecrata ſunt . . . in quo eſt immunditia, peribit coram Domino*. Et Iſai. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*. Et apud Pſalmiſt. [3] *Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat*, &c. ergo, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Et 1. SS. Pontifices Gregor. [4] *Neceſſe eſt mundas eſſe manus ejus, qui diluere ſordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet*. Et Nicol. I. ad Conſul. Bulg. *Mali bona miniſtrando ſe tantummodo lædunt*, &c. Et Auguſt. [5] *Sacramenta cùm obſint indigne tractantibus, proſunt tamen condigne ſumentibus*, &c.

Prob. denique ratione. Nam 1. qui contra præceptum Dei, & Eccleſiæ agit in re gravi, graviter peccat; ſed qui in ſtatu peccati miniſtrat ſacramenta, agit contra præcepta Dei, & Eccleſiæ, ut patet ex Scripturis, & Patribus citatis; ergo graviter peccat. 2. Ex omnium ſenſu

[1] *Levit.* 21. [2] *c.* 22. [3] *Pſ.* 100.
[4] 1. *Ep.* 24. [5] *cont. Parmen.* 10.

ſenſu evidens eſt, quod qui ſacramenta conficit, & adminiſtrat in peccato mortali, facit gravem irreverentiam rei ſanctiſſimæ, ac ipſi Deo, cujus perſonam, & miniſtrum agit; ergo graviter peccat. *Omnes dicimus, quia juſtos eſſe oportet tanti judicii miniſtros*, inquit Auguſt. [1] *quippe* [2] *ſecundum judicem populi, ſic & miniſter ejus*.

Objic. 1. Peccator, qui conficit, & confert ſacramenta indigenti, facit actum charitatis; ergo per illum actum non peccat novo peccato.

Reſp. diſt. conſ. quatenus præciſè illa collatio eſt actus charitatis, conc. quatenus eſt actus ſacramentalis, neg. conſ. Nam ut eſt actus circa rem ſacram, exigit munditiam, ſeu innocentiam cordis, ſi eſſet in alia materia, quam ſacra, non eſſet novum peccatum, quia non eſſet irreverentia, nec profanatio.

Inſt. Si hæc ratio valeret, omnis homo, qui conficeret, aut tangeret rem omnem ſacram in peccato mortali, committeret novum peccatum; ſed hoc eſt falſum; ergo & quod dare ſacramentum in peccato ſit novum peccatum. Maj. patet: nam eadem eſt ratio de omnibus. Prob. min. nam Epiſcopus, qui in peccato mortali confert tonſuram, vel benedicit oleum, vel conficit Chriſma, benedicit Eccleſiam, &c. non peccat de novo, ſaltem mortaliter. Idem eſt de Diacono cantante Euangelium in miſſa, & de concionatore, &c. ergo, &c. nam hæc omnia ſunt ſacra.

Reſp. diſt. maj. rem ſacram, & ſanctificantem, aut per ſe pertinentem ad ſacramentum, conc. maj. & neg. min. rem ſacram non ita pertinentem ad ſacramentum, neg. maj. & conſ. Unde forte Epiſcopus, aut Presbyter conficiens ſacramentalia non peccat novo peccato mortali, ſed veniali; quia in his non eſt tanta irreverentia, ſicut in ſacramentis, per quæ homo confert ſanctitatem ut miniſter Dei. Non eximerem tamen Epiſcopum a mortali, ſi in eo conferat tonſuram, & alia, quæ ſunt illi dignitati propria; quia creſcit irreverentia ex dignitate miniſterii. Idem dico de diacono, & ſubdiacono propter ſanctitatem ſacrificii, & ſacramenti, cui cooperatur in miſſa. Nam docet Apoſtolus, [3] *debere diaconos eſſe pudicos, non bilingues .... habentes miniſterium fidei in conſcientia pura*.

Alio-

[1] *tr.* 5. *Jo.* [2] *Eccl.* 10. [3] 1. *Tim.* 3. 9.

Aliorum minorum ordinum actus cum non ita proxime ſpectent ad ſacramenta, fortè non ita graviter, nec ideo mortaliter peccat in illis. At de concionatore nollem illum excuſare a mortali, conſiderans illud; *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, tu vero odiſti diſciplinam?* & Vide Caſuiſtas. Docet D. Thom. [1] quod *quidquid facit homo, quod ſibi competit ex ordine facit indigne, quod juſtum eſt, injuſte exequitur, & per hoc mortaliter peccat*: de concionatore, & docente Scripturam vide eundem.

Objic. 2. Sequeretur contrahentes matrimonium in peccato noviter peccare duplici peccato; quia ſunt ſimul miniſtri, & recipientes illius ſacramenti; ſed conſ. eſt durum; ergo, &c. Prob. min. Nam facere, & recipere matrimonium ſpectant ad eandem virtutem religionis, & per eundem actum, qui eſt velut immanens.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam matrimonium eſt verum ſacramentum; nec minor ei debetur reverentia tum in miniſtro, tum in ſuſcipiente, quam aliis. Quod autem indiviſibiliter recipiatur, & miniſtretur, & intra eandem virtutem religionis, nihil facit, modò ſint duæ malitiæ, ſaltem æquivalenter.

Objic. 3. Nequidem poſſet miniſtrari Euchariſtia in neceſſitate ſine novo peccato: & ſic ſemper, & toties iteranda eſſet confeſſio ſacramentalis; ſed hoc eſſet onerosiſſimum, imò & ſcandaloſum; nam hoc videntes judicarent ſacerdotem eſſe in peccato mortali; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam illud onus ſibi imponit ſacerdos, & miniſter, quoties peccat. Idem de ſcandalo: illud enim ſibi procurat.

Inſt. Si fidelis in mortali exiſtens tangeret Euchariſtiam, non peccaret mortaliter; ergo neque eam Sacerdos diſpenſans, quia iſte non facit aliud, quam tangere.

Reſp. neg. conſ. quia ſacerdos id facit ex officio; ad quod eſt conſecratus & ad finem ſanctificationis activæ, non autem ille fidelis: nam hoſtia non ſanctificat præciſe per contactum, ſed per acceptationem, & in ratione ſacramenti: denique actus ille contactus non eſt ſacramentalis, ſicut diſpenſatio illa.

Quæ-

[1] 4.*d*.24.*q*.1.*a*.3.*d*.19.*q*.2.*a*.2.*ad* 4.

Quæres, *Quid ſi urgeret neceſſitas, & caſus, quo homo eſſet moribundus, deberetque tam cito baptizari, vel abſolvi, ut miniſter non haberet tempus deponendi mortale ſuum per confeſſionem, aut contritionem?*

Reſp. quod poteſt quidem accidere caſus, in quo non adſit tempus, vel copia confeſſarii ad confitendum, ſed non caſus, in quo non poſſit conteri.

QUÆSTIO IV.

An miniſter debeat negare ſacramentum indigne petentibus.

NOmine *indigni* non intelligitur ſubjectum incapax, qualis eſt fœmina reſpectu ſacerdotii; ſed intelligitur homo in peccato exiſtens, per quod ſit incapax gratiæ ſacramentalis; alioqui eſſet capax illius. Peccatum autem aliud eſt *publicum*, quod majori parti civitatis, aut viciniæ notum eſt, in qua ſint ſaltem decem homines collecti, aut per judicis ſententiam; aliud *occultum*, quod ſcil. non eſt ita notum, ſed vel ſoli miniſtro, vel paucis admodum. De utroque peccatore, ſc. publico, & occulto quæritur, an miniſter debeat illi concedere, vel negare ſacramentum.

Suppono autem, non requiri in miniſtro certitudinem de bona diſpoſitione interna petentis ſacramentum; hæc quippe ſcientia reſervatur ſoli Deo. Quæſtio ergo procedit de illo, quem ſciret miniſter eſſe in peccato mortali, & petere ſacramentum cum obice ad gratiam ſacramenti, & effectum ejus.

CONCLUSIO I.

N*On licet miniſtrare ſacramentum publico peccatori*. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Script. [1] *Nolite ſanctum dare canibus*. Et, *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus*: Per canes autem intelliguntur peccatores, juxta illud, [2] *Famem patientur ut canes*: ergo, &c.

Prob. etiam ex SS. Patribus, qui hoc idem docent, maxime de Euchariſtia; & præcipue id prohibetur in Ri-

[1] *Matth.7.* [2] *Pſal.68.*

Rituali Romano: [1] *Arcendi ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, meretrices, concubinarii, &c.*

Prob.3. Nam 1. qui ſic miniſtraret, peccaret graviter contra religionem; ergo &c. Prob.ant. Nam religio dictat res ſacras non eſſe profanandas, nec ſic miniſtrandas, ut careant fructu; ſed ſacramentum collatum indigno profanatur, & caret fructu; ergo, &c. 2.peccaret contra charitatem: nam cooperaretur peccato,& perditioni animę ſuſcipientis; ergo & ipſe miniſter peccaret.Prob. ant. Nam ſic eſſet cauſa peccati, & ſacrilegii, quod committit ſuſcipiens indigne: v. g. qui Euchariſtiam *manducat indigne, reus erit corporis Domini;* ergo qui corpus illud dominicum porrigit peccatori, cooperatur illi ſacrilegio.

Confir. Nam *peccatoris vita eſt vilior luto*, inquit Sapiens; ergo qui porrigit ſacramentum ſive corporis Chriſti, ſive aliud homini, quem ſcit eſſe indignum, & peccatorem, quaſi projicit illud in lutum, & atrociter illud polluit.

Objic. Chriſtus dedit ſuum corpus Judæ proditori, & indigniſſimo; ergo miniſter, qui daret illud alteri peccatori, imitaretur Chriſtum.

Reſp. neg. conſ. Nam peccatum Judæ tunc erat occultum, imo & cognitum per ſcientiam non humanam: non ita eſt de peccatore publico.

Inſt. Per iſtud peccatum non eſt excommunicatus; ergo non debet illi negari ſacramentorum participatio; quia jus habet ad illa ut Chriſtianus.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam per peccatum mortale ceſſat eſſe vivum membrum Chriſti, & Eccleſiæ, eſt membrum mortuum, licet non ſit præciſum per formas exteriores.

CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt, miniſtrum ſacramenti non debere illud negare peccatori occulto publice illud petenti; bene vero ſi petat privatim, aut poſſit declinare ſine ſcandalo; niſi tamen illud peccatum ſciret ex confeſſione.* Eſt communior quoad 1. par. contra Card. de Laurea, & communiſſima quoad reliquas.

Prob.

[1] *de ſacr. Euchar.*

Prob. 1. p. ex Rituali Rom. [1] quod ſic habet, *Occultos vero peccatores, ſi occulte petant & non eos emendatos agnoverit, repellat; non autem ſi publice petant, & ſine ſcandalo, ipſos præterire nequeat*; ergo, &c.

Prob. 2. exemplo Chriſti, qui non negavit ſacramentum corporis ſui Judæ hominum peſſimo, ſeu ut non cognito tali ab Apoſtolis; nec ipſius peccatum voluit illis petentibus revelare; ergo nec ulli ejus miniſtro licet manifeſtare peccatum occultum.

Prob. 3. Nam de jure naturæ prohibemur diffamare proximum; ſed miniſter diffamaret illum, cui publice denegaret ſacramentum; ergo, &c. Prob. min. Nam cum non debeat denegari niſi peccatori, per illam repulſam publicam publicaretur ejus peccatum.

Prob. denique ex praxi Eccleſiæ, de qua conſtat ex Rituali cit. Nam ex illa praxi colligitur, talem eſſe Chriſti voluntatem. Et certe prudenter ita ſe gerit: nam ſi liceret miniſtris ſic repellere fideles, imo ſi ad id tenerentur, multa inde gravia ſcandala, & mala orirentur: multi innocentes infamarentur ex indiſcreto zelo, vel ex malitia miniſtrorum; multi averterentur a frequentatione ſacramentorum, timentes talem injuriam; adſtantes perturbarentur; jurgia, rixæ, & lites accenderentur, & odia, &c.

Prob. 2. 1. p. quia tunc valent illæ rationes præcedentis concluſionis non profanandi ſacramenti, nec illud exponendi, & non cooperandi peccato ſuſcipientis, & ceſſant motiva, propter quæ Eccleſia ſolet potius conferre ſacramentum indignis occultis, qui publice petunt, quam eos cum ſcandalo, & diffamatione repellere; ergo tales recte poſſunt, & debent repelli a ſacramentis.

Prob. 3. pars: quia, ut ſuppono ex dicendis de ſigillo confeſſionis, nunquam ſacerdos (ſaltem externe) debet uti notitia habita ex confeſſione ſacramentali; ergo ſi peccatum petentis Euchariſtiam non novit niſi ex confeſſione ſacramentali, non debet ei negare illam. Prob. ant. ex communi ſenſu Eccleſiæ: unde non poteſt inde uti tali cognitione ad reum convincendum, vel alio modo judicandum, quam ſi reatum ejus prorſus ignoraret.

Confir-

[1] *de ſacr. Euchar.*

Confir. quia ſecretum confeſſionis ſacramentalis eſt juris naturalis, & divini, & Eccleſiaſtici; ergo nunquam licet illud violare: & prævalet juri non exponendi ſacramenti; quia Chriſtus mavult iſtud infringi, quam illud, & maxime quia unum ſacramentum violaretur propter aliud, ſc. confeſſio propter Euchariſtiam, & homines deterrerentur ab illius frequentatione, & potius eligerent communicare indigne, quam per confeſſionem peccata ſua expiare; & inde naſcerentur plura, & majora ſacrilegia. 1. ant.prob. ex Scoto.[1]Nam confeſſarius tenetur ad ſecretum ex charitate, fidelitate, veracitate, & unitate ſervanda, ita ut nulla poteſtas humana poſſit præcipere revelationem dictorum in confeſſione.

Objic. 1. contra 1.par.Peccator occultus non minus eſt peccator, quam publicus; ergo non magis ei debet dari ſacramentum; quia non minus in eo profanatur, nec minus id prohibetur a Deo.

Reſp.neg.conſ.& ant.prob.quoad utramque p.1.quia magis diffamatur ſacramentum ex infamia ſuſcipientis, ex qua oritur ſcandalum apud eos, qui norunt ejus indignitatem. Non ita eſt de peccatore occulto, in quo aliunde læderetur charitas, & juſtitia per diffamationem, quam ex repulſa pateretur: & hæc fuerunt motiva Chriſto, & Eccleſiæ aliter ſtatuendi de iſto, ac de illo.

Inſt. Charitas, & juſtitia non magis urgent ad non diffamandum peccatorem occultum, quam ad contemnendum Deum, & non profanandum ſacramentum, & ipſum corpus Chriſti; ergo ad tuendam famam petentis non debet illi dari ſacramentum, quod in illo fœdatur, & profanatur. Prob. ant. quia charitas,& religio illa reſpiciunt Deum ipſum; ergo tanto magis urgent ad non dandum ſacramentum indigno, quanto magis Deus eſt præferendus creaturis.

Reſp. neg. ant. & conſ.prob Nam Deus ipſe non cõtemnitur, nec peccatur contra cultum, & charitatem illi debitam, quando agimus juxta regulas ab eo præſcriptas per Eccleſiam. Hæc autem præcepit concedi ſacramentum occulto peccatori, qui publice illud petit, ut patet ex fundamentis concluſionis.

Inſt. 2. Non ſunt facienda mala, ut eveniant bona; ergo

[1] 4.*d.*21.*q.*1.*E.& F.n.*7.*&* 8.

ergo non debet miniſter peccare, nec profanare ſacramentum, ut ſervetur fama peccatoris.

Reſp. neg. conſ. & ſuppoſitum ant. Nam cum miniſter in hoc caſu concedit ſacramentum, non peccat; nec Deus offenditur ex parte miniſtri; quia hic facit, quod debet.

Inſt. 3. Miniſter iſte non minus cooperatur peccato ipſius petentis, quam publici peccatoris; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam ſicut indignitas iſtius eſt tota occulta, ita & totum iſtud peccatum ſuſceptionis ſacrilegæ; & hoc peccatum eſt principaliter in ipſa voluntate interna ſuſcipiendi indigne, cui voluntati non cooperatur miniſter, niſi quoad externum actum; in quo non eſt prima, & eſſentialis malitia. Et denique ad hoc miniſter ſe habet potius permiſſive, quam poſitive, & id facit quaſi invitus, ut obediat legi naturali, & poſitivę Divinæ, & Eccleſiaſticæ.

Objic. 2. Non licet dare corpus Chriſti petenti illud ad conculcandum, aut in ſterquilinium projiciendum; ſed hæc tota injuria committitur ab indigno; ergo nec iſti debet dari.

Reſp. 1. quod ſi hæc voluntas ſoli miniſtro nota ſit, quod accidere poteſt, adhuc dubitarem, an publice petens repellendus ſit a menſa; quia hic militant omnes rationes concluſionis.

Reſp. 2. neg. min. nam qui ea intentione petit ſacramentum, vult illud profanare externe æque, ac interne, & occulte: alter autem non inhonorat ſacramentum, niſi occulte.

Quæres, *An tunc liceret ſacerdoti porrigere huic hoſtiam non conſecratam, & ſic decipere petentem?*

Reſp. negative, de quo alias.

Quæres 2. *An unus ſponſorum, qui novit alium eſſe in peccato mortali poſſit illi negare conſenſum matrimonialem; nam contrahentes ſibi mutuo ſunt miniſtri hujus ſacramenti.*

Reſp. pro nunc eodem modo in hoc caſu reſpondendum, ac de aliis ſacramentis proportione ſervata; eadem eſt de omnibus ratio; ſed de hoc ſuo loco, ſicut & de variis dubiis circa miniſtrationem Euchariſtiæ.

Concluſio autem ſupponit, miniſtrum non poſſe aliter declinare collationem Sacramenti, quam mani-

nifeſtando crimen petentis indignè: nam ſi poteſt cautè, & prudenter eum vitare, v. g. fingendo ex parte ſua impedimentum aliquod, vel impotentiam &c. tenetur id tentare, quantùm poteſt; & fortè idem liceret in caſu, quo peccatum ſciret ex confeſſione; in quo tamen caſu cautior eſſe debet. Vide Caſuiſtas.

Dixi autem, *probabiliter*: nam ſententia contraria, negans ſc. dandum eſſe abſolutè Sacramentum occulto peccatori publicè petenti, licèt ſit minùs communis, tamen non caret probabilitate, ut videre eſt apud Cardinalem noſtrum Brancatum, qui eam ſuſtinet abſolutè.

Quoad 2. autem p. non video difficultates ullius momenti, quæ poſſint objici contra illam, præter objectiones, quæ adducuntur contra præcedentem concluſionem. Et certè ſi quid probarent pro peccatore publico, probarent à fortiori pro occulto; in hoc enim non adeo dehonoratur Sacramentum; quia cùm indignitas ſit occulta, ita & injuria, quæ fieret Sacramento; ſed tamen cenſeo abſolutè non debere illi concedi.

QUÆSTIO V.

De intentione miniſtri in adminiſtratione, & confectione Sacramenti, an, & qualis eſſe debeat.

HÆc quæſtio gravis eſt non ſolùm inter Catholicos, & hæreticos, ſed etiam inter ipſos catholicos. Nam Lutherus inter articulos ejus damnatos ſub Leone, cùm dicebat, quòd ſi per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut ſacerdos non ſeriò, ſed joco abſolveret, ſi tamen [1] credat ſe eſſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus; quia ſacramenta debent excitare fidem de recipienda Dei promiſſione, & per eam fidem accipit de facto juſtificationem. Idem aliis verbis exorbitantibus garrit Calvinus.

Intentio eſt actus voluntatis tendentis in aliquem finem, ſeu ſibi proponentis, & volentis finem aliquem conſequendum, & eò dirigentis id, quod agit; & alia

[1] *Contrit. ſ.* 7.

& alia eſt *actualis*, quando intellectus, ſeu volitio coexiſtit actioni, per quam proſequimur finem volitum. 2. alia *virtualis*, quæ non ita per ſe coexiſtit actioni, ſed per aliqua media, quæ antecedunt volitionem finis, & executionem; ſed tamen ſemper illa fiunt ex virtute illius primæ volitionis: v. g. vocor ad ſacrum, elicio actum volitionis celebrandi, & conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti juxta ritum Eccleſiæ, & ex vi talis volitionis ſumo veſtes ſacerdotales; accedo ad altare, & cætera perficio uſque in finem; ſed poſt primos illos actus veſtiendi nihil ampliùs cogito de illa intentione, & actus ejus phyſicè præteriit, nec durat, niſi per connexionem actuum ſequentium cum illis primis, quos habebam cum illa. Hanc vocat Doctor *mediam inter actualem, & habitualem*, quia eſt imperfectior *actuali*, & perfectior *habituali*. De *virtuali* non loquuntur antiquiores Theologi, & eam confundit S. Thomas cum *habituali*, ſed modò eſt notiſſima omnibus.

3. *Habitualis* eſt vel habitus acquiſitus ex multis volitionibus, & inclinans ad ſimiles, vel eſt ipſa intentio actualis præterita in tantum durans moraliter, quatenus non eſt retractata; ſed non aliter influit in opus, quàm ſi non extitiſſet.

4. *Interpretativa* dicitur 1. qua quis exteriùs taliter ſe gerit, dum operatur, ut videatur intendere finem, quem ſolent homines intendere per tales actus, quamvis nec actu, nec habitu de illo fine cogitet: dicitur *interpretativa*, quatenus omnes, qui vident eum ſic agere, putant, & debent moraliter putare, quòd finem illum intendit, qui ſolet intendi. 2. *interpretativa* dicitur ea, qua quis aliquid intendit non in ſe immediatè, ſed in cauſa tantum: v. g. quis novit herbam eſſe venenoſam, & eam manducat, cenſetur velle ſe occidere.

Hæc autem contingere poteſt 1. ſi prævidens effectum ex cauſa ſecuturum vult ponere cauſam illam ut talem; v. g. vult comedere cicutam, ex qua prævidet ſibi mortem inferendam; & ſic utrumque vult, ſc. cicutam directè, & mortem indirectè, ſeu interpretativè, ſc. in cauſa. 2. ſi nullo modo velit illum effectum, ſed purè cauſam in ſe abſolutè, vel ex alio fine; v. g. cicutam ex curioſitate.

Deni-

Denique alia eſt *abſoluta*, alia eſt *conditionata*, quarum notio evidens eſt. Quæritur ergo an omnes iſtæ intentiones ſufficiant in miniſtro, ut valeant ſacramenta.

Præterea quando aliquis conficit ſacramentum, v. g. quando baptizat, vel reſpicit nudè, & materialiter ipſas actiones externas applicandi aquam puero, & pronuntiandi ſuper eum verba conſueta, *Ego te baptizo*, nihil ulterius cogitans, quàm illas actiones phyſicas, perinde ac ſi non eſſent ſacræ, nec inſtitutæ à Deo, nec quidquam operarentur in puero: vel 2. reſpicit in illis actionibus externis aliquam ſanctitatem ex Dei ordinatione, & Eccleſiæ praxi, ſaltem confusè, ita ut cogitet illos actus exercere, ſecundum quod vidit ea practicari in Eccleſia: vel 3. ſciens, quòd in his actibus conſiſtit ratio ſacramenti habentis vim gratiam conferendi illi puero, ſuper quem illos exercet; & ex illa intentione hoc facit.

Hæretici volunt, primam illam intentionem purè ad actus externos terminatam ſufficere: Catholici verò requirunt neceſſariò, & ad minus 2. de 3. autem nullus dubitat.

CONCLUSIO.

AD valorem ſacramenti neceſſaria eſt in miniſtro aliqua intentio, ſaltem generalis, & confuſa faciendi, quod facit Eccleſia, aut quod fecit Chriſtus. Eſt communis contra cit. hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui 1. docet, *miniſtrum debere habere intentionem reſpectu actus, quem exercet; alioqui non ageret ut homo* (ſc. liberè) *non exerceret actum humanum, propriè loquendo de actibus humanis, qui ſc. cauſantur per intellectum, & voluntatem,* &c. *eſt enim actus, ad quem Deus obligavit miniſtrum ex parte ſui; ſed hoc non ſufficit, ſed requiritur prætereà, ut ſaltem intendat finem proximum hujus actionis vel in particulari, ut ſi intendat iſtum* (quem baptizat) *intrare legem Chriſtianorum ſervandam, vel in generali ſaltem ſi intendit facere circa iſtum, quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos*, &c.

Prob. 2. ex definitionibus Eccleſiæ. Nam Martinus

(1) *d.6.q.5. B. & C. 3. & 4.*

nus V. in Concilio Conſtantienſi, & Eugenius IV. in Florent. pro inſtructione Armen. id expreſsè docent; & noviſſimè Trident. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum ſacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia, Anath. ſit*. Et Alexander VIII. anno 1690. inter 31. propoſitiones damnatas hanc recenſuit: [1] *Valet baptiſmus collatus à miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat; intus verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo quod facit Eccleſia*; ergo huic contradictoria eſt tenenda, ſc. ut cum ritu externo baptiſmi adſit interna intentio faciendi, quod facit Eccleſia.

Confir. ex Scriptura dicente Apoſtolo, *Sic nos exiſtimet homo ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*; ſed nullus poteſt dici verus miniſter Chriſti, nec diſpenſator, ſaltem fidelis, qui rem ſibi commiſſam non agit ex intentione mittentis Chriſti, nec myſteria diſpenſat cum rationis judicio; ergo &c. Prob. min. Nam qui per actionem externam baptiſmi non intendit facere, quod facit Eccleſia, vel quod facit Chriſtus, ſed quod faceret diabolus per ſua ſigna, ageret ut miniſter diaboli, & myſteria Chriſti diſpenſaret nomine diaboli.

Confir. 2. Nam pro ſacramento pœnitentiæ dixit Chriſtus, *Quorum remiſeritis peccata*; ſed non poſſunt remitti peccata interiora animæ ſine voluntate, & intentione; ergo in miniſtro pœnitentiæ requiritur intentio id faciendi. Prob. min. Simplex nuntius, vel apparitor, qui nuntiaret veniam à Principe conceſſam reo, non diceretur illi remittere peccata; & quidem perinde fungeretur ſuo munere, quamvis id nolens, & invitus nuntiaret; ergo cùm ſacerdoti committatur non declaratio, vel publicatio remiſſionis peccatorum, ſed ipſa remiſſio, requiritur in illo intentio, ſeu volitio ſyncera remittendi, aut ſaltem in hoc miniſterio faciendi, quod intendit, & facit Eccleſia.

Prob. 3. Non poteſt homo validè agere nomine alterius in translatione dominii remiſſivè condonatione, aut donatione, quæ valeat in foro interno, niſi facere velit, quod vult principalis ille, cujus gerit mi-

[1] *ſſ.7.can.* 11.

miniſterium; ſed miniſter ſacramenti ſe gerit ut miniſtrum Chriſti, & Eccleſiæ; ergo ut valeat ſacramentum in foro interiori, debet habere intentionem, ſeu voluntatem, quam habet Chriſtus, vel Eccleſia. Prob. maj. Qui donat aliquid nomine alterius, ſive ut miniſter ejus, non transfert dominium rei donatæ in donatarium in foro interiori, ſi fictè donat, aut ſi non donat ex intentione illius, cujus miniſtrum agit, ſed ex propria, vel diaboli intentione; ergo qui agit ut miniſter alterius, debet agere ſecundum ejus intentionem; alioqui eſt miniſter falſus, & non verus: dico, *in foro interiori*: nam in civilibus, & mundanis non attenditur ad actus internos.

Prob. 4. ex Scoto. Actus ſacramentalis eſt actus humanus, non autem actus purè naturalis, ſeu agentis ex determinatione naturæ; eſt actus agentis ex electione, & rationabiliter; ſed de ratione talis actus humani eſt, ut fiat ex intentione finis illius; ergo actus ſacramentalis debet fieri ex intentione finis ſui; ſed hic finis eſt ille, quem intendit Chriſtus, vel Eccleſia, vel effectus, qui ex illo eſt producendus, ſc. gratia; ergo &c.

Objic. 1. Deus in gratiis largiendis non dependet ab intentione miniſtri, nec illum expectat, ſed potius prævenit; ergo intentio miniſtri non eſt neceſſaria ad valorem, & efficaciam ſacramenti. Prob. ant. ex Script. Nam Jacob obtinuit benedictionem præter intentionem Iſaac; ergo & baptizati præter intentionem miniſtri.

Reſp. neg. ant. utrumque. Nam ſi Deus vellet dare gratiam independenter ab intentione baptizantis v. g. fruſtra inſtituiſſet baptiſmum. Et Iſaac verè intendebat benedicere filium præſentem, licèt illum putaret eſſe Eſau; tamen ex intentione benedicebat.

Objic. 2 Baptiſmus Lutheranorum, & Calviniſtarum eſt validus, ſed illi non habent intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, nec gratiam conferendi; ergo &c. Prob. min. quia non credunt Eccleſiæ Romanæ; nec in ſacramentis agnoſcunt efficaciam iſtam, ſed tantùm cenſent ea valere ad excitandam fidem, & quòd hoc faciunt independenter ab intentione miniſtri.

Reſp. neg. Maj. Nam intendunt facere, quod juſſit

Chriſtus, & quod facit vera Eccleſiá, quæcumque illa ſit, vel quod faciunt veri Chriſtiani, licèt errent circa finem proximum, qui eſt gratiæ cauſatio.

Objic. 3. Sequeretur, ſalutem noſtram eſſe incertiſſimam; dependeret enim ab intentione, & malitia, aut fidelitate miniſtri; & ſemper anxii eſſemus, an ſimus verè baptizati, abſoluti, ordinati, &c. ſed hæc ſunt abſurda, & inconvenientia; ergo &c.

Reſp. neg. ſeq. nam hæc dependentia non debet facere anxietatem, ſed moralem certitudinem. Neque enim licet dubitare de fidelitate miniſtrorum Dei; & ſi aliquando ex perverſitate alicujus id accideret, Deus aliunde provideret ſaluti ſuſcipientis; aut certè ex aliquo ſecreto Dei judicio accideret: nec incertitudo vitatur perfectè in ſententia dicentium, ſufficere ſignum externum. Nam in illo poſſent etiam decipi. Infantes non diſcernunt poſitionem debitæ materiæ, & formæ; & aſtantes, & adulti poſſent etiam non attendere ad omiſſionem, mutationem, aut additionem aliquam eſſentialem formæ: in Euchariſtia ſacerdos profert ſecretò formam conſecrationis; & ſic de aliis; ergo hæ rationes non ſufficiunt ad deferendam communem doctrinam Eccleſię de neceſſitate intentionis.

Objic. 4. ex Patribus. S. Chryſoſtomus (1) dicit, miniſtrum conferre tantùm linguam, & manum in ſacramentis. Auguſtinus videtur non dubitare, quin baptiſmus verbis Euangelicis collatus ſit validus. Et alibi (2) docet, ſe non timere *adulterum, non ebrioſum, non homicidam, quia columbam attendo*, inquit, *per quam mihi dicitur: Hic eſt, qui baptizat*. Item dubitat, an baptiſmus ficte, jocosè, aut mimicè datus, vel acceptus valeat, & ſit approbandus: & ad hoc dubium ſolvendum cenſet implorandum alicujus revelationis oraculum. Et denique Patres docent, quòd in ſacramentorum adminiſtratione non attenditur ad dantis conſcientiam, ſed ad virtutem Chriſti, cujus nomine conferuntur; alioqui ſalus hominis eſſet incerta; ergo nihil facit intentio.

Reſp. neg. conſ. Nam ibi Patres illi loquuntur de malitia miniſtri, & defectu ſanctitatis, non de defectu intentionis. Chryſoſt. docet, gratiam, & vim ſa-

cra-

[1] *ho.* 8. *Jo.* [2] *tr.* 5. *Jo.*

cramenti non dependere à ſacerdote, qui non confert niſi ſacramentum externum; ſed non excludit intentionem, quæ naturali nexu comitatur omnem actum humanum. Auguſtinus ibi non loquitur de actualiter ebrio; alioqui non magis ageret liberè, & humanitùs, quam ſomnians, vel demens. In 2. autem loco ſic loquitur, donec definitum, aut revelatum ſit, quid ſentiendum, ſc. vel in aliquo regionali, vel plenario concilio hæc tractata ſint; & id ſecurè aſſereret, quod in gubernatione D. N. J. Chriſti .... univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Unde cùm in Conciliis plenariis Florent. & Trident. definitum ſit, requiri in miniſtro ſacramentorum intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ea fuit mens Auguſtini.

Objic.5. Intentio medici nihil facit ad effectum medicamenti; ergo nec intentio miniſtri ad effectum ſacramenti. Prob. conſ. Nam verba, & res ſacramenti, quæ miniſter applicat, non habent ab eo vim curandi animam potiùs, quàm herbæ, vel potiones à medico vim curandi corpora: vis ſacramenti, & effectus ejus ponitur à ſolo Deo: ergo non magis habet efficaciam à miniſtro, quàm medicamētum à medico.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. à ſolo Deo mediante applicatione debita ſigni ſenſibilis, con. abſolutè, & ſimpliciter, neg. ant. Nam Deus ea conditione voluit aſſiſtere ſacramentis, ſi debitè applicentur à miniſtris; & ut debitè applicentur, debent iſti attendere, & intendere id, quod Deus voluit ab eis intendi. Nec valet comparatio medici, nec medicinæ. Nam ſi potio fieret, aut applicaretur ab amente, aut fęmina, vel ſumeretur ab ægroto, non minùs ſanaret, quod non dicetur de ſacramento, niſi adſit debitè miniſtrans.

Inſt. Intentio miniſtri non ſe tenet ex parte ſacramenti: ergo non eſt neceſſaria ſacramento. Prob. conſ. Sacramentum ex ſe eſt ſignum ſenſibile; ſed intentio nihil facit ad ſenſibile; ergo nec ad ſacramentum.

Reſp. neg. conſ. & diſt. maj. prob. ſignum ſenſibile inſenſibiliter operans, con. ſenſibiliter tantùm operans, neg. maj. & diſt. min. pariter nihil confert ad ſenſibilitatem ſignificationis naturalis, & ſpeculativæ, con. ſignificationis internæ, & practicæ, neg. min.

Nam ad ſignificationem naturalem ſufficit ablutio, & prolatio verborum, cum qua idem ſignificaret in ore Pſitaci, quod in ore hominis; & panis cum forma conſecrationis in ore fœminæ, aut pueri, quod in ore ſacerdotis; ſed ad ſignificationem ablutionis ſpiritualis per gratiam, aut tranſubſtantiationis panis in corpus Chriſti requiritur intentio miniſtri, qua velit hæc operari per ſigna iſta.

Inſt. 2. Illa intentio eſſet intrinſeca, vel extrinſeca illi ſigno, ſeu ſacramento; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob.min. 1. non intrinſeca; nam res purè interna, & inſenſibilis non poteſt eſſe de intrinſeca ratione ſigni ſenſibilis. 2. non extrinſeca; nam poſſet eſſe ſacramentum ſine illa; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. quoad 2. p. Nam inquit Scotus(1)quòd intentio requiritur ex parte cauſe efficientis, quæ eſt extrinſeca; *Sicut cauſa efficiens requiritur neceſſariò ad ipſum* (ſacramentum ut ſignum ſenſibile) *tanquam extrinſeca, ita ut illud, quod eſt quaſi principium agendi tali cauſæ effectivæ; principium autem agendi determinans ultimatè agens intellectuale ad agendum, eſt intentio &c.* quia hæc illud determinat per aliquale imperium, ſeu motum voluntatis, ſaltem eſt conditio neceſſaria ex parte cauſæ efficientis.

Objic. 3. Eccleſia approbavit baptiſmum à pueris, & à mimis deriſoriè collatum, & receptum; ſed in his nulla erat intentio faciendi, ſed potiùs deridendi, quod faciebat Eccleſia; ergo &c. Prob. maj. nam approbavit baptiſmum datum ab Athanaſio adhuc puero aliis pueris inter ludendum: & Geneſius in theatro mimum agens, & ritu Chriſtiano baptiſmum ſuſcipiens in deriſionem Chriſtianorum tantam gratiam accepit ex ſacramento illo ſimulato, & profanato, ut inde Chriſtianus evaſerit, & martyr: ergo &c.

Reſp. 1. neg.maj.& ant.prob. nempè hiſtorias illas: neque enim ita ſunt certę, ut ex eis certa conſequentia inferri poſſit. Eo tempore, quo id narratur de Athanaſio, non poterat ampliùs eſſe puer, ut probant Chronologiſtæ. De Geneſio etiam ferunt diversè martyrologia. Et præterea ſi baptiſma fluminis non valuit, ſupplevit baptiſma ſanguinis. Deinde qui bapti-

[1] *Ibid. n.* 9.

baptizabat, potuit ſeriò intendere, quod faciebant Chriſtiani, & ipſe Geneſius idem cupere, ut experiretur, num vanæ eſſent illæ cæremoniæ.

Objic. denique. Miniſter hic non ſe habet ut cauſa principalis, ſed ut inſtrumentum reſpectu effectus ſacramenti; ſed inſtrumentum non agit ex ſe, nec motu proprio, ſeu cum intentione; ergo &c.

Reſp. ut inſtrumentum animatum, & diſpoſitivum ad effectum principalis agentis, con. maj. & neg. min. ut inſtrumentum mortuum, & non agens niſi ut motum, neg. mai. & conſ. Nam miniſter ſacramenti eſt homo, & agens ut homo, ſc. motu proprio per formam propriam, ſc. per rationem, & voluntatem; & ideò in illo requiritur, ut intendat facere id, ad cujus miniſterium aſſumitur.

CONCLUSIO II.

Ad valorem ſacramenti non ſufficit, ut intentio nude reſpiciat opus externum, v. g. ablutionem, & prolationem verborum eo ritu, quo celebrantur ab Eccleſia nude, præſcindendo ab hoc, quod ſint ſacramenta, ſeu ſigna rei ſacræ, & inviſibilis: ſed requiritur intentio illos actus exercendi, quatenus ſacramentales ſunt. Eſt communior contra recentiores aliquot.

Iſti docent, quòd, *ut ſacramentum perficiatur ſatis ſit, ſi miniſtro adſit intentio exteriorem ritum celebrandi eo modo, quo celebrat Eccleſia;* neque neceſſaria eſt intentio vel effectum ſacramenti producendi, vel ritum illum, ut ſacer eſt, aut ſacramentum celebrandi: nec demum occulta intentionis pravitate, aut retentione maligna ſacramentum, aut effectus ejus impeditur. Ita Du Hamel: (1) imò & quamvis ſacerdos nolit agere tanquam Eccleſiæ miniſter, ſed internè ex malitia, vel impietate dicat, *Hoc in ritu nec me gero, nec me volo gerere tanquam Eccleſiæ miniſtrum. Imò cæremoniam hanc externam, ſeu Catechumeni ablutionem cum expreſſa Trinitatis invocatione conjunctam modo tantùm profano intendo celebrare.* Ita Juvenin. [2]

Prob. 1. ex Scoto cit. Nam poſtquam dixit, quòd *oportet, miniſtrum habere intentionem reſpectu actus,* D 5 *quem*

[1] *c. 4. n. 2.* [2] *pag. 21. & 22.*

quem exercet, addit, quòd *requiritur intentio finis proximi in generali*, ſc. intendit facere circa iſtum, quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos: id probat, quia *Deus voluit iſtum actum exercitum à miniſtro eſſe in eo humanum, & non tantùm ut eſt talis actus in natura, quia in hoc non diſtingueretur à quacumque alia balneatione cum aliis verbis; ſed in quantum eſt actus alicujus ut miniſtri exercentis ſignum Dei, habens autem aliquem actum humanum*; &c. ergo miniſter intendit finem proximum actus, &c.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis cit. Nam debet ſacerdos velle facere, quod facit Eccleſia per illas cæremonias; ſed Eccleſia facit eas ut ſacras, & ſacramentales, & non ut profanas; ergo & miniſter debet eas velle facere ut tales. Maj. patet ex verbis relatis ex Tridentino. Florentinum dicit, quòd *ſacramenta conficiuntur rebus, & verbis, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*. Et mihi efficaciſſimus videtur hic alius locus Tridentini: (1) *Quamvis abſolutio ſacerdotis alicujus beneficii ſit diſpenſatio; tamen non eſt nudum miniſterium vel annuntiandi Evangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata, ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo velut à judice ſententia pronuntiatur: atque adeò non debet pœnitens de ſua fide ſibi blandiri, ut etiamſi .... ſacerdoti animus ſerio agendi, & verè abſolvendi deſit, putet ſe abſolutum coram Deo*, & Profectò hæc verba mihi videntur decidere quæſtionem pro neceſſitate intentionis internæ.

1. Si ſolùm attendat, & intendat nudam impoſitionem manuum, & prolationem verborum ſuper pœnitentem, imò faciat ea intentione, ut ſint nuda ſigna externa, & profana, quomodo abſolutio erit divini beneficii diſpenſatio? 2. ſi non fiat ut res, vel actio ſacra, nequidem erit declaratio remiſſionis internæ, nec annuntiatio Evangelii, nequidem ita perfectè, ut faceret, ſi ea recitativè pronunciaret. 3. Actus verè judicialis non ſit aliud intendendo, vel aliud cogitando, quàm abſolutionem rei; ſi judex volens condemnare reum proferret verba abſolutoria, eſſet ne vere iſte abſolutus; & ille actus judicis eſſet ne verè actus judicialis? 4. Ille judex, qui volens ligare, pro-

(1) *ſſ*. 14. *cap*. 9.

proferret ex tribunali verba abſolutoria, non cenſeretur agere ſeriò, nec verè, ſed mendaciter, & falſo, & ironicè abſolvere. 5. Sacerdos per virtutem Spiritus Sancti acceptam in ordinatione ſe gerit ibi ut Chriſti miniſtrum, & functionem exercet remittendi peccata; ergo niſi intendat agere ut Chriſti miniſter, & remittere peccata, nihil facit.

Confir. quia ſi Chriſtus nihil commiſiſſet Apoſtolis præter nudum illud, & externum miniſterium, quod potuiſſent exercere ut miniſterium mundanum, ſaltem ex animo, non præmiſiſſet infuſionem internam Spiritus Sancti: quid neceſſe erat dicere, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis &c.*

Confir. 2. Si Apoſtolus, aut ſacerdos non intendit ſolvere animas, & earum peccata miniſterialiter, non ſolvit, nec ligat verè, ergo nec Deus in Cœlo ſolvit peccata principaliter, & auctoritativè. Prob. conſ. Nam Deus non ligat, aut ſolvit, niſi quæ ſuper terram ligat, aut ſolvit Sacrdos. *Quæcunque ligaveritis* &c. Profectò Deus intuetur cor, non manum ligantis, aut ſolventis, & quidem ſolventis jocosè, mendaciter, & impiè, ut accidit in illis, qui hæc facerent ut actiones profanas ex intentione oppoſita divinæ. Mitto alia ſimilia incongruentia ex illa opinione ſequentia.

Prob. 3. ex allata propoſitione damnata. Nam opinio adverſa omninò coincidit cum illa, quidquid dicat Juenin cit. Summus Pontifex damnat iſtam; *Valet baptiſmus collatus à miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intùs verò in corde ſuo apud ſe reſolvit, non intendo, quod facit Eccleſia.* Auctores verò iſti dicunt; *Sacramentum valet, ſi miniſtro adſit intentio exteriorem ritum celebrandi eo modo, quo celebrat Eccleſia; neque neceſſaria eſt intentio ritum illum, ut ſacer eſt, aut ſacramentum, celebrandi, nec demum occulta intentionis pravitate, aut retentione maligna ſacramentum, aut ejus effectus impeditur.*

1. Ambo conveniunt de intentione terminata purè ad ritum externum. 2. licèt iſti dicant ritum, quem Eccleſia celebrat, ſemper tamen ſiſtunt in celebratione externa, & materialiter, ac phyſicè conſiderata; nec in hoc differt hæc propoſitio à prima,

quæ *omnem ritum, & formam baptizandi* uſitatam ab Eccleſia obſervat. 3. utrique excludunt neceſſiatatem intentionis faciendi, quod facit Eccleſia: nam neutri reſpiciunt ritus illos ut ſacros, & ut ſacramenta intendunt *eos ritus celebrare modo tantum profano*. Videant Theologi, an Eccleſia nequidem extrinſecè velit, illos celebrare ut profanos, ſeu *modo tantùm profano*: talis expreſſio videtur paulò durior in materiis religionis.

Unde Juveninus(1) reſpondet 1. ad illam cenſuram, *in Provinciis chriſtianis non habere vim ullam decretum tranſalpinum, niſi ab ipſo Papa immediatè emanaverit*. Iſtud verò tribuit Inquiſitoribus Romanis. Sed video illud tribuit Papæ, non autem congregationis S. Officii; ergo vim omnem habet.

Reſp. 2. propoſitionem damnatam eſſe falſam, ut jacet. Nam inquit, quòd ſacramenti ritus fieri poteſt exterius abſque eo, quod ſacramentum conficiatur; ſc. ſi vel non agatur ſeriò, ſed joco, & mimicè, aut ſi deſit aliqua circumſtantia exterior, & requiſita, ut videatur agere tanquam Eccleſia miniſter, & ejus nomine. Ideò validè non baptizat, qui à nemine poſtulatus domi cum expreſſa Trinitatis invocatione infantem abluit, ſi intra ſe reſolvat, quod fert propoſitio damnata. *Non intendo, quod facit Eccleſia*. Igitur tota vis reſponſionis eo reducitur, ut externè non appareat, quòd jocoſe, aut deriſoriè agat, licèt revera ita ſit; & ut tam perfectè imitetur ritus Eccleſiæ, ut non appareat externè ab ejus miniſterio alienus.

Contra 1. Ergo fruſtra eſt in miniſtro omnis conſecratio interior ad miniſterium, ſed ſufficit externa deputatio Eccleſiæ. Nam interna per ſacram ordinationem nihil confert; non enim datur, ut agere poſſit modo profano in his, quæ ſunt ſacerdotis; & nihil internum in iis confert: & qui falſas litteras ordinationis oſtenderet, ita ut crederetur ritè; & verè ordinatus, & exactè celebraret ſecundum omnem ritum Eccleſiæ, validè celebraret, & conficeret Euchariſtiæ ſacramentum, & abſolveret peccatorem in confeſſione. Prob. conſ. Nam iſte vere ſe gereret ut Eccleſiæ miniſter quoad omnia externa, & tota vis, &

(1) *Ibid. pag.* 24. & 25.

& ſubſtantia ſacramenti eſt in ritu externo.

Contra 2. quia videtur implicare in terminis, ut velit homo ſerio, & non jocoſe agere ut miniſter Eccleſiæ, & non agere juxta intentionem ejus, cujus miniſtrum agit; implicat in terminis, ut velit agere ut miniſter conſecratus, & non velit facere ut rem ſacram id, quod agit ex vi conſecrationis. Certe non poteſt atrocius derideri Eccleſia, vel res ſacra, quam ſi quod illa jubet fieri ut ſacrum, & ſacramentum, fiat modo, & intentione profana.

Contr. 3. Nam qui verba conſecratoria proferret ſine ritu ſuper materiam debitam, non minus valide licet illicite conſecraret, quam qui cum omni ritu; ergo ritus exterior non facit ad validitatem ſacramenti præciſe ab intentione. Nam rurſus qui verba conſecratoria extra miſſam pronuntiaret recitative, v. g. legendo epiſtolam, aut aliam ſcripturæ partem, non conſecraret; bene vero qui conſecratorie proferat eadem verba; ergo externus ritus non validat ſacramentum ſine interna intentione.

Inſtat ille Theologus: [1] Cæremonia externa, quam celebrat is, qui ſerio exterius ſe exhibet miniſtrum Eccleſiæ, eſt eſſentialiter idem cum ſacramento: unde qui ſic illum ritum peragit, velit, aut nolit, credat, aut non credat, verum conficit ſacramentum: ſicut is, qui ceram in figuram humanam diſponit, velit, nolitve, hominem exhibet. Ita qui ſerio ritum agit extrinſecum, ſeu materiam, & formam, ut par eſt, applicat, velit, nolitve, ſacramentum conficit.

Contra. Nam comparatio illa eſt inter cauſas phyſicam, & moralem; & inde ſequeretur, quod ſicut quilibet homo poſſet figuram, & imaginem hominis in cera exprimere, ſi ſecundum regulas artis ageret; ita eſſet de ſacramento, ſi ritum exteriorem ſervaret, & ſe diceret agere ut miniſtrum Eccleſiæ, imo neque id eſſet neceſſarium. Nam deputatio illa Eccleſiæ nihil conferret ad perfectionem externam rituum: ſicut eſt de moneta fabricata in eadem ſpecie auri per monetarium deputatum a Principe, & per falſarium, eſſet ejuſdem valoris phyſici, ſed non moralis. Denique ſicut figulus formaret non hominem, ſed ima-

[1] *Ib. d.*

imaginem hominis: ita ſacerdos imaginem ſacra-menti, non vero ſacramentum ederet.

Contra 2. Nam ſicut qui irriſorie ceram efforma-ret, & applicaret ſigillo, tam vere faceret imaginem quam qui ſerio; ergo & qui jocoſe perageret cœremo-nias ſacramentales; ſed hoc eſt contra adverſarios ergo &c. Hinc

Prob.4.concl. quia Chriſtus non ita inſtituit ſua ſa-cramenta, ut velit virtutem ſuam ſpernaturalem tribuere, aut alligare ſignis profanis, & quæ non applicantur ex intentione miniſtrorum; ergo illa in-tentio requiritur. Prob. ant. Nam ſacramenta ope-rantur gratiam phyſice, vel moraliter; ſed utroque modo concurrere debet intentio miniſtri; ergo &c. Prob. ſi phyſice cauſant gratiam, debet illis imprimi aliqua virtus ſic operativa; ſed hoc non fit, niſi in-tendat miniſter; ergo &c. 2. ſi moraliter: ergo Deus ipſe gratiam operatur ad exigentiam ſacramenti, ſeu ſigni; ſed ipſum ſignum ex ſe, & independenter ab intentione miniſtri non ſic exigere poteſt; eſt enim res de ſe ad hoc indifferens; ergo &c.

Prob. denique ex ratione Scoti, quæ eſt etiam [1] S. Thomæ. Omnis actus de ſe indifferens ad ſignifi-candam rem ſacram, aut profanam debet determi-nari ab aliquo, ut ſit ſacer; ſed actus ſacramentales, v. g. ablutio, & verba, *Ego te baptizo* &c. ſunt indiffe-rentes ad ſignificandas res ſacras, aut profanas, v. g. ablutionem corporalem, aut ſpiritualem; ergo per aliquid debent determinari ad ſignificandam ablutio-nem corporalem, aut ſpiritualem, ſc. animæ per gratiam; ſed non poſſunt determinari ad hoc ſignifi-candum, niſi per intentionem internam miniſtri; er-go hæc requiritur ad valorem ſacramenti. Prob. ſubſ. Nam cætera omnia, quæ in his aguntur, ſunt æqui-voca; imo potius de ſe ſignificant effectus tam cor-porales, quam ſpirituales, & humanos, quam di-vinos; v. g. mulier poteſt abluere puerum ſuum, & infundens aquam poteſt ex pietate dicere ſuper eum, *Ego te abluo*, ſeu *baptizo in nomine* &c. *Ea, quæ in ſacramentis aguntur, poſſunt diverſimode agi* (inquit S. Thomas) *ſicut in baptiſmo ablutio aquæ poteſt ordi-nari & ad munditiam corporalem, & ad ludum* &c.

Confir.

[1] *3.p.q.64.a.8.*

Confir. Nunquam enim credam, quod, ſi Judæus fortuito, & inconſiderate ablueret puerum ſuum, & diceret verba æquivalentia formæ baptiſmi ſacramentalis, nihil tamen de illo cogitans, tunc puer ille eſſet vere baptizatus.

Prob. denique concluſio ex præcedenti. Nam rationes omnes faciunt pro intentione interna.

Objectiones pariter ſunt ibi ſolutæ, ſaltem principales; unam addo ex Auguſt. & S. Thoma: [1] nam inquit Auguſt. *Parvuli ſpiritualem gratiam non tam percipiunt ab eis, quorum geſtantur manibus, quam ab univerſa ſocietate ſanctorum, & fidelium. Tota mater Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, facit.* Et S.Thom. [2] *Hæc intentio exprimitur per verba, quæ in ſacramentis dicuntur;* ſed verba ſignificant externe independenter ab intentione loquentis; ergo ex his SS. Doctoribus intentio interior miniſtri nihil facit ad valorem ſacramenti, modo adſit actus exterior.

Reſp. neg. conſ. Nec enim eſt ad mentem horum Sanctorum. S. Auguſtinus ibi loquitur de intentione parentum offerentium pueros, non autem miniſtrorum; *Non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur:* & quoad S. Thomam [3] monet Cajet. eum non eſſe ſic intelligendum, quaſi velit, quod ſufficit intentio Eccleſiæ per verba expreſſa, quidquid intendat ipſe miniſter; hic enim ſenſus contradicit expreſſe doctrinæ auctoris in ult. hujus quæſt. art. dicentis, quod ſi miniſter non intendat ſacramentum conferre, talis perverſitas tollit veritatem ſacramenti. Imo & in hoc ipſo art. cit. *ideo requiritur ejus intentio, qua* (miniſter) *ſe ſubjiciat principali agenti, ut ſc. intendat facere, quod facit Eccleſia.*

CONCLUSIO III.

I*Ntentio actualis optima eſt, ſed non eſt abſolute neceſſaria; virtualis ſufficit, non autem pure habitualis.* Ita communiter.

Prob. 1. ex Soto. [4] *Dico, quod ſola intentio habitua-*

[1] *Ep.23. ad Bonif.*
[2] *Ibid.* [3] *Ibid.*
[4] *Ibid.q.6.B.2.*

bitualis non ſufficit in baptiſmate: quia propter iſtam non datur actus, licet ſit ei conformis actus humanus.. nec requiritur in baptizante ſemper intentio actualis; quia non obligavit Deus hominem ad impoſſibile, vel nimis difficile, cujuſmodi eſt non diſtrahi. Ex his concludo, quod ſufficit in baptizante intentio virtualis, hoc eſt, quod aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua deſcendit nunc vere actus baptizandi.

Prob. 1. p. quia poſito quod aliqua intentio requiratur, non poteſt requiri perfectior, quam actualis, quæ comitatur totum opus, & per quam omnis intentio vim ſuam habet.

Prob. 2. p. Nam, ut dicebamus ex Doct. Deus impoſſibilia, nec difficiliora jubet; ſed fragilitati, aut levitati noſtræ intentio actualis durante tota functione ſacramentali eſt difficilior, & fere impoſſibilis; ergo ad eam Deus noluit obligare.

Confir. quia ex natura rei non videtur major voluntatis applicatio, & directio, quam quod in virtute ejus fiat opus; ſed ad hoc non eſt neceſſaria intentio actualis durante tota operatione, ut mox patebit; ergo &c.

Prob. 3. p. 1. quia ſi actualis non eſt neceſſaria; ergo ſufficeret virtualis; quia poſt illam hæc eſt perfectior, & vim habet ab illa.

Prob. 2. Nam ad valorem actionis requiritur, & ſufficit, quod illa imperetur, & fiat ex vi intentionis alicujus actualis ſive mediate, ſive immediate; ſed hoc præſtat intentio virtualis; ergo requiritur in defectu actualis, & ſufficit. maj. patet ex dictis de actibus humanis. Prob. min. Nam intentionem virtualem dicimus illam, quæ licet tranſierit quoad actum, manet tamen in effectu ſuo, qui ex vi ejus, & per aliquem influxum mediatum producitur; ergo &c.

Prob. 3. Nam ad valorem actus humani ſufficit intentio virtualis; ergo & ad ſacramentum; non enim hic major requiritur, quam in aliis actibus, etiam meritoriis. Prob. ant. Nam ad rationem actus humani non major requiritur intentio, quam quod ſit voluntarius, & liber in ſe, vel in cauſa; ſed habet hoc ab intentione virtuali deficiente actuali; ergo &c.

Prob. 4. p. 1. ex Scoto; quia intentionem pure habitua-

bitualem habet dormiens; ſed dormiens non conficeret ſacramentum, licet omnem ritum externum perficeret applicando veram materiam, & formam; ergo &c. maj. patet: nam dormientes multa faciunt ex habitu æque exacte, ac ſi vigilarent; & tamen hæc eis non imputantur ad meritum, nec demeritum; ergo &c.

Prob. 2. ex eodem. *Nam*, inquit, *propter illam intentionem actus non dicitur humanus: nam ſi aliquis habens habitum inclinantem ad ſanitatis deſiderium, ſi curatur, nullo modo intendens ſanitatem, ſed ludum, non dicitur ſanari per aliquem actum humanum, ſed caſualiter, vel fortuito non magis, quam ſi non habuiſſet intentionem ad ſanitatem*; ergo &c.

Prob. 3. Intentio habitualis vel eſt habitus comparatus ex multis intentionibus actualibus alias elicitis, vel ipſe actus volendi alias elicitus, & non retractatus; ideoque moraliter durans; ſed talis habitus, vel actus non influit in actus, nec facit illos humanos, & morales; ergo nec influit in actum ſacramentalem, ut ſit humanus, & liber. Prob. min. quia quæ facimus pure ex habitu, ſæpe non cogitamus, nec advertimus magis, quam dormientes, qui ex habitu loquuntur, recitant lecta, cantant, ſaltant, &c. Et quantum ad actum præteritum, ſæpe, cum agimus, non recordamur ejus magis, quam ſi non præceſſiſſet; ergo intentio mere habitualis non influit in actum ſacramentalem magis, quam ſi non extitiſſet.

Objic. contra 2. p. Ad ſacramenti valorem requiritur intentio, quæ influat, & cauſet in ſuo genere actum illum; ſed intentio non poteſt ſic influere, niſi ſit actualis; ergo &c. Prob. min. Omnis cauſa realis debet coexiſtere ſuo effectui; ſed intentio non coexiſtit ſuo effectui, niſi ſit actualis; ergo &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. maj. debet coexiſtere ſaltem virtualiter, con. formaliter, & per ſe, neg. maj. Projiciens lapidem poteſt mori antequam lapis perveniat ad ſcopum, & feriat: & præterea intentionis influxus eſt potius moralis, quam phyſicus reſpectu ultimi effectus: nam voluntas influit per modum imperii.

Objic. contra 4. p. Applicatio ſacrificii valet ex intentione habituali; ergo & confectio ſacramenti.

Ant.

Ant. patet ex communis ſenſu : & certè niſi ſufficer intentio habitualis pro valida applicatione, ſæpi deficeret ſatisfactio : nam qui propoſuit alicui app care novenam, aut quindenam, &c. & ſic celebr per reliquos dies poſt miſſam primam, aut 2. nih amplius cogitans de illa intentione uſque in ultima diem, non ſatisfaceret: prob. conſ. non minor r quiritur intentio ad applicationem ſacrificii, quam a ipſum conficiendum ; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam cum propoſitu applicationis ſit quædam donatio, ex ipſo inſtanti pr miſſionis fructus ſacrificiorum eſt acquiſitus illi, c donatus eſt ; ſicut ſi tibi promitto pecuniam, qua habiturus ſum cras, aut per hebdomadam, illa ti ex momento promiſſionis, & donationis eſſet acqu ſita, donec aliter paciſceremur.

Objic. 3. Intentio habitualis ſufficit in ſuſcipien ſacramentum ; ergo & in miniſtro. Prob. conſ. nc major requiritur intentio ad conficiendum, quam a ſuſcipiendum valide : imo ſacramenti valor plus pe det à diſpoſitione ſuſcipientis, quam miniſtri.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam patet de pueris quod non requiritur in eis intentio : ſuſceptio ſacr menti non eſt actus humanus, ſicut confectio ; ſuff cit, quod non ſit obex, ut illud operetur. Non d res adminiſtrationem bonorum tuorum amenti, poſſes ei largiri bona.

CONCLUSIO IV.

INtentio indirecta, ſeu interpretativa non ſufficit nec conditionata de futuro, bene vero de præſenti aut de præterito. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] quatenus vult, intenti nem miniſtri talem eſſe, ut agat humano modo, influat in effectum, conjungaturque illi. Nam i tentio interpretativa non ſic conjungitur cum ſacr mento, ſaltem per ſe ; ergo non ſufficit Et pro 2. dicit, quod *ſi interponatur aliqua conditio, quæ no extat, utpote ſi ego ſum omnipotens, ego te baptizo* .. *&c. nihil fit, quia eſt conditio non ſubſiſtens*, ait H quæus.

Prob.

[1] *d.* 3. *q.* 2. *N.* 11.

Prob. ergo 1. p. Nam intentio interpretativa, ſaltem in 1. & 3. ſenſu non cauſat per ſe Sacramentum; ergo non ſufficit ad ſacramentum. Prob. ant. Tunc intentio influit in effectum, cum imperat actus ordinatos, vel ordinabiles ex natura ſua ad effectum; ſed hoc non facit intentio interpretativa, & indirecta, de qua loquimur; ergo &c. Prob. min. Qui vellet ſe inebriare, quia expertus eſt ſe in ebrietate inclinari ad baptizandum, illa ebrietas non eſſet verum medium de ſe ordinabile ad efficiendum verum baptiſmum; quia verus baptiſmus exigit miniſtrum rationis compotem, & capacem actus humani, non autem actus beſtialis; ſed talis eſſet homo in illo caſu; ergo, &c. Idem eſſet de illo, qui vellet dare ſe ſomno, & panem prope ſe poneret, ut dormiens pronuntiaret ſuper eum verba conſecratoria; ergo, &c. Imo illa media eſſent potius impedimenta: nam ſomnus, & ebrietas ſunt potius impedimenta ad actus humanos rationabiles, & liberos.

Confir. Nam ſicut qui vult inebriari, ut blaſphemet, non peccat, quando verba blaſphemiæ profert, ſed quando libere ponit cauſam; quia tunc tantum agit ut homo; ita qui pronuntiat verba, & applicat materias ſacramentales in ſomno, vel ebrietate, nihil facit.

Prob. 2. Nam conditio de futuro ſuſpendit valorem actus, donec ponatur conditio; & ad valorem ſacramenti materia, & forma debent eſſe ſimul; ſed quando ponitur conditio, materia, & forma ſacramenti non exiſtunt: ergo nec ſacramentum. min. patet; nam qui diceret, *Ego te baptizo, ſi cras venerit pater tuus*, &c. 1. ille ſubjicit ſacramentum conditioni incertæ. 2. ſi advenerit pater die præfixo, jam non exiſtit ablutio, nec forma. Ita eſt de aliis.

Prob. 3. Nam ſi conditiones de præſenti, aut de preterito ſunt vere præſentes, aut præteritæ, forma tranſit in abſolutam; ſed abſoluta eſt valida; ergo & iſta; modo tamen conditio non ſit impertinens, vel impoſſibilis; ut ſi diceres: *Si ego ſum omnipotens, ego te baptizo*: nam tunc miniſter cenſetur non velle baptizare: quia conditiones illæ deſtruunt intentionem, eamque reddunt impoſſibilem. Solet igitur Eccleſia dicere ſuper illos, de quibus dubitatur, an ſint baptizat,

zati, *Si non es baptizatus, ego te baptizo*.

Objic. contra 1.p. Intentio indirecta, & interpretativa ſufficit ad peccatum mortale, & ut effectus ſit voluntarius;ergo & ad ſacramentum valide miniſtrandum. Ant. patet ex dictis de voluntario, & de peccatis. Prob. conſ. nam ad hoc ſufficit intentio virtualis, & libera.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ant. nam plus requiritur ad bonum, quam ad malum; illud habet cauſam integram; iſtud naſcitur ex quovis defectu: ant. etiam patitur difficultates alibi diſcuſſas.

Objic.2. Intentio virtualis ſufficit per nos; ergo & indirecta. Prob. conſ. Nam virtualis eſt etiam indirecta reſpectu actuum intermediorum uſque ad perfectionem Sacramenti; & non ſunt voluntarii, niſi in primis, qui fiunt ex intentione actuali, ſicut intentio indirecta manet etiam in cauſis; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & maj. prob. Nam virtualis influit vere in actus intermedios æquivalenter, ſicut formaliter fuit in primis; & voluntas poteſt ex ſe, & eodem modo influere in ultimos, ſicut in primos, ſi adverteret; ideo omnes ſunt in ejus poteſtate: non ita eſt in intentione indirecta: nam ultimus effectus non eſt in ejus poteſtate.

Inſt. Qui nubit per procuratorem, adminiſtrat ſacramentum matrimonii indirecte, & non per ſe immediate; imo nequidem virtualiter influit in contractum, quando fit; quia poſſet dormire, quando procurator profert verba conſenſus; ergo valet ſacramentum ex intentione indirecta.

Reſp.neg.ant. Nam cum Procurator ſit inſtrumentum vivens, & voluntarium, mandans cenſetur per ſe, & actu facere, quod per illum facit: non ita eſt de aliis ſacramentis, & cauſis intermediis; v. gr. ebrietas, vel ſomnus, per quæ alius miniſter ageret, non ſunt inſtrumenta viventia, nec rationabilia, in quibus homo poſſit deponere ſuam intentionem.

Objic. contra 2. Si ſacerdos diceret furi pœnitenti, *Te abſolvo hodie, ſi intra menſem reſtitueris ablata*, faceret ſacramentum; ſed ibi eſſet conditio de futuro; ergo, &c. probat. maj. matrimonium valet ſub conditione de futuro; ergo & abſolutio; ergo & aliud quodvis ſacramentum.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam lata eſt differentia inter matrimonium, & pœnitentiam, ut illud valeat ſub conditione de futuro, & non iſtud. Ratio diſparitatis eſt voluntas Chriſti explicata per Eccleſiam, quæ ab ipſo edocta fuit, & docetur de matrimonii valore ſub conditionibus iſtis.

Objic. 2. Valeret baptiſmus ſub hac conditione: *Baptizo te, ſi es ſalvandus;* ſed hæc conditio, & ſimiles ſunt de futuro; ergo valet ſacramentum ſub conditionibus de futuro.

Reſp. 1. neg. min. Nam hæc, & ſimiles æquivalent præſentibus, & eſt, quaſi diceret: *Ego te baptizo*, ſi es prædeſtinatus.

Reſp. 2. neg. maj. Nam ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ ſacramentum debet conferri in verbis, quæ ſignificent aliquid certi, quales non ſunt iſtæ formæ ſub conditionibus, quæ regulariter non habent certitudinem quoad nos: *Quis novit ſenſum Domini?* Denique tales appoſitiones conditionum ſunt omnino illicitæ, & gravia peccata, quia ſaltem relinquunt ſacramenti valorem dubium.

QUÆSTIO VI.

De unitate ſacramentorum miniſtri; an plures ſimul poſſint conficere idem ſacramentum, an unus plura ſimul.

NOn dubitatur, quin eodem tempore, & loco plures miniſtri poſſint plures ſubditos baptizare, ita ut ſinguli ſingulos baptizent; ſed dubium eſt 1. an duo, vel tres, vel plures poſſint ſimul conficere idem ſacramentum. 2. ſi omnes ſimul applicent formam, & materiam ſuper eodem ſubjecto, & indiviſim; v. g. ſi dicant ſinguli, *Ego te baptizo*, vel ſi pluraliter dicant, *Nos te baptizamus*. 3. ſi unus ſimul plures baptizet eodem actu fundens aquam, & dicens, *Ego vos baptizo*. 4. ſi ambo dent aquam, ſed unus ſolus proferat verba. 5. ſi ambo abluant, & proferant, ſed unus perficiat formam prius alio: ſolet autem moveri quæſtio ſpecialiter de baptiſmo, quamvis eadem ſit ratio de omnibus.

CON-

CONCLUSIO I.

POteſt unus, idemque miniſter plura ſimul ſacrame ta numero diſtincta conficere, ſi debitam materiar & formam debite applicet.

Prob. I. ex Scoto. [1] *Conceditur, quod iſte plures mul aſpergens, vel fundens, & ſimul proferens forma in plurali, dicendo, Ego vos baptizo, baptizat ſim omnes; tamen peccat mortaliter, quia non ſervat fo mam præſcriptam ſibi ab Eccleſia, niſi forte eſſe tan neceſſitas, quod immineret mors omnium; & tunc po ſet magis concedi, quod ſunt plures baptiſmi, tenen illud, quod dictum eſt, quod ſacramentum baptiſi eſt baptizatio paſſiva;* ergo plures baptiſmi, & plu ſacramenta poſſunt ſimul ab unico confici.

Prob. 2. Quia in hoc nulla eſt repugnantia, quin u gente neceſſitate v. gr. periculi mortis duorum, a plurium infantium, poſſint omnes ſimul aſpergi qua, & ſuper eis pronuntiari formæ in plurali; erg poteſt unus, idemque miniſter plures ſimul baptiz re. Prob. ant. nulla enim in hoc apparet repugnanti neque ex parte Dei inſtituentis, neque ex natura ſ cramenti, ut patet: nihil habemus in Scriptura, ne in Decretis Eccleſiæ, quo id prohibeatur; imo potiu Chriſtus dedit præceptum, & formam baptiſmi plura, *baptizantes eos*, non dicit ſingulos, ſed eos quos docuerint. Et ex actis Apoſtolorum videtur, quo ſimul plures baptizabant.

Confir. Nam idem ſacerdos ſolet ſimul, & eode uno ſermone plures ſimul hoſtias conſecrare; ergo dem eſt de aliis ſacramentis; & ſaltem id verum eſt iſto; quod ſufficit pro veritate concluſionis.

Objic. Non poſſunt ſimul fieri plura ſacrament ergo nec unus plura ſimul conferre pluribus: na tot eſſent ſacramenta, quot ſuſcipientes; nam ſingu haberent ſuum.

Reſp. neg. ant. Nam ſi pluribus applicetur debi materia, & forma, & ſint omnes æque diſpoſiti, qu in hoc mirum? ut patet de Euchariſtia.

Inſt. Tot eſſent ſacramenta, quot ſuſcipientes; ſ hoc dici non poteſt; ergo, &c. maj. patet, nam ſingu bapti-

[1] *D. 6. q. 2. F. n. 6.*

baptizati haberent ſuum baptiſmum. Prob. min. non poſſunt plures eſſe baptiſmi, quam baptizationes; ſed eſſet unica baptizatio; ergo & unus baptiſmus. Prob. maj. nam actio, & paſſio ſunt correlationes; ergo non poſſent eſſe plures baptiſmi ſuſcepti,ſeu paſſivi, quam baptizationes.

Reſp.neg. min.1. argumenti, & maj.2. & conſ.3. Nam una loquutio cauſat plurimas auditiones. Unde materiale loquutionis, & id, quod habet abſoluti eſt unum, in quo fundantur tot relationes actionis, ſeu loquutionis activæ, quot ſunt termini loquutionis fundamentalis, ſeu materialis, & quot relationes auditionis ad eam terminantur ab audientibus. Ita eſt de relatione formali baptizationis, aut conſecrationis activæ; conſecratio materialiter, & in ſe eſt una, ſed fundat tot relationes actionis, quot ſunt termini ejus, ſive quot ſunt conſecrationes paſſivæ; ita eſt de aliis.

Objic.2. Ut multiplicentur concreta, debent multiplicari formæ illorum; ſed in caſu concluſionis eſt unica forma, & locutio, ſeu prolatio ejus; ergo, &c.

Reſp.1.ex Scoto, neg.maj. nam ſufficit multiplicatio alicujus, ſc. ſubjecti, aut formæ; hic autem multiplicantur ſubjecta, ſc. ſuſcipientes.

Reſp. 2.ex eodem diſt. min. eſt unica materialiter, conc. æquivalenter, neg. min. nam ponuntur in plurali, & plurificantur ex pluriſicatione ſuſcipientium, ad quos verba formæ diriguntur; dicitur enim, *Baptizo vos*, &c.

Objic.3.Si adeſſet monſtrum habens duo capita, ita ut putaretur habere duas animas, ut aliquando viſum eſt, poſſet tamen, & quidem a fortiori unico actu baptizari; ſed hoc eſt falſum, & contra uſum Eccleſiæ; ergo non poſſunt plures uno ſimul actu accipere ſacramentum.

Reſp. neg. min. Nam ſi urgeret neceſſitas ambo ſimul baptizandi, poſſet id fieri applicando utrique capiti ablutionem, & pronuntiando formam in plurali.

Inſt. In conſecratione plurium hoſtiarum forma non pronuntiatur pluraliter: dicitur ſemper, *Hoc eſt corpus meum*; ergo idem eſſet in caſu iſto.

Reſp.neg. conſ. Nam in ſingulis hoſtiis eſt idem numero corpus Chriſti replicatum; ſed in pluribus bapti-

ptizatis non eſt eadem gratia numero. Et præterea licet in ſingulis omnibus ſimul particulis ſit idem numero corpus, adhuc ſunt tot ſacramenta, quot particulæ diſcretæ.

Adverte tamen, non ſic licere conferre baptiſma, vel aliud ſacramentum, niſi in urgentiſſima neceſſitate, in qua non poſſent ſinguli ſingulariter baptizari.

CONCLUSIO II.

Aliquo modo valere poteſt unicum ſacramentum a pluribus confectum. Eſt communis quoad rem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam, inquit, *ſi duo eundem baptizent, vel uterque totum facit, vel unus abluit, & alius verba profert, puta, unus mutus eſt, & tantum abluit, alter mancus eſt, & verba profert .... De primo caſu dico, quod ille eſt baptizatus; quia non eſt veriſimile, quod unus annullet factum alterius.*

Prob. 2. Nam ſi duo ſimul abluant eundem puerum, & proferant ſimul formam, neuter impedit effectum baptiſmi ab alio collati: ergo uterque baptizat valide. Prob. conſ. unus illorum non minus facit cum alio, quam ſi ſolus ageret idem, & eodem modo, quantum eſt ex ſe, ſicut agit de facto cum alio, valide baptizaret; ergo etiam cum alio valide facit.

Confir. ex praxi Eccleſiæ in ſacramento Euchariſtiæ: nam in ſacerdotum ordinatione omnes ordinati proferunt ſimul cum Epiſcopo verba conſecratoria, & conſecrant cum illo eandem hoſtiam; ergo plures ſimul faciunt unum numero ſacramentum.

Dixi, *aliquando*; nam 1. ſi intenderent tales miniſtri conferre, vel efficere ſacramentum partialiter, nihil facerent: nam ſacramenti eſſentia, nec virtus, nec fructus non ſunt diviſibilia: & neuter diceret vere, *Ego te baptizo*.

2. Si unus applicaret materiam ſolam, & alter ſolam formam, neuter faceret ſacramentum; nec abluens baptizaret, quia non daret formam, nec loquens vere diceret, *Ego te baptizo*; quia non ablueret: unde neceſſarium eſt, ut materia, & forma ſint ſimul, & ab eodem.

3. Si unus prius perfecerit ſignum externum, quam alius,

[1] *Ibid. A. &* 3. *n.* 2. *&* 3.

alius, ille priùs, & ſolus baptizat, & pro ſecundo nihil reſtat faciendum.

4. Singuli debent dicere, *Ego te baptizo*, non autem in plurali, *Nos te baptizamus*: nam ſic ſubſtantialiter mutatur forma inſtituta à Chriſto, qui ut unus Dominus baptizat, & vult eſſe unum baptiſma, ſicut & unam fidem.

5. Suppoſitis iis, quæ diximus de neceſſitate intentionis ex parte miniſtri, oporteret, ut ſinguli haberent intentionem abſolutam, & à ſe invicem independentem: nam alioqui exponeret ſe unus eorum periculo nihil faciendi; & ſic viciſſim exponerent ſacramentum, ſi videlicet alter eorum deficeret in aliquo.

Denique vix credo caſum ullum moraliter dari poſſe, in quo id liceat; niſi fortè aliquando inter duos Parochos litigantes de jure Parochiali, in quo uterque ne cedere putetur, vel derogare juri ſuo, ſic ageret ſuper puerum.

Diximus autem, ex Scoto, de caſu neceſſitatis imaginario, in quo non reperirentur niſi duo, quorum unus mancus non poſſet aliud facere, quàm proferre verba, alter mutus, qui non poſſet, niſi abluere, ſc. invalidum fore baptiſma. Idem ſentit S. Thomas: *Neque ille, qui tantum profert, neque ille, qui tantum mergit*. Ideò vix unquam poſſunt plures ſe ingerere collationi ſacramenti ejuſdem, & eidem perſonæ ſine gravi peccato mortali; quia id fieri non poteſt, niſi contra ritum determinatum, & celebratum ab Eccleſia, excepto fortè ſacramento Euchariſtiæ, quam in ordinatione ſolet conficere per concurſum omnium ſacerdotum ordinatorum cum Epiſcopo.

Objic. 1. Si plures miniſtri applicarent debitam materiam, & formam cum debita intentione, vel facerent idem numero ſacramentum, vel plura; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. 1. non plura ſacramenta; nam alia ſuperfluerent præter unum; ergo alia illa non eſſent valida: 2. non unicum; alioqui idem effectus eſſet à duabus cauſis totalibus, & adæquatis; ſed hoc repugnat per nos; ergo &c. Probat. maj. Nam ſinguli miniſtri eſſent cauſæ totales, & ſacramentum penderet totaliter, & indiviſim à ſingulis; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam rectè dici poteſt, quòd eſſent plura; & ſinguli facerent ſuum, quia ſinguli facerent ſuum ſignum ſenſibile æquè, ac ſi unus ſolus faceret. Et quantum ad effectum gratiæ dici poteſt, quòd nullum ſuperflueret: nam Deus poſſet moveri ab omnibus ſimul ad dandam illam ſuſcipienti; & ſic effectus iſte penderet à ſingulis partialiter; & ſic illa eſſent cauſæ totales totalitate cauſæ, non totalitate effectus. Suppono enim, quòd ſacramenta non cauſant gratiam niſi moraliter, ut patebit infrà. Præterea hæc difficultas non valet, niſi in caſu perfectæ ſimultatis actuum miniſtrantium, ita ut omnes ſimul perficerent ſacramentum; alioqui qui priùs perficeret priùs operaretur, & poſteriores nihil facerent, maximè in baptiſmo, & in Euchariſtia; quia pueri poſt remiſſum originale, & impreſſum characterem, & panis poſt conſecrationem non ſunt ampliùs capaces illorum ſacramentorum.

Inſt. Si ſinguli facerent ſacramentum ſuum, producerent etiam tot effectus, ſc. gratias: ſed hoc eſt falſum, & abſurdum; ergo, &c. Prob. maj. Nam ſacramenta ſunt cauſæ neceſſariæ, ac determinatæ; ergo ſingula, quantum eſt ex ſe, producunt ſuum effectum in ſubjecto apto; ſed ſuſcipiens æquè eſſet aptus reſpectu omnium; ergo æquè reciperet effectum omnium illorum ſacramentorum.

Reſp. 1. neg. maj. Nam ſi non fierent illa ſacramenta perfectè ſimul, illud, quod priùs perficeretur, operaretur totum effectum; & ſic alia poſteriora non invenirent ſubjectum capax ulterioris effectus; ſi verò ſimul perficerentur, Deus in conferendo gratiam, & characterem baptizato, aut in tranſubſtantiando panem in corpus moveretur à ſingulis ſimul; & ſic ſingula operarentur tantùm partialiter ex parte effectus.

QUÆSTIO VII.

De errore miniſtri, quinam error in miniſtro invalidet ſacramentum.

Quia in miniſtro requiritur intentio, & quia hæc intentio poteſt fruſtrari ex errore circa materiam,

riam, aut formam, aut ſubjectum, ita ut tam confectio, quàm collatio ſacramenti debeat eſſe voluntaria, ſaltem penes ſubſtantiam ejus, ideo quærimus hic, an aliquis error poſſit irritare ſacramentum. Dico, *penes ſubſtantiam*, qualis ſufficit, & requiritur ad valorem cujuſvis contractus: nam ſicut variatio, vel error circa non notabiles circumſtantias non irritant contractum, nec impediunt voluntarium, ita nec ſacramentum: v. g. putat, & intendit baptizare filium Petri, applicat aquam, & verba ſuper filium Pauli; vel putat aquam eſſe ex fonte baptiſmali, & benedictam, & eſt aqua alia profana, vel profert verba conſecrationis ſuper pane fermentato putans eſſe azymum, vel ſuper duas hoſtias putans eſſe unicam; & maximè ſi ſic agit ex intentione ſic determinata ad hunc puerum, vel aquam, aut panem, aut hoſtiam in individuo, ut excludat omne aliud.

CONCLUSIO.

In confectione ſacramenti error circa perſonam invalidat illud, ſi ejus intentio ſit determinata cum excluſione explicita, vel implicita alterius cujuſcumque; ſecus eſt, ſi ſaltem implicitè velit conferre præſenti.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Videtur probabile, quòd errans circa perſonam in baptizando non baptizaret, ſicut nec in matrimonio; ſed talis ratio non eſt poſita ad ſolutionem quæſtionis; nec talis error, quod ſit A vel B, dum tamen intendat conferre ſacramentum illi perſonæ, quæ præſens eſt, videtur impedire collationem aliorum ſacramentorum*, &c. Habes ergo totam concluſionem. Idem docet [2] in Reportatis.

Prob. 1. p. Nam qui ſic vult conferre ſacramentum, quod in actu conſiſtit, v. g. qui ſic vult baptizare A, ut non vellet baptizare quemvis alium, non habet neceſſaria ad valorem baptiſmi, quem confert alteri, v. g. B. ſed ſine intentione miniſtri, qua velit facere ſacramentum, non fit ſacramentum; ergo, &c. Prob. maj. Nam intentio miniſtri tam reſpicit perſonam, cui confert ſacramentum, quàm confectionem ejus: nec enim intendit facere talia ſacramenta in abſtracto, nec illa conſiſtunt ſine uſu; ergo qui confert ſacramen-

[1] *d. 30. q. 1. F. n. 8.* [2] *Ib. d. n. 9.*

mentum alicui contra intentionem ſuam, nihil facit; ergo error circa perſonam in miniſtro ſic diſpoſito impedit valorem ſacramenti.

Prob. 2. p. Nam in hac 2. diſpoſitione miniſter verè intendit huic conferre, licèt erret circa nomen, & quoties miniſtri putant ſe baptizare, abſolvere, vel ordinare aliquem in particulari, debent eſſe ita diſpoſiti, & ordinariè ſic ſe habent.

Dixi autem, *in confectione;* nam in collatione Euchariſtiæ nihil refert, quòd erret, aut non erret; ſicut ejus intentio in tali caſu non nocet, neque juvat; quia iſtud ſacramentum jam exiſtit; nec ampliùs valor, & efficacia pendet à miniſtro, nec impedire poteſt, ne operetur in ſuſcipiente diſpoſito.

Objic. 1. Error perſonæ non irritat matrimonium: ergo multò minùs alia ſacramenta: nam in matrimonio iſte error eſt maximè circa ſubſtantiam tam in materia, quàm in ſubjecto. Prob. ant. Jacob ratum habuit matrimonium ſuum cum Lya, quam putabat eſſe Rachelem, & de facto conſummaverat illud; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. ratum habuit per novum conſenſum, conc. quatenùs primus conſenſus datus ex errore valuit, neg. ant. Nam ſi voluiſſet, poterat recedere ab ea, poſtquam cognovit errorem ſuum, *Potuiſſet illam repudiare tamquam non ſuam*, ait Doctor: [1] nam invalidus, & irritus erat primus conſenſus; ſed quia ſciens, & audiens à ſocero non eſſe conſuetudinem apud eos, ut juniores priùs nubant, quàm ſeniores, directè conſentit in Lyam, & tunc verum fuit matrimonium.

Inſt. ergo peccaſſet mortaliter Jacob 1. nocte dormiens cum Lya, quæ nondum erat uxor ejus; ſed hoc dici non poteſt de S. Patriarcha; ergo fuit verum matrimonium.

Reſp. cum Scoto, quòd ſive peccaverit Jacob, ſive non, non eſt magna vis hujus argumenti: ſufficit, quòd non fuit verum ejus matrimonium, niſi per ſecundum conſenſum. Quidam autem eum excuſant à peccato propter ignorantiam; & ſic neg. major. alii non excuſant, quia ignorantiam ejus dicunt craſſam fuiſſe, & ſic neg. min. nam, inquit Scotus, *non e-*

rat

[1] *Ibid.*

rat confirmatus in grati a, & ſic poterat peccare.

Inſt. 2. Idem Jacob validam benedictionem ſuſcepit à Patre per errorem iſtius, qui putavit eum eſſe Eſau; ſed non major intentio requiritur in miniſtro, quàm in Iſaac pro iſta benedictione; ergo error perſonę non irritat ſacramentum, ſed ſufficit, quòd illa ſit realiter præſens miniſtranti, ſicut Jacob.

Reſp. diſt. maj. validam, quia illam ratificavit Iſaac, con. ex vi primi actus dati in errore, neg. maj. Nam Iſaac cognoſcens ſe fuiſſe deceptum, perſeveravit tamen velle benedictionem illi, qui eam acceperat: nam poſt multa tandem ex Deo inſpirante dixit, *Benedixi ei, eritque benedictus.*

Objic. 2. ex Doct. quoad errorem perſonæ, non eſt eadem ratio, cur invalidet alia ſacramenta cum ea, quæ facit irritum matrimonium; ergo cenſet alia ſacramenta præter matrimonium valere, quamvis data ex errore.

Reſp. neg. conſ. Nam ex textu allato patet, quòd eſt quidem peculiaris ratio de matrimonio quoad hoc, quia error perſonæ impedit contractum donationis, qua vult ſponſus ita ſe donare huic perſonæ, quam habet in intentione, ut nolit donare ulli alteri; quod regulariter non occurrit in collatione aliorum, in quibus miniſter habet intentionem generalem dandi baptiſmum perſonæ, quæ eſt præſens; & hæc valet defectu alterius intentionis particularis, in qua erratur.

CONCLUSIO II.

EOdem modo dicendum eſt de errore circa materiam, ita ut non valeat ſacramentum, ſi intentio particularis circa unam, quam habet in mente, excludat omnes alias, benè verò ſi cum intentione particulari habeat virtualem implicitam de materia præſenti.

Prob. 1. ex eodem ibidem. Nam in 1. caſu deeſt omnis intentio circa illam materiam, non autem in 2. ſed defectus intentionis actualis, aut virtualis irritat ſacramentum & quidem circa materiam potiùs, quam circa perſonam; ergo, &c. Prob. min. nam materia eſt magis intrinſeca ſacramento, quàm ſuſcipiens; & maximè in conſecratione Euchariſtiæ, in qua præcisè non reſpicitur perſona; ergo, &c.

Fatendum tamen, caſum illum raro contingere poſſe; & valdè imprudenter ſacerdos ſic determinaret ſuam intentionem ad unam ſingularem hoſtiam v. g. ut nollet ullam aliam, etiamſi eſſet præſens, & ejuſdem ſpeciei, conſecrare: ut ſi ſacerdos haberet præ manibus duas hoſtias, putans ſe non habere niſi unam, nec vellet niſi unam conſecrare, alia non eſſet conſecrata. Non ita eſt de matrimonio, non quidem ex ratione generica ſacramenti, ſed ex ratione contractus, & donationis, qua ſic homo vult contrahere cum Berta, ut nolit contrahere cum ulla alia, nec id illi eſt indifferens, ſicut debet eſſe indifferens conſecranti, ut hoſtiam conſecret, quam ipſe poſuit in patena, aut aliam ſimilem loco ejus ſuppoſitam.

QUÆSTIO VIII.

De cauſa ſuſcipiente ſacramenta, quænam illa ſit, & quid requiratur ex parte ejus ad illa ſuſcipienda: Et 1. de intentione.

QUoad ſubjectum de inſtitutione ſacramentorum certum eſt, illud eſſe ſolum hominem viatorem, ſaltem ex vi præſentis decreti, ac inſtitutionis eorum. Nam de facto Chriſtus ea inſtituit in remedium animarum ad conferendam, & augendam gratiam in ordine ad gloriam conſequendam. Remedia autem ſunt curativa pro infirmis, quales non ſunt beati in Cœlo, ſeu in termino, ut damnati, qui non poſſunt mereri, vel demereri, ſed ſoli homines viatores, qui etiam indigent prima gratia, ut à peccato curentur, & ſecunda, ſeu augmento ejus, ut in ſanctitate, & juſtitia accepta firmentur. Ideò in definitione ſacramenti addita eſt particula, ***ordinatum ad ſalutem hominis viatoris***: nec in hoc immoramur.

Suppono etiam hic quæri tantùm de ſuſcipientibus ſacramenta in genere: nam de ſingulis dicemus ſigillatim.

Suppono 3. ut certum, quòd aliqua ſunt, quæ non conveniunt niſi ratione utentibus, & adultis, non autem pueris ante uſum rationis, nec perpetuò amentibus, ut pœnitentia, & matrimonium, imò dubitant aliqui de Extrema unctione: quippe neutri ſunt

capa-

capaces peccati, nec pœnitentiæ, nec liberi ad contrahendum; de reliquis poteſt dubitari; ſed de illis ſuo loco dicetur.

Præcipua difficultas eſt de conſenſu, & intentione in iis, qui ſunt capaces rationis, & libertatis: nam de pueris, & amentibus certum eſt, eos eſſe capaces baptiſmi, quod docet praxis Eccleſiæ; ſicut & erant capaces circumciſionis.

CONCLUSIO I.

Omnis, & ſolus homo viator eſt ſubjectum ſacramenti. Eſt communiſſima in tota Eccleſia contra quoſdam hæreticos, qui vel ab eis excluſerunt reprobos, ut Vvicleff. & Jo. Hus; vel ad ſolos juſtos limitarunt.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui in deſcriptione ſacramenti docet, aut ſupponit, ſacramentum *ex ſe eſſe ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.*

Prob. 1. pars de omnibus. Nam ſi aliqui excluderentur, id eſſet vel ex natura rei, aut ex lege divina; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. 1. non ex natura rei: nam quoad hoc omnes ſunt ſimiles, ſaltem remotè. 2. non ex inſtitutione Dei: nam de illa limitatione non conſtat ex ulla Scriptura, vel traditione.

Confir. Nam omnes omninò viatores indigent ſacramentis, ſaltem aliquibus; ergo congruum fuit divinæ providentiæ, ac bonitati omnibus de his providere. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.*

Prob. 2. p. 1. de homine cum excluſione brutorum; quia hæc non ſunt capacia gratiæ: 2. cum excluſione Angeli, & animæ ſeparatæ; quia ſacramentum eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile; ſed Angelus, & anima ſeparata non ſunt de ſe capaces ſignorum illorum; ergo nec ſacramentorum iſtorum. 3. cum excluſione beatorum, & damnatorum, qui ſunt in termino: nam illi non ſunt in ſtatu gratiæ augendæ, aut perdendæ; nec iſti acquirendæ, aut recuperandæ; ergo, &c.

Objic. 1. Beata Virgo erat viatrix; ſed illa non fuit capax ſacramenti; ergo, &c. Prob. min. non habuit peccatum originale, nec actuale, ſed omnem gratiæ ple-

[1] *d. 1. q. 2. M. n. 13.*

plenitudinem ab inſtanti conceptionis, & fuit in ea confirmata; ergo non fuit capax ullius ſacramenti: nam omnia dantur vel in remedium peccati originalis, vel actualis, vel in præſervationem ab illis, vel in augmentum gratiæ; ſed nullo horum indigebat; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. quoad ultimam partem. Nam cum gratia ejus non fuerit ſumma poſitivè, nec infinita, potuit in ea creſcere; & hoc potuit habere per ſacramenta, non quidem ex neceſſitate, ſed ad meriti augmentum.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam loquimur de homine viatore ſecundum ſe, non per accidens. B. autem Virgo tot privilegia non habuit ex naturæ ſuæ exigentia, ſed ex Dei liberalitate; alioqui fuiſſet capax, & indiga ſacramenti.

Objic. 2. Parvuli in utero matris ſunt verè homines, & viatores; ſed ibi non ſunt capaces ſacramentorum; ergo non omnis homo viator eſt capax ſacramenti. Prob. min. ex praxi: maj. etiam prob. nam verè vivunt vita mortali; & ibi incipit via, ubi vita incipit.

Reſp. diſt. maj. viatores coram Deo, con. coram Eccleſia, neg. maj. & conſ. Nam cùm Eccleſia ſit diſpenſatrix ſacramentorum, qui ea ſuſcipere volunt, debent ſiſtere ſe coram illa.

Objic. 3. Qui ablueret cum forma baptiſmi brutũ, faceret verum ſacramentum; ergo non ſolus homo eſt capax ſacramenti. Prob. ant. Nam poneret totum id, quod facit ad eſſentiam veri ſacramenti, nempè ſignum ſenſibile, quale inſtitutum eſt à Deo; & idem ibi ſignificaret, quod ſignificat in homine, licèt non operaretur gratiam in bruto; ergo &c.

Reſp. neg. abſolutè utrumque ant. Nam illa ablutio, & illa verba non ſignificarent idem in bruto, quod in homine ex Dei inſtitutione: nam hic eſt ſignum efficax gratiæ, & ablutionis ſpiritualis; & in bruto ſignificaret ablutionem purè externam, & materialem.

CONCLUSIO II.

IN *omni adulto, & ratione utente requiritur conſenſus, ſeu intentio aliqua, ut validè ſuſcipiat.*

Dico 1. *in omni adulto*, ut excludam pueros, qui ha-

habent uſum rationis impeditum. 2. *ratione utente*, ut excludam amentes, & quidem perpetuos: nam qui aliquando uſi ſunt ratione, potuerunt aliquando velle ſacramenta ſibi miniſtrari ſuo tempore; & ſic iſti poſſunt habere conſenſum, & intentionem habitualem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui præclariſſime caſus omnes hujus difficultatis percurrit, & reſolvit de parvulo, de amente perpetuo, qui nunquam uſus eſt, nec ſperatur uſurus ratione. 2. de eo, qui actu non utitur, ſed aliquando uſus eſt, aut ſperatur uſurus: & 3. de eo, qui actu utitur ratione: & 4. de iſto, ſi poſitive diſſentit ſuſceptioni ſacramenti: & 5. de eodem, ſi conſentit ſimpliciter, & diſſentit ſecundum quid: & 6. de eo, qui poſitive nec diſſentit, nec conſentit, ſed ſe habet negative. Lege totam illam quæſtionem, & non pigebit; ſemper exigit aliqualem conſenſum ab eo, qui poteſt.

Prob. 2. ex Scriptura, qua conſtat Deum non accipere cor noſtrum per vim, ſed ut illud ipſi libere præbeamus; *Fili præbe mihi cor tuum*; ſed in ſacramentis cor noſtrum uniendum eſt, & tradendum Deo; ſunt enim actus religionis: ergo &c.

Prob. 3. ex SS. Canonibus. [2] Nam ibi definitur, quod non debet invitus baptizari, & quod *tunc characterem imprimit ſacramentalis operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non invenit obſiſtentem*. Et Concilium Arauſic. I. [3] *Obmuteſcens baptizari, aut pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet*; ergo exigit ſaltem intentionem habitualem ad receptionem validam. Idem Concil. Carthagin. III. *Ægrotantes ſi pro ſe reſpondere non poſſunt, cum voluntatis eorum teſtimonium ii, qui ſui ſunt, teſtimonium dixerint, baptizentur*.

Confir. Nam, inquit Doctor, *nolentem Deus non juſtificat, ſecundum illud Auguſtini, Qui creavit te ſine te, non juſtificabit te ſine te*; ergo qui ſuſcipit ſacramentum debet velle illud recipere ad effectum ejus.

Prob. denique. Nam tantum valent ſacramenta, quantum Deus inſtitutor voluit: ſed Deus noluit, ut valeant nolentibus, ſeu non volentibus: ergo &c. prob. min. traditione, & praxi Eccleſiæ, quæ conſili,

[1] *d.4.q.4.* [2] *cap.12.* [3] *cap.3.*

lii, & voluntatis divinæ eſt depoſitaria per Chriſtum dicentem Apoſtolis: *Omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Hæc autem in omnibus adultis requirit aliqualem conſenſum, ut patet ex Conciliis, & Canonibus citatis, & ex perpetua praxi.

Confir. Nam fere omnia ſacramenta inducunt aliquam obligationem ſuſcipientis erga Deum, & Eccleſiam: v. g. baptiſmus facit eum ſubditum Eccleſiæ, & obligatum ad leges divinas, & Eccleſiaſticas; ſed incongruum eſt, aliquem obligari non volentem; ergo ſuſcipiens ſacramenta debet ea velle ſuſcipere per intentionem aliquam, ſaltem habitualem poſitivam, aut ſaltem negativam.

Confir. denique. De ratione Sacramenti eſt, ut ſit ſignum efficax gratiæ; ſed non eſt tale ſignum recipienti illud ſine intentione; ergo &c.

Objic. 1. Non eſt major ratio de parvulis, quam adultis; ſed in illis non requiritur ulla intentio, vel conſenſus; ergo nec in adultis. Prob. maj. nam utriſque baptiſmus eſt æque neceſſarius; ergo &c.

Reſp. neg. utramque conſ. & diſp. eſt, quia Deus, neque Eccleſia non exigit a ſuis ultra poſſe; parvuli non habent uſum libertatis, nec rationis, ſicut adulti; ideo iſtos obligat ad velle Sacramenta, ut valide illis conferantur, non illos.

Objic. 2. Ad validam receptionem ſacramenti ſufficit, ut non adſit obex ex parte recipientis; ſed in adultis poteſt non eſſe obex peccati mortalis, quamvis non conſentiant in baptiſmum; ergo valebit ſine illo conſenſu.

Reſp. diſt. maj. & min. ſi adſint alia prærequiſita, con. maj. & neg. min. ſi non adſint cętera, neg. maj. & conſ. Nam præter negationem obicis peccati requiritur etiam conſenſus, & voluntas.

Inſt. Voluntas ſuſcipientis non eſt pars eſſentialis ſacramenti; ergo ſine illa valet ſacramentum, ſaltem eſſentialiter.

Reſp. neg. conſ. quia ſufficit, eam eſſe conditionem, aut diſpoſitionem neceſſario requiſitam in ſubjecto.

Inſt. 2. Si eſſet conditio, vel diſpoſitio neceſſaria, conſtaret ex aliqua Scriptura, vel Decreto Eccleſiæ, quia non deficiunt in neceſſariis; ſed hoc non conſtat ex ullo tali capite; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. min. quia ſatis id conſtat ex Script. & Concil. cit. & praxi Eccleſiæ.

Objic.3.Si Sacramentum exigeret in ſuſcipiente intentionem,eam exigeret ſemper, & in omnibus; nam eadem eſt ratio de omnibus; ſed conſ. eſt falſum, ergo, &c. prob. min. Nam ſolet adminiſtrari extrema unctio in morbis ſubitaneis, & extremis; ſed in iſtis nullus apparet conſenſus; ergo &c.

Reſp. 1. neg. min. utramque loquendo de adultis ratione utentibus: & diſt. 2. non apparet conſenſus actualis, con. habitualis, & interpretativus, & implicitus, neg. min. nam hoc ipſo, quod adultus oſtendit, & geſſit ſe ut Chriſtianum, oſtendit intentionem habitualem, & implicitam ſuſcipiendi omnia remedia ſalutis ſuæ, quibus juvantur cæteri omnes Chriſtiani.

Inſt. Hoc contingere poteſt in peccatore ſine pœnitentia; ſed per peccatum mortale præcluditur, & interrumpitur illa intentio habitualis, & implicita; ergo, &c.

Reſp. quòd ſi apertè conſtet de ſtatu peccati mortalis, & de impenitentia, non puto illi conferendum eſſe hoc Sacramentum; & ſic neg. ſuppoſitum maj. nempe quòd talibus conferatur; ſed de hoc aliàs.

Objic.denique. Ad ſuſcipiendam validè Euchariſtiam non requiritur ulla intentio; ergo nec in aliis.

Reſp. neg. conſ. & diſp. eſt, quia Euchariſtiæ validitas non pendet ab uſu, ſed eſt Sacramentum permanens non ita de aliis: imo nec puto Euchariſtiam invito datam non magis ſignificare ſacramentaliter nutrimentum animæ, quam cibus injectus in os mortui ſignificaret materiale nutrimentum.

CONCLUSIO III.

IN ſuſcipiente adulto non requiritur intentio actualis, ſed ſufficit virtualis, imo & habitualis, & interpretativa. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto cit. [1] Nam de non utente actualiter, ſed qui aliquando uſus eſt ratione dicit: *Dico, quod ſupponitur nunc habitualiter conſentiens vel diſſentiens, ſecundum quod ſe habuit in ſanitate ante iſtud impedimentum immediate; ſc. ſi tunc actualiter* B 6 con-

[1] *Ibid.B.n.3.*

conſenſit, judicatur nunc habitualiter conſentiens.. dixi, immediatè, *ita quod inter actum illum, & iſtud impedimentum non intervenerit motus voluntatis oppoſitus: & ſic univerſaliter dico, quod iſte habitualiter ſe habens poteſt recipere ſacramentum*, &c. ſc. cenſetur durare intentio habita, cùm incidit in amentiam, vel furorem, vel morbum.

Prob. 2. ex decretis cit. Conciliorum, quæ apertè id docent de obmuteſcentibus, vel ægrotantibus: & talis eſt praxis Eccleſiæ, ut patet ex Rituali Rom. cit. *de Bapt.* Nam extrema unctio dari ſolet cuilibet in extremis, modo chriſtianè vixerit, licet explicitè non petierit, quia ut bonus Chriſtianus, qualis apparuit, cenſetur velle nihil omittere, quæ ad ſalutem ſuam conducunt: & ex tali præſumptione datur etiam Euchariſtia. ſi ejus capax fuerit: ergo ex praxi, & Decretis Eccleſiæ non experitur in ſuſcipiente, niſi ad minùs intentio habitualis, aut etiam interpretativa, ſaltem in aliquibus: nam in aliquibus etiam non ſufficeret, v. g. in ſacramento ordinis, & multò minùs in matrimonio, & in pœnitentia. Nam in his requiri videtur ſaltem virtualis, ſicut in miniſtro, quippe in matrimonio ſponſi ſunt etiam miniſtri, maximè ſi ſint præſentes, & non contrahant per procuratores. Sed de his alias.

Objic. Intentio habitualis, nec interpretativa non ſufficit in miniſtro: ergo nec in recipiente, conſ. prob. In recipiente ſacramentum plus operatur, quàm in miniſtro: ergo major diſpoſitio in iſto requiritur: ergo & major intentio.

Reſp. neg. utramque conſ. Nam in miniſtro requiritur providentia, ut benè diſpenſet dona Dei, cujus eſt miniſter; & quia ſacramentum debet conficere, & per illud conferre gratiam, ille verò tantum recipere: in activis autem plus requiritur, quam in paſſivis.

CONCLUSIO IV.

In adultis ad recipienda fructuoſe ſacramenta, præter intentionem internam, & alias ſpeciales diſpoſitiones requiruntur ad aliqua, ſc. ad ſacramenta mortuorum ſaltem attritio ſupernaturalis, quæ tollat affectum omnem in peccatum mortale in iis, qui habent peccatum

tum mortale ; & ad alia , ſc. ſacramenta vivorum, requiritur ſtatus gratiæ vivificantis . Eſt communiſſima .

Dico, *præter alias ſpeciales diſpoſitiones* ; nam de ſingulis agemus in particulari, v. g. de iis, quæ requiruntur ad rite, licite, & fructuoſe recipiendum baptiſmum, &c.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui de baptiſmo docet cum Aug. quod *omnis, qui ſuæ voluntatis jam arbiter conſtitutus eſt, cum accedit ad ſacramentum fidelium, niſi pœniteat eum veteris vitæ, novam non poteſt inchoare* ; quod verum eſt de baptiſmo: & loquens de impedimento ad effectum ſacramenti dicit: *Alio modo poteſt aliquis eſſe fictus, oſtendendo ſe eſſe diſpoſitum ad recipiendum ſacramentum, & tamen non eſt diſpoſitus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur* ; ergo in adultis requirit Scotus diſpoſitiones ad gratiam baptiſmi, ſaltem attritionem, ſi habeant peccatum.

Prob. 2. ex Script. Nam adultis dicitur ; [2] *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Et, [3] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit* : & *qui non crediderit, condemnabitur* ; ergo ad baptiſmum in adultis requiritur fides, & pœnitentia. Item de pœnitentia, quæ eſt aliud ſacramentum mortuorum, dicitur, [4] *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Item, *Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras*, &c. *Facite vobis cor novum*, &c.

Confir. ex Concil. Trident. [5] docente diſpoſitiones ad juſtificationem in utroque illo ſacramento. Nam pro baptiſmo exigit fidem, timorem, ſpem, initium charitatis, & odium peccati, ſeu *pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet* : & pro pœnitentiæ ſacramento exigit *deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, & confeſſionem* : denique *contritionem, vel attritionem*. Et S. Auguſt. dicit, [6] quod *baptiſmus nunquam profuit ei, qui peccavit ſpontanee*. Et ideo ante baptiſmum

[1] *d.4.q.5.n.1.& A.n.2.* [2] *Act.2.*
[3] *Mar.ult.* [4] *Ezech.18.*
[5] *ſſ.6.c.6.* [6] *de ver.& fal.pœnit.16.*

mum adulti olim exercebantur in actibus virtutis pœnitentiæ; ergo ad ſuſceptionem ſacramenti mortuorum requiritur ſaltem attritio, quæ tollat omnem affectum ad peccatum.

Dico, *ſaltem attritio*; an hæc autem ſufficiat ad hæc ſacramenta dicetur ſuo loco.

Dico 2. *in iis, qui habent peccatum mortale* actuale, ſeu perſonale: nam ſi quis adultus accederet ad baptiſmum cum ſolo originali, non egeret pœnitentia, ſed fide, & ſpe, & initiali charitate.

Prob. 2. p. Nam 1. de Euchariſtia dicitur, *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat*: eſt enim ſacramentum vivorum, ſicut & alia quatuor; & ideo requiritur ſtatus gratiæ vivificantis; & ideo dicuntur ſacramenta vivorum, quia non niſi vivificatis danda ſunt, nec proſunt, & conferunt quidem augmentum gratiæ, ſed non primam; & de hoc magis patebit, dum de ſingulis agemus.

QUÆSTIO IX.

An ſacramentum poſſit eſſe validum, & informe? an ſacramentum aliquid operetur in eo, qui recipit illud cum fictione.

DOctor noſter proponit hanc quæſtionem de Baptiſmo, an ſc. *adultus fictus recipiat gratiam baptiſmi*. Et diſtinguit duplicem fictionem in ſuſcipiente baptiſmum (idem eſt de aliis ſacramentis) poſſe contingere. 1. ſi fingat exterius recipere ſacramentum, ſicut ſolet in Eccleſia celebrari, ſc. per res, & verba ſolita, ſed ſine intentione interiori, ſed potius oppoſitum habet in animo: & de iſta fictione conſtat ex præcedenti, quod invalidat ſacramentum, ſc. defectu intentionis. 2. ſi recipiat quidem cum intentione, ſed ſine debita diſpoſitione, imo potius cum obice ad effectum ſacramenti, ſc. cum peccato actuali, aut habituali, ſeu cum affectu ad peccatum, cum quo incompatibilis eſt gratia, quæ eſt effectus ſacramenti.

Rurſus obex, ſeu fictio iſta vel eſt *negativa*, quando ſc. deeſt tantum aliqua diſpoſitio prærequiſita, & poſi-

poſitiva ad effectum ſacramenti: v. g. dum aliquis recipit Euchariſtiam, vel aliud ſacramentum ignorans, vel non advertens ſe eſſe in peccato, ideoq; non ſe diſponit per contritionem, vel per confeſſionem: vel eſt *poſitiva*, v. g. quæ eſt peccatum, vel affectus ad peccatum mortale, cum quo potius actu peccat novo peccato, recipiens illicite, & ſcienter ſacramentum.

Igitur ſacramentum dicitur recipi valide, & *eſſe validum*, quando adhibentur omnia ad illius eſſentiam requiſita, cum debita intentione ex parte miniſtri, & recipientis. Dicitur autem *informe*, quando caret ſuo effectu principali, ſc. gratia. Res clara eſt in baptiſmo: nam quando eſt validus, & informis, imprimit characterem, qui eſt effectus minus principalis; & non iteratur, ſicut deberet iterari, ſi non eſſet validus; ſed non cauſat gratiam ſanctificantem, ideo dicitur informis.

Suppono autem ex dicendis de cauſalitate ſacramentorum, quod præter gratiam ſanctificantem primam, & ſecundam, cauſant aliqua characterem, qui eſt minus principalis effectus; & omnia cauſant aliquas gratias actuales, per quas perficitur, & juvatur homo ad debite peragenda illa, ad quæ obligatur, in eo ſtatu, & conditione, in quibus conſtituitur per illud ſacramentum, & ad fines illius: v. g. quia per matrimonium confertur conjugibus præter gratiam habitualem ſecundam jus aliquod ad gratias actuales, & auxilia, quibus juvantur ad onera ſtatus matrimonialis ſuſtinenda, & tentationes, & difficultates in illo ſtatu occurrentes promptius, & facilius ſuperandas; & quia hæc auxilia, & gratiæ iſtæ non ſunt incompatibiles cum peccato mortali (nec enim Deus eas negat peſſimis peccatoribus) ideo certum eſt, quod ſi aliqua ſacramenta poſſunt eſſe valida, & informia quoad gratiam habitualem, operantur tamen iſtas actuales præter characterem.

Quæritur ergo hic, an ſacramenta poſſint eſſe valida, & informia? ſeu an poſſint recipi valide abſque eo quod operentur gratiam in recipiente? & an in tali caſu aliquando reviviſcant ad effectum, quem in ipſa receptione reali non operantur? ſc. quando auffertur obex peccati. & 3. quando, & quomodo ſic

revi-

reviviſcant, & operentur? & 4. an eadem ſit ratio d
omnibus?

CONCLUSIO I.

ALiqua *Sacramenta poſſunt eſſe valida, & in formia*. Eſt communis, & maxime de baptiſmo.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Iſte, qui habet actualiter obi cem contra gratiam .... modo recipit gratiam .... ſec rebaptizari non poteſt*; ergo tunc valet baptiſmus, ſec informis eſt: & ſupra dixerat: *In quibuſcumque ſa cramentis imprimitur diſpoſitio ad effectum principa lem, ſi propter obicem in ſuſcipiente non cauſatur tunc effectus principalis, ceſſante obice, ſufficit diſpoſitio ad illum effectum principalem: Apparet hoc in ſacra mentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non ſunt iterabilia*, &c.

Prob. 2. ex Scriptura, Conciliis, & Patribus cit. ſupra de baptiſmo celebrato ab hæreticis. Nam iſti baptizant tam adultos, quam parvulos ſuæ ſectæ; ſed iſti ſectatores hæreticorum non recipiunt gratiam ſacramentalem, bene vero characterem, & non rebaptizantur, ſed ſacramentum eorum valet; ergo talis baptiſmus eſt validus, & informis.

Confir. ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolet iterare ſacramenta baptizatis, nec confirmatis, nec ordinatis in peccato mortali; ergo hæc ſacramenta ſunt valida, quamvis informia; operantur characterem, & non gratiam; alioqui deberent iterum baptizari, confirmari, & ordinari.

Prob. 3. Nam character, nec alii effectus horum ſacramentorum præter gratiam ſanctificantem, ſunt incompatibiles cum peccato, nec inſeparabiles ab illa gratia; ergo illi effectus minus principales debent produci a ſacramentis, quoties iſta cum debitis rebus, & verbis, & intentione applicantur, & recipiuntur. Prob. ant. ex dictis alias: nam illa oppoſitio nullibi conſtat, ſc. nec ratione naturali, nec traditione Eccleſiæ, nec Scriptura; ergo &c.

Objic. 1. Sacramentum ſemper eſt validum, quando eſt verum ſacramentum; ſed non poteſt eſſe verum ſacra-

[1] *d.4.q.5.B.n.3.*

ſacramentum, & informe eſſe; ergo nec validum, & informe. Prob. min. Non poteſt eſſe verum ſacramentum, quin ſit ſignum efficax gratiæ; ſed non poteſt eſſe ſignum efficax gratiæ, & eſſe informe, ſeu quin cauſet gratiam: nam in hoc conſiſtit efficacia ſigni, ut cauſet id, quod ſignificat; ergo &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. maj. ſignum efficax gratiæ in ſubjecto diſpoſito, ſeu non habente obicem, con. maj. & neg. min. in ſubjecto habente obicem, neg. maj. & conſ. Sacramentum eſſentialiter, & quantum ex ſe, & niſi ex parte ſubjecti reperiat obicem, cauſat gratiam, & non eſt informe; ſed, ſi adeſt obex in ſubjecto, non cauſat actu, ſed cauſabit ſublato obice.

Objic. 2. Concluſio procedit de ſacramentis mortuorum, vel vivorum; ſed de neutris dici poteſt, quod ſint valida, & informia; ergo &c. Prob. min. quia ſi quid redderet ſacramentum invalidum, maxime peccatum mortale; ſed iſtud non impedit effectum ſacramenti mortuorum, ſi ſit validum; ergo &c. Prob. min. Nam ideo dicitur tale, quia delet peccatum mortale, & recipitur in ſtatu mortis, & vivificat mortuos per primam gratiam: ergo &c. Prob. eadem 1. min. quoad 2. p. Nam ſi ſubjectum ſit mortuum, ſeu carens vita gratiæ, non magis erit ſacramentum, quam ſi fieret ſupra equum, vel lapidem: nam peccator non eſt magis capax ſacramenti, quam brutum, aut lapis.

Reſp. neg. min. quoad utramque partem, & diſt. min. prob. 1. p. non impedit, ſi retractetur, & ſi præterierit ante ſuſceptionem quoad actum, con. ſi non præterierit quoad actum, nec fuerit retractatum, ſaltem per attritionem ſupernaturalem, neg. min. & idem dico ad ant. prob. Nam qui cum affectu ad peccatum mortale, & ſine aliqua pœnitentia, ſaltem ſine attritione ſupernaturali, reciperet baptiſmum, non ſolum non reciperet remiſſionem mortalium præteritorum; ſed etiam committeret novum peccatum, & ſacrilegium novum recipiens indigne; & ſic ſacramentum cauſaret quidem characterem, quia iſte non eſt incompatibilis cum peccato mortali, bene vero gratia ſanctificans; & ideo illam non recipit, quandiu adeſt ille obex.

Ad-

Ad 2. reſp. 1. con. ant. volentes ſacramenta vi-rum, quæ ſc. ſupponunt gratiæ vitam in ſuſcipi-te, & non cauſant niſi ſecundam, ſeu augmenti gratiæ, illa, inquam, ſacramenta non poſſunt e validа, & informia; nec id impedit veritatem c-cluſionis, & ideò neg. conſ.

Reſp. 2. neg. ant. & parit. Nam tota diſparitas tenet ex parte Dei inſtituentis, qui noluit homin privare abſolutè, & pro ſemper gratia baptiſma cum illa ſit abſolutè neceſſaria ad ſalutem; & i fruſtraretur pro ſemper, niſi baptiſmus illam c ſaret ſublato obice; quia illud ſacramentum non i ratur.

Objic. 3. Opera mortuorum non vivificantur p ſequentem gratiam, aut per ſacramenta; ergo n ipſa ſacramenta recepta cum obice peccati mortal nam illa ſunt opera mortua.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. ſunt opera mort quoad meritum operantis, con. quoad virtutem a ceptam à Deo, & quatenus ſunt opera divina, ne ant. Nam virtus operandi gratiam non eſt ab hom ne, ſed ab ipſo Deo,

CONCLUSIO. II.

P*Robabile eſt pœnitentiæ ſacramentum non poſſe e validum, & informe, bene vero alia, ſc. co firmationem, ordinem, matrimonium, & extrema unctionem.* Eſt ſatis communis, & maxime apud Sc tiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *In ficte pœnitente, ceſſan fictione, nihil eſt, quod ſufficiat ad effectum veræ p nitentiæ; alioqui non oporteret talem ficte confeſſu de eiſdem peccatis alias confiteri*; ergo ſupponit, quo ſacramentum hoc non poteſt eſſe validum, & info me: nam ſi eſſet validum, non eſſet iteranda confe ſio eorumdem peccatorum, ſi, quando fuit informe fuiſſet validum.

Prob. 1. p. quia non poteſt aſſignari defectus in p nitentia impediens effectum, & cauſalitatem grati juſtificantis, qui non impediat etiam validitatem ergo pœnitentia non poteſt eſſe valida, & informis

Prob.

[1] *d.* 10. *q.* 5. *A.* 7.

Prob. ant. Nam ille defectus ſe tenet vel ex parte miniſtri, qui non habet poteſtatem, vel intentionem abſolvendi, vel non applicat veram formam; vel ex parte recipientis, qui deficit in confeſſione, aut contritione, aut ſatisfactione, quæ ſunt quaſi partes materiales huius ſacramenti, ex Conc. Trident. ſed omnes illi defectus invalidant hoc ſacramentum; ergo &c. Prob. min. 1. ex parte miniſtri ſupponitur tum ex dictis de intentione, tum ex dicendis in proprio tract. 2. de aliis ex parte recipientis: nam illa tria conſtituunt materiam eſſentialem hujus ſacramenti; ſed defectus materiæ eſſentialis invalidat ſacramentum; ergo &c. Prob. maj. ex Concil. Trident. cit. [1] *Sunt autem quaſi materia hujus ſacramenti ipſius pœnitentis actus, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem ſacramenti, & ad plenam, & perfectam remiſſionem peccatorum ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur.*

Confir. hæc probatio ex rationibus, ſeu caſibus variis, in quibus adverſarii putant, pœnitentiam eſſe validam, & informem.

Prob. 2. p. de aliis: quia poſſunt dari, & recipi quoad omnia eſſentialia, licet recipiens non ſit diſpoſitus ad effectum gratiæ; ergo poſſunt eſſe valida, & informia. Prob. ant. Materia, & forma confirmationis, vel ordinis poſſunt adhiberi à miniſtro, & recipi à ſubjecto cum debita intentione, licet iſte non ſit diſpoſitus ad gratiam propter obicem peccati mortalis, quod inculpabiliter ignorat; ſed tunc illa ſacramenta valerent, & non cauſarent gratiam propter objcem illum; ergo &c. Prob. min. quia nihil eis deeſſet quoad eſſentialia; ergo &c.

Prob. 2. ſpecialiter de Confirmatione, & Ordine: quia eadem eſt ratio de illis, ac de Baptiſmo; ſed iſte poteſt eſſe invalidus, & informis; ergo & illa. Prob. maj. utraque ſunt non iterabilia, & imprimunt characterem, de quo nullus dubitat. 2. utraque ſunt ſi non æqualis, ſeu abſolutæ, ſaltem graviſſimæ neceſſitatis; ergo idem in utriſque fuit motivum Deo pariter ſtatuendi de utriſque. Prob. ant. Nam licet ſolus baptiſmus ſit abſolute neceſſarius ad ſalutem, non autem.

[1] *ſſ*.14.c.3.

autem alia; tamen ordo eſt tantæ neceſſitatis, ut ſine illo non haberemus ſacerdotes, nec ſacramenta Euchariſtiæ, nec Extremæ unctionis, nec pœnitentię, ſine quibus perirent innumeri: & hoc exiſtente invalido, nec imprimente characterem, nec conferente poteſtatem hæc faciendi, omnia illa ſequerentur inconvenientia: idem eſt de Confirmatione, illæ animæ deficerent a fide; ergo &c.

Prob. etiam de matrimonio, & Extrema unctione: quia iſta etiam ſacramenta rariſſime ſunt iterabilia, & graviſſimæ, licet non abſolutæ, neceſſitatis; ergo credibile non eſt, quod Deus ea voluerit dependere quoad valorem a diſpoſitione ſuſcipientium in talibus caſibus, & maxime ignorantiæ inculpabilis: & ita tenent graviſſimi Theologi omnis ſcholæ.

De Euchariſtia non audeo decidere. Certe non eſt eadem ratio de illa, ac de aliis ſacramentis; tum quia ex una parte hæc de ſe eſt Sacramentum permanens, & non dependens à ſuſceptione, vel uſu quoad eſſe; ex alia autem *qui manducat indigne, judicium ſibi manducat*; & ideo cum exactiſſima diligentia debet *probare ſe ipſum homo*, ſc. ſpecialis, & enormiſſima committitur irreverentia in Chriſti corpus, & perſonam.

Objic. 1. contra 1. p. Baptiſmus, & alia Sacramenta poſſunt recipi integra eſſentialiter ſine fructu gratiæ; ergo & pœnitentia; quia eadem eſt ratio de omnibus.

Reſp. neg. conſ. & ratio diſp. patet ex dictis. Nam in pœnitentia nihil poteſt impedire fructus gratiæ, quod non ſit illi Sacramento eſſentiale: at non ita eſt de aliis Sacramentis, ut patet.

Objic. 2. Qui vult fideliter confiteri peccata ſua, & illa confitetur, licet careat debito dolore, & maxime ex ignorantia, qua putat invincibiliter ſe habere ſufficientem, non tenetur iterum confiteri illa: ſed tamen ille non recipiet remiſſionis gratiam; nam [1] ad hanc requiritur dolor de præteritis cum propoſito non peccandi de cætero: ergo illa confeſſio erit valida, & informis.

Reſ. neg. maj. Nam ad validam confeſſionem Concilium non requirit dolorem imaginarium, ſed realem.

[1] *ſſ*. 14. c. 4.

lem, & ſyncerum: requirit contritionem perfectam, aut imperfectam, quæ ſit verus animi dolor.

Inſt. Saltem dolor imperfectus, & inefficax ſufficeret ad valorem, & non ad gratiam; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam Concilium requirit dolorem talem de præteritis, ut conjunctus ſit cum firmo propoſito non peccandi de cætero: ergo exigit dolorem efficacem, ſine quo nihil ſit.

Objic. 3. Si quis doleret de peccatis confeſſis ob propriam, & ſpecialem eorum turpitudinem, non extendendo illum dolorem ad alia peccata; vel ſi doleret de peccatis confeſſis præciſe, & non de oblitis mortalibus, valida eſſet confeſſio, & tamen non reciperet gratiam: & ſi moreretur in illo ſtatu, damnaretur, ſc. propter alia peccata mortalia non confeſſa: ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam ſi ille dolor non attingeret perfectionem illius attritionis, quam exigit Concil. ut neceſſariam, & eſſentialem, non fieret Sacramentum: ſi vero attingeret, eſſet valida confeſſio, & conferret gratiam, dolor extenderetur ad omnia prorſus, ſaltem virtualiter, & implicite.

Inſt. Saltem poſſet deficere in propoſito, ſalva validitate, & ſine fructu; ergo &c. Prob. ant. Si propoſitum peccandi non limitaretur ad ſola peccata confeſſa, nihil reſolvens quoad oblita, ſufficeret ad valorem, & non ad fructum: ergo &c.

Reſp. eodem modo, neg. utrumque ant. Nam ſicut dolor debet omnia comprehendere peccata commiſſa, a fortiori propoſitum debet extendi ad omnia commiſſa, & committenda, quæcumque illa ſint: imo, ni fallor, debet extendi generaliter ad omnia prorſus peccata vitanda; & ſic generalius debet eſſe propoſitum, ſaltem virtualiter, quam dolor: iſte ſufficit de omnibus commiſſis; illud debet eſſe etiam de omnibus committendis, ſaltem implicite, & virtualiter; alioqui non erit perfecta reconciliatio cum Deo, niſi peccator reſolvat ſe nolle de cætero Deum offendere.

Objic. 4. In ſacra ordinatione tam poſitive dicitur ordinando, *Accipe Spiritum S.* quam pœnitenti, *Abſolvo te a peccatis*; ſed ordinatio illa eſt valida, & ordinandus accipiet characterem, & poteſtatem, li-

cet non accipiat gratiam propter obicem peccati mortalis; ergo & in confeſſione pœnitens accipiet ſaltem liberationem ab obligatione iterum confitendi illa peccata, licet non accipiat gratiam; ergo & illa confeſſio erit valida, & informis.

Reſp. neg. parit. Nam ordinatio principaliter inſtituta eſt ad conferendam poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, & abſolvendi; & ideo poteſt illam conferre ſine gratia, ſi adſit obex hujus gratiæ: pœnitentia vero principaliter, & quaſi unice tendit ad conferendam gratiam remiſſionis peccatorum; ideo valere non poteſt ſine illa

Dixi in concluſione, *probabile eſt*, &c. nam cum in his *tota ratio facti ſit voluntas Dei facientis*; & cum de hac voluntate non conſtet neque ex Scriptura, neque ex traditione, vel determinatione Eccleſiæ, nihil certi poſſumus definire, & maxime quia in contrarium habetur auctoritas graviſſimorum Theologorum cum aliquibus motivis non contemnendis.

CONCLUSIO III.

B*Aptiſmus, qui validus, & informis fuit in receptione propter obicem peccati, reviviſcit, & gratiam operatur ſublato obice: & probabilius idem dicitur de aliis ſacramentis, quæ poſſunt eſſe valida, & informia*. Eſt communiſſima quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto: *In quibuſcumque ſacramentis imprimitur diſpoſitio ad effectum principalem, ſi propter obicem in ſuſcipiente non cauſatur tunc effectus principalis, ceſſante obice, ſufficit poſitio ad illum effectum principalem*, &c. Item loquens de baptiſino dicit, quod illa fictio, ſeu obex, ſeu peccatum *non dimittitur niſi per veram pœnitentiam, ſed ea dimiſſa baptiſmus habet effectum ſuum reſpectu omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, quæ tamen non erant cauſa fictionis in baptiſmo*, &c.... *nec oportet dicere, characterem in ficto aliquid operari, ſed ſolum, quod Deus ex eadem pactione aſſiſtit etiam poſtea ei, qui ſuſcipit ad cauſandum effectum, quam cito obex tollitur*. Vide totum illum locum.

Prob. 1. p. ex Patribus. Nam inquit Cyprianus: *Licet*

[1] *Licet indigni ſint, qui accipiunt; Sacramentorum tamen reverentia & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, &, ubi redierunt ad cor, conſtat ablutionis donum; & redit effectus munerum.* [2] Et Auguſt. docet, quod *vero baptiſmo baptizari poteſt homo; & tamen cor ejus in malitia, vel ſacrilegio perſeverans peccatorum abolitionem non ſinit fieri... qui tamen tunc proſit ad remiſſionem peccatorum, cum quis reconciliatus unitati ſacrilegio diſſenſionis exuitur ... tunc baptiſmus valere incipit ad ſalutem, cum illa fictio veraconfeſſione receſſerit*, &c. [3] Et S. Greg. relatus in can. *Sanctum baptiſma, quod ſunt apud hæreticos conſecuti, tunc in eis virtus emundationis accipit, cum vel iſti per impoſitionem manus Spiritum S. acceperint, vel illi propter profeſſionem veræ fidei Eccleſiæ uniti fuerint.* [4] Et S. Iſid. Hiſpal. *Habet quidem baptiſmum Chriſti hæreticus, ſed quia extra unitatem fidei, nihil ei prodeſt; at ubi ingreſſus fuerit, ſtatim baptiſma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit jam illi prodeſſe ad ſalutem*; ergo baptiſmus informis, ſed validus ſanctificat ſublato obice.

Prob. 2. Nam ſi peccata ante baptiſmum receptum ficte non dimitterentur per illum, ſeu in virtute, & intuitu illius ſublata fictione, nunquam remitterentur; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; ergo &c. Prob. maj. non enim remitterentur per pœnitentiam virtutem, aut ſacramentum, aut per alia ſacramenta: nam peccata ante baptiſmum commiſſa non cadunt ſub objectum pœnitentiæ, nec aliorum ſacramentorum, & maxime peccatum originale, quod non eſt objectum pœnitentiæ noſtræ, ſicut non eſt commiſſum voluntate noſtra.

Dices. Semper in his caſibus neceſſaria eſt pœnitentia, & ſufficit ad remiſſionem peccatorum, & infuſionem gratiæ, ſive id faciat per ſe, ſive per accidens.

Contra. Nam 1. id non valet pro peccato originali, ſaltem regulariter. 2. pœnitentia non juſtificat antecedenter ad baptiſmum, qui eſt janua ſacramentorum:

[1] *Ser. paſſio.1.De Bapt.12.*
[2] *9.Ep.66.*
[3] *d.4.c.44.conſ.*
[4] *2.Offic.24.*

rum; & ſi nihil amplius operaretur, poſſet haberi ſalus ſine illo: an autem in hoc caſu, & quomodo influat in gratiam juſtificationis, mox dicemus.

Prob. 2. pars de aliis, & maxime de imprimentibus characterem: nam iſta non iterantur; ergo quoad hoc eadem eſt ratio de iſtis, ac de baptiſmo: & ideo æque debent movere Deum ad concedendam gratiam intuitu illorum, ſublato obice.

Prob. denique de aliis, ſi quæ poſſint eſſe valida & informia: nam id de illis non fuit difficilius Deo ſic ſtatueret: ergo pie, & magis probabiliter credimus, quod ex eadem miſericordia id ſtatuit.

Confir. de matrimonio, quod non iteratur niſi accidentaliter, ſed durat per totam vitam conjugum. Idem eſt de extrema unctione, quæ rariſſime iteratur. Quantum ad Euchariſtiam, & pœnitentiam nihil dico, quia non puto ea poſſe valide recipi cum obice.

Objic. 1. Quod non exiſtit, non poteſt operari: ſed quando tollitur obex, ſacramenta illa non exiſtunt: ergo non operantur.

Reſp. diſt. maj. quod non exiſtit phyſice, aut moraliter, conc. maj. & neg. min. quod non exiſtit phyſice, neg. maj. & conſ. Sacramenta, ſublato obice, exiſtunt moraliter, & in mente Dei, qui eorum intuitu, & ut præteritorum confert gratiam ablato obice.

Inſt. 1. Quod non exiſtit phyſice, non poteſt operari phyſice; ſed ſacramenta debent operari phyſice, ut ſupponitur; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam nequidem exiſtentia phyſice operantur phyſice, ut videbimus, &c.

Inſt. 2. Non magis debent operari ut præterita, quam ut futura, & in voto; ſed in voto, & ut futura non operantur; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam, ut præterita phyſice, retinent præſentiam moralem: ſed ut futura nihil habent reale.

Objic. 2. Opera mortua non vivificantur ad meritum: ſed ſacramenta ſumpta cum fictione ſunt opera mortua: ergo nunquam vivificantur ad operandam gratiam.

Reſp. diſt. min. ſunt opera mortua ex parte operantis, & in ratione meriti ejus, con. in ratione ſa-

cra-

cramenti, & ex parte Chriſti, & Eccleſiæ, neg. min. Nam ex ea parte ſunt opera viva, & animata meritis Chriſti.

Objic. 3. Quando tollitur obex, cauſa tollens obicem, & præſens ſufficit ad cauſandam gratiam; ergo fruſtra hoc tribuitur ſacramento præterito. Prob. maj. Per eandem cauſam confertur gratia, per quam tollitur peccatum; ſed tollitur peccatum per pœnitentiam præſentem, & hæc ſufficit; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. prob. tolli poteſt fictio negativa baptiſmi v. g. per attritionem, ſeu contritionem imperfectam, quæ non ſufficit ad juſtificationem, ut videbimus.

Objic. 4. In ſenſu totius Eccleſiæ, ac fidelium ſacramenta fictè ſuſcepta non proſunt, imo & nocent; irritant enim Deum, & movent ad vindictam in profanatores, quia *ſic induunt maledictionem pro benedictione*; ſed ſi reviviſcerent ad gratiam, eſſent ſemper utilia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam fideles benè inſtructi, quamvis horreant peccatum, quod committitur ab indignè, & fictè ſuſcipientibus fictione poſitiva; ſciunt tamen, quòd alii recipiant juvamen ex illis, ſc. gratias actuales, & habitualem, cùm tollitur obex: qui verò recipiunt cum fictione negativa, ſunt magis excuſabiles; quia ferè inculpabiliter, & ignoranter id faciunt.

QUÆSTIO X.

Per quid tollatur obex ille, & quomodo, & quando ſacramentum præteritum tunc operetur.

ADultus, qui ſuſcipit baptiſmum, vel habet alia peccata actualia cum originali, quæ debent ſimul deleri, & ſi hæc non deteſtetur, antequam baptizetur, indignè ſuſcipit, nec recipit gratiam; & in eo ſtatu vel inadvertenter ſuſcipit ſacramentum ſine ulla pœnitentia, non videtur novum peccatum committere, quia fortè ignorantia excuſat; ſed ſi advertat ad impedimentum, & negligat pœnitere, vel potiùs perſeveret in affectu peccati, committit novum peccatum, quod eſt ſacrilegium. 3. Denique ſi

poſt ſacramentum informe, adhuc nova peccata committit, addit novos obices ad gratiam baptiſmalem, quam prætendit recuperare: & quærimus hìc, per quid tollantur hi obices.

Rurſus illa media, per quæ tolluntur obices illi, habent ſuum valorem, quem ſuperaddunt valori Sacramenti præteriti, cujus effectus ſuſpenſus, ſeu fruſtratus fuit in ejus receptione: & ſic quæritur, an ſublatis obicibus, ſacramentum illud fruſtratum operetur in homine totam gratiam, quam debebat ex ſe, & propria virtute operari, niſi inveniſſet obicem: & an preterea idem homo recipiat novum gradum gratiæ reſpondentem operi, per quoad aufert obicem, v. g. operi contritionis, vel ſacramenti.

CONCLUSIO I.

Ad tollendum obicem negativum peccatorum præcedentium baptiſma requiritur, & ſufficit contritio, vel attritio ſupernaturalis: pro peccatis autem vel comitantibus, vel ſequentibus baptiſmi receptionem requiritur vel contritio perfecta cum voto ſacramenti, vel ipſum pœnitentiæ ſacramentum. Idem eſt de aliis à fortiori.

Prob. ex Scoto cit. quoad utramque partem, qui docet, quòd *per baptiſmum fictio non dimittitur, niſi per veram pœnitentiam; ſed ea dimiſſa baptiſmus habet effectum ſuum reſpectu omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, quæ tamen non erant cauſa fictionis in baptiſmo*: Et dicit, quòd *oportet pœnitere de peccatis, quæ ſunt cauſa fictionis in baptiſmo, & in quantum ſuit cauſa fictionis; quod pro tanto dicit, quia fortè per illud peccavit novo peccato mortali, faciens irreverentiam ſacramento . . . ſed recedente fictione iſta, quæ fuit impedimentum effectus baptiſmi, Deus confert gratiam baptiſmalem in remedium contra alia peccata, quæ fuiſſent deleta in baptiſmo, niſi fictio occurriſſet.*

Vult ergo Doctor, quòd baptiſmus ex ſe, & mediante attritione de peccatis præcedentibus baptiſmum, remiſiſſet illa, & contuliſſet gratiam, niſi interveniſſet iſtud novum in receptione baptiſmi: & quod ſi pœniteat de iſto, aufertur ille obex; & tunc ba-

baptiſmus, qui propter illum fuerat infructuoſus, evadit fructuoſus; & agnoſcit hanc differentiam inter pœnitentiam de peccatis præcedentibus, & quæ præceſſit baptiſmum, quòd non debet neceſſariò eſſe adeò perfecta, ſicut illa, per quam tollitur ille obex poſitivus, ſeu novum illud peccatum mortale. Hinc

Prob. 1. p. quia obex purè negativus veniens ex defectu doloris de peccatis actualibus præcedentibus baptiſmum debet, & poteſt auferri per eandem pœnitentiam, per quam debebat auferri; ſed ille obex potuiſſet auferri per pœnitentiam actualem, & ſufficiebat attritio ſupernaturalis deſtructiva omnis affectus ad peccatum; ergo & poſt baptiſmum eadem ſufficiet. min. ſupponitur ex communi ſententia de ſufficientia talis attritionis: quia Concil. Trident. non requirit perfectiorem. Prob. maj. Nam ſi in receptione ſacramenti nullum novum peccatum, nec nova fictio occurrerit, eodem modo tolli debent præcedentia, quo tolli debebant ante ſacramentum, ut eſſet fructuoſum.

Confir. Nam baptiſmus de ſe eſt ſacramentum mortuorum, & confert primam gratiam, & eſt janua aliorum ſacramentorum; ergo peccata præcedentia baptiſmum non ſunt materia per ſe ſacramenti pœnitentiæ; nec exigunt per ſe deleri ante operationem baptiſmi, per quem confertur prima gratia.

Prob. 2. p. Nam obex, ſeu fictio poſitiva, ſeu peccatum, quod committitur in ipſa receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum, non eſt ampliùs de objecto ejus, nec poteſt deleri per illum; ergo debet deleri per ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto; quia illud eſt 2. poſt naufragium tabula.

Confir. ex Auguſt. quem citat Doctor. *Tunc vere incipit baptiſmus ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſit;* ergo fictio poſitiva debet auferri per pœnitentiam ſacramentalem in re, vel in voto; alioqui non eſt verax confeſſio.

Objic. 1. contra totam concl. Baptiſmus eſt ejuſdem efficaciæ ante obicem poſitivum, & poſt ablatum obicem illum; ergo vel non ſufficit attritio ad tollendum obicem negativum, & peccata præcedentia, vel

ſufficit ad tollendos comitantes, & ſubſequentes, ſeu poſitivos.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt idem ſit valor baptiſmi, non eadem eſt diſpoſitio ſubjecti. Ante baptiſmum omnia peccata, quæ illum præcedunt, ſubſunt ejus virtuti, non autem illa, quæ illum comitantur, vel ſequuntur, ut ſunt obices poſitivi, ſeu peccata, quæ in ejus receptione patrantur; ad illorum remiſſionem ſufficit diſpoſitio negativa, ſeu non affectio ad peccatum, quæ eſt obex gratiæ, & effectus ſacramenti vivorum; ſed iſta poſteriora non ſunt ampliùs de juriſdictione (ut ita loquar) baptiſmi, ſed pœnitentiæ; & ideò per iſtam debent deleri, ut baptiſmus poſſit habere ſuum effectum plenarium.

Objic. 2. In ſacramento pœnitentiæ peccata inculpabiliter omiſſa non fuerunt ejus materia, & tamen per abſolutionem delentur mediante attritione generali; ergo peccata commiſſa in receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum delentur tamen intuitu illius, mediante attritione generali, licèt non ſint de ejus materia.

Reſp. neg. ant. Nam peccata omnia commiſſa ante confeſſionem ſacramentalem ſunt de ejus materia, ſaltem implicita: ſed non ita eſt de illis, quæ committuntur in receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum; hæc enim pertinent ad claves Eccleſiæ, quia commiſſa ſunt ab ejus ſubdito.

Inſt. Homo non fit ſubditus Eccleſiæ ante baptiſma integrum; ergo peccata, quæ committuntur in receptione baptiſmi, non ſunt à ſubdito Eccleſiæ; quia baptiſmus nondum eſt integer.

Reſp. neg. ant. Nam actu fit ſubditus Eccleſiæ per actualem receptionem baptiſmi, quia illum ab ea recipiens ſe ipſi ſubjicit, & ex tunc eſt ſubditus: ipſa baptizatio eſt actus poteſtatis Eccleſiæ ſuper illum.

Inſt. 2. Illud peccatum eſt indiſpoſitio ad baptiſmum; ergo præcedit baptiſmum; ergo non cadit ſub poteſtate clavium.

Reſp. diſt. ant. eſt indiſpoſitio, ſeu obex comitans receptionem præſentem, & actualem, con. ant. indiſpoſitio præcedens, neg. ant. & conſ. Nam ille obex accidit in ipſa receptione baptiſmi, & eam co-

mi-

mitatur; imò eſt culpa reſultans ex tali receptione, & illam potiùs ſequens; quia conſummatur, & habet eſſe completum ſuppoſita completione baptiſmi.

Objic. 3. Si eſſet neceſſaria pœnitentia in re, vel in voto cum contritione, nihil faceret baptiſmus præteritus: nam illa ſufficeret ſe ſola ad omnia delenda tam præcedentia, quàm comitantia, & ſequentia; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. cum ſua ratione: nam pœnitentia illa priùs influeret in deletionem peccatorum; ergo &c. Prob. ant. prius eſt tolli obicem effectus baptiſmi, quàm illum effectum cauſari; ſed pœnitentia auferret obicem illum; ergo & priùs auferret peccata omnia, & cauſaret gratiam ſanctificantem.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prius natura auferret obices, con. prius deleret præcedentia peccata, neg. ant. & conſ. Nam pœnitentia ageret circa materiam, & objectum ſuum, & baptiſmus circa ſuum; & ambo ſimul tempore cauſarent gratiam ſibi correſpondentem, ut cauſa partialiter totalis gratiæ, quæ tunc recipitur.

Dixi autem in concluſione, quòd *idem eſt à fortiori de aliis ſacramentis, quæ ſunt vivorum*, ſeu quæ non cauſant primam gratiam: nam cùm ipſa per ſui realem receptionem nihil agant, niſi recipiens ſit abſque peccato mortali, aut niſi ad ea ſe diſponat per pœnitentiæ ſacramentum in re, vel in voto cum perfecta contritione, ita nec poſt ſui receptionem cum obice, ſi aliquando valeant ſic recepta, ut probabiliter dictum eſt: nec enim aliter operari poſſunt ſublato obice, quàm operarentur recepta ſine obice; nec aliter auferri poteſt obex poſt infructuoſam receptionem, quàm ante fructuoſam.

CONCLUSIO II.

QUi recipit aliquod ſacramentum validè, & infructuosè propter obicem, recipit per pœnitentiam, qua aufertur obex, & gratiam totam prioris ſacramenti, & gratiam pœnitentiæ.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Poteſt dici, quòd quando verè*

[1] *Ibid. E. n. 7.*

rì aliquem pœnitet de fictione illa, gratia ſibi infunditur perfectior illa, quæ præcisè virtute pœnitentiæ infunderetur, ita quod illa includit in ſe perfectionem gratiæ pœnitentialis, & baptiſmalis; quia gratia æquivalens gratiæ baptiſmali datur pœnitenti de fictione ſimul cum illa, quam meretur de pœnitendo; ergo recipit eam gratiam, quam debebat recipere per baptiſmum, niſi adfuiſſet obex, & eam, quam ex ſe debet operari ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto per contritionem.

Prob. 2. ex Auguſt. cit. ab eodem Scoto. Nam *ſi baptiſmus fictè ſuſceptus incipit valere, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit*, ergo tunc aliquid operatur ad ſalutem, ſc. gratiam, quam debuiſſet operari, ſi receptus fuiſſet debitè. Præterea verax illa confeſſio non debet carere ſuo fructu; ergo tunc recipitur duplex gratia, ſc. baptiſmalis, & pœnitentialis.

Confir. Nam ſi in eo caſu baptiſmus (idem eſt de aliis) nihil operaretur, fruſtra diceretur reviviſcere ſublato obice. Quid enim juvat gratiam dari duplici titulo, ſcilicet baptiſmi præteriti, & pœnitentiæ præſentis, ſi non ſit major ſub duplici, quam ſub unico? Sed conſ. eſt abſurdum; ergo &c.

Dico, *gratiam totam prioris ſacramenti*; nam, ut docet S. Auguſtinus, [1] *Baptiſma & in homine juſto, & in homine injuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate alicujus augetur, neque iniquitate alicujus minuitur*; ergo tota gratia, quam baptiſmus erat operaturus, niſi adfuiſſet obex in recipiente ex opere operato, confertur illi poſtea, cùm aufertur ille obex; quia ſemper eſt eadem virtus, & valor illius ſacramenti.

Objic. 1. Qui poſt baptiſmum fructuosè ſuſceptum amittit gratiam baptiſmalem, non recuperat illam per pœnitentiam ſubſequentem; ergo multò minùs debet eam recuperare, vel recipere, qui ſua culpa privavit ſe illa, recipiendo baptiſmum fictè, & indebitè. Ant. ſupponitur ex communi omnium ſuffragio. Prob. conſ. Nam qui fictè ſuſcepit, eſt magis reus, quàm qui poſt ritè ſuſceptum amiſit acceptam gratiam; ergo &c.

Reſp.

[1] *6. con. donat. 5.*

Reſp. neg. conſ. Nam in caſu amiſſæ gratiæ baptiſmalis non reſtat homini titulus, nec promiſſio aſſiſtentiæ divinæ conferendi gratiam dilatam, & ſuſpenſam propter obicem; & baptiſmus tunc operatus eſt effectum ſuum: at in caſu reviviſcentiæ pœnitens habet duplicem titulum, nempe duplex ſacramentum, unum reviviſcens ex pacto divino, & aliud vivum.

Inſt. Ergo recipiens fictè haberet emolumentum ex peccato: nam cùm reus eſſet ſacrilegii, & aliorum peccatorum æqualium cum iſto, haberet tamen majorem gratiam.

Reſp. neg. ſubſ. Nam paſſus eſſet privationem gratiæ accipiendæ per baptiſmum debitè ſuſceptum, & reatum æternæ damnationis per totum tempus intermedium uſque ad reviviſcentiam; quod ſine dubio eſt inæſtimabile malum.

QUÆSTIO XI.

An liceat petere, & recipere ſacramentum à miniſtro peccatore.

QUæſtio hæc procedit de miniſtro, qui ſciretur eſſe præciſus, id eſt ſuſpenſus ab exercitio ſacerdotii, vel excommunicatus notoriè, vel in ſtatu peccati mortalis: item de ſacramenti petitione in caſu neceſſitatis, aut puræ congruitatis; an ſc. licitè peti & recipi debeant ſacramenta à talibus miniſtris.

CONCLUSIO I.

IN caſu neceſſitatis licet petere, & recipere ſacramentum a præciſo, & multò magis à peccatore, ſive notorio tolerato, ſive occulto, non autem extra tales caſus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Poteſt teneri... quòd adulto licet recipere baptiſmum à præciſo, ſi alius miniſter haberi non poteſt.... quantùm ad parvulum ſi nullus poſſit haberi non præciſus, qui eum baptizet, & immineat periculum, quod non poſſit expectari habere miniſtrum idoneum, tenetur neceſſariò ille offerre pue-*

[1] *d.* 5. *q.* 2. *B. & C. n.* 3. *&* 4.

rum ſuum præciſo: nimis etiam durum eſſet dicere, quod tenetur parvulum ſuum perpetuò damnari permittere, cùm poſſit habere aliquem, qui eum baptizet, &, cum ſalvetur, à quocunque baptizetur . . . ſi autem eſt occultè malus, ita quod vita ejus non eſt ſcandaloſa populo, ſatis conceditur, quòd poſſit aliquis à tali, imò debeat recipere baptiſmum, ſi aliàs debeat, quia propter peccatum, quod non eſt notorium, non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum: ſi autem eſt notoriè malus, v.g. publicè fornicarius &c. *aut incumbit illi ex officio diſpenſare ſacramentum baptiſmi, quia eſt ſacerdos, vel curatus parochialis . . . non peccat, qui recipit baptiſmum pro ſe, vel pro parvulo; quia non peccat qui a malo petit debitum, vel accipit . . . ſi non incumbit illi ex officio, & ſi homo poſſit habere alium meliorem, peccat qui à malo recipit*, &c.

Prob. 2. quia magis urget præceptum divinum, quàm humanum; ſed in caſu neceſſitatis baptiſmi v. gr. urget præceptum divinum (*Niſi quis renatus fuerit* &c.) ad illum recipiendum; & prohibitio, vel præciſio ex parte miniſtri eſt præceptum Eccleſiaſticum humanum; ergo potiùs à præciſo, vel alio peccatore recipiendum eſt baptiſma, quàm permittere ſalutem pueri periclitari.

Prob. 2. p. Nam pariter in caſu neceſſitatis, qui petit ſacramentum ab eo, qui dare illud poteſt validè, aut debet, utitur jure ſuo, ut ſatisfaciat debito ſuo proprio: ergo &c. & quidem à fortiori: nam hic peccator non eſt ſuſpenſus, neque excommunicatus, ſicut eſt ille præciſus; ergo ſi ab iſto peti, & recipi poteſt in caſu neceſſitatis, à fortiori ab illo.

Prob. 3. p. de peccatore occulto. Nam, ut docet Scotus, pro peccatis occultis non debet vitari proximus, ſaltem probabiliter.

Prob. 4. p. Nam niſi adſit caſus neceſſitatis abſolutæ, non debet peti, aut recipi ſacramentum à præciſo, ſeu excommunicato, quem jubet Eccleſia vitari. 2. nec à ſuſpenſo ab executione ordinum ſacrorum, vel ab adminiſtratione ſacramentorum: nam ſicut prohibetur illis talis miniſtratio, ita & aliis prohiberi cenſetur eos ad vetitum invitare, niſi urgeat caſus neceſſitatis, in quo cenſeatur Eccleſia id permittere.

Objic.

Objic. 1. contra 1. p. ex Patribus. Nam de præciſis dicit Ambroſ. [1] *Qui faciunt, & quibus faciunt, nihil prodeſt, ſed ad judicium eſt;* ergo cenſet invalidum eſſe ſacramentum receptum à præciſis.

Reſp. neg. conſ. Nam Ambroſ. loquitur de præciſis hæreticis, qui non utuntur debita forma, nec adminiſtrant ex recta intentione, ſed prava, quam habent oppoſitam formæ, & intentioni Eccleſiæ.

Inſt. Tales excommunicati carent omni poteſtate; ergo invalidè miniſtrant.

Reſp. neg. ant. Nam illi, de quibus loquimur, habent poteſtatem ordinis, quæ eſt quidem ligata pro tempore, quo durat cenſura, ſed non in illis caſibus: nec enim id intendit Eccleſia.

Objic. 2. Nunquam licet cooperari peccato; ſed qui petit ab illis miniſtris, cooperatur illorum peccato, imò & illos invitat ad peccandum; ergo nunquam licet ab eis petere ſacramentum.

Reſp. neg. min. Nam in illis caſibus extremæ neceſſitatis non peccat præciſus, nec etiam petens, & recipiens illa ſacramenta non ſunt præciſi pro illis caſibus. Quantùm ad peccatores minor eſt ratio, quia ſecluſo ſcandalo pro publicis peccatoribus, iſti poſſunt pœnitere, & conteri antequam miniſtrent; & ſi non faciunt, eorum eſt culpa, & non petentis, qui utitur jure ſuo.

Inſt. Qui ſciret miniſtrum non velle miniſtrare ſine ſimonia, non poſſet ab eo recipere ſacramentum illud, ſed potius deberet mori ſine illo, quàm cooperari ſimoniæ; ergo idem eſt de alio quovis caſu, in quo quis cooperaretur peccato miniſtri mali, & indignè miniſtrantis.

Reſp. neg. conſ. & diſp. eſt, quia in illa receptione, & adminiſtratione ſacramenti adeſt malitia inſeparabilis, & intrinſeca, non autem in aliis caſibus. Nam miniſter præciſus cenſetur habilitatus quoad illos: vel peccator poteſt conteri, antequam miniſtret; & neceſſitas poteſt ſic urgere, ut ſine novo peccato id fiat, ſed non in caſu ſimoniæ, niſi animum deponat ſimoniacum.

Objic. 3. Omnis adultus poteſt ſupplere defectum ſacramenti per actum contritionis; ergo nullus eſt

[1] *de init. Rud.*

rum; & ſi nihil amplius operaretur, poſſet haberi ſalus ſine illo: an autem in hoc caſu, & quomodo influat in gratiam juſtificationis, mox dicemus.

Prob. 2. pars de aliis, & maxime de imprimentibus characterem: nam iſta non iterantur; ergo quoad hoc eadem eſt ratio de iſtis, ac de baptiſmo: & ideo æque debent movere Deum ad concedendam gratiam intuitu illorum, ſublato obice.

Prob. denique de aliis, ſi quæ poſſint eſſe valida & informia: nam id de illis non fuit difficilius Deo ſic ſtatueret: ergo pie, & magis probabiliter credimus, quod ex eadem miſericordia id ſtatuit.

Confir. de matrimonio, quod non iteratur niſi accidentaliter, ſed durat per totam vitam conjugum. Idem eſt de extrema unctione, quæ rariſſime iteratur. Quantum ad Euchariſtiam, & pœnitentiam nihil dico, quia non puto ea poſſe valide recipi cum obice.

Objic. 1. Quod non exiſtit, non poteſt operari: ſed quando tollitur obex, ſacramenta illa non exiſtunt: ergo non operantur.

Reſp. diſt. maj. quod non exiſtit phyſice, aut moraliter, conc. maj. & neg. min. quod non exiſtit phyſice, neg. maj. & conſ. Sacramenta, ſublato obice, exiſtunt moraliter, & in mente Dei, qui eorum intuitu, & ut præteritorum confert gratiam ablato obice.

Inſt. 1. Quod non exiſtit phyſice, non poteſt operari phyſice; ſed ſacramenta debent operari phyſice, ut ſupponitur; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam nequidem exiſtentia phyſice operantur phyſice, ut videbimus, &c.

Inſt. 2. Non magis debent operari ut præterita, quam ut futura, & in voto; ſed in voto, & ut futura non operantur; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam, ut præterita phyſice, retinent præſentiam moralem: ſed ut futura nihil habent reale.

Objic. 2. Opera mortua non vivificantur ad meritum: ſed ſacramenta ſumpta cum fictione ſunt opera mortua: ergo nunquam vivificantur ad operandam gratiam.

Reſp. diſt. min. ſunt opera mortua ex parte operantis, & in ratione meriti ejus, con. in ratione ſa-

cramenti, & ex parte Chriſti, & Eccleſiæ, neg. min. Nam ex ea parte ſunt opera viva, & animata meritis Chriſti.

Objic. 3. Quando tollitur obex, cauſa tollens obicem, & præſens ſufficit ad cauſandam gratiam; ergo fruſtra hoc tribuitur ſacramento præterito. Prob. maj. Per eandem cauſam confertur gratia, per quam tollitur peccatum; ſed tollitur peccatum per pœnitentiam præſentem, & hæc ſufficit; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. prob. tolli poteſt fictio negativa baptiſmi v. g. per attritionem, ſeu contritionem imperfectam, quæ non ſufficit ad juſtificationem, ut videbimus.

Objic. 4. In ſenſu totius Eccleſiæ, ac fidelium ſacramenta ficté ſuſcepta non proſunt, imo & nocent; irritant enim Deum, & movent ad vindictam in profanatores, quia *ſic induunt maledictionem pro benedictione*; ſed ſi reviviſcerent ad gratiam, eſſent ſemper utilia; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam fideles benè inſtructi, quamvis horreant peccatum, quod committitur ab indignè, & fictè ſuſcipientibus fictione poſitiva, ſciunt tamen, quòd alii recipiant juvamen ex illis, ſc. gratias actuales, & habitualem, cùm tollitur obex: qui verò recipiunt cum fictione negativa, ſunt magis excuſabiles; quia ferè inculpabiliter, & ignoranter id faciunt.

QUÆSTIO X.

Per quid tollatur obex ille, & quomodo, & quando ſacramentum præteritum tunc operetur.

Adultus, qui ſuſcipit baptiſmum, vel habet alia peccata actualia cum originali, quæ debent ſimul deleri, & ſi hæc non deteſtetur, antequam baptizetur, indignè ſuſcipit, nec recipit gratiam; & in eo ſtatu vel inadvertenter ſuſcipit ſacramentum ſine ulla pœnitentia, non videtur novum peccatum committere, quia fortè ignorantia excuſat; ſed ſi advertat ad impedimentum, & negligat pœnitere, vel potiùs perſeveret in affectu peccati, committit novum peccatum, quod eſt ſacrilegium. 3. Denique ſi

poſt ſacramentum informe, adhuc nova peccata committit, addit novos obices ad gratiam baptiſmalem, quam prætendit recuperare: & quærimus hìc, per quid tollantur hi obices.

Rurſus illa media, per quæ tolluntur obices illi, habent ſuum valorem, quem ſuperaddunt valori Sacramenti præteriti, cujus effectus ſuſpenſus, ſeu fruſtratus fuit in ejus receptione: & ſic quæritur, an ſublatis obicibus, ſacramentum illud fruſtratum operetur in homine totam gratiam, quam debebat ex ſe, & propria virtute operari, niſi inveniſſet obicem: & an præterea idem homo recipiat novum gradum gratiæ reſpondentem operi, per quod aufert obicem, v. g. operi contritionis, vel ſacramenti.

CONCLUSIO I.

AD tollendum obicem negativum peccatorum præcedentium baptiſma requiritur, & ſufficit contritio, vel attritio ſupernaturalis: pro peccatis autem vel comitantibus, vel ſequentibus baptiſmi receptionem requiritur vel contritio perfecta cum voto ſacramenti, vel ipſum pœnitentiæ ſacramentum. Idem eſt de aliis à fortiori.

Prob. ex Scoto cit. quoad utramque partem, qui docet, quòd *per baptiſmum fictio non dimittitur, niſi per veram pœnitentiam; ſed ea dimiſſa baptiſmus habet effectum ſuum reſpectu omnium peccatorum præcedentium baptiſmum, quæ tamen non erant cauſa fictionis in baptiſmo*: Et dicit, quòd *oportet pœnitere de peccatis, quæ ſunt cauſa fictionis in baptiſmo, & in quantum ſuit cauſa fictionis; quod pro tanto dicit, quia fortè per illud peccavit novo peccato mortali, faciens irreverentiam ſacramento . . . ſed recedente fictione iſta, quæ fuit impedimentum effectus baptiſmi, Deus confert gratiam baptiſmalem in remedium contra alia peccata, quæ fuiſſent deleta in baptiſmo, niſi fictio occurriſſet.*

Vult ergo Doctor, quòd baptiſmus ex ſe, & mediante attritione de peccatis præcedentibus baptiſmum, remiſiſſet illa, & contuliſſet gratiam, niſi interveniſſet iſtud novum in receptione baptiſmi: & quod ſi pœniteat de iſto, aufertur ille obex; & tunc ba-

baptiſmus, qui propter illum fuerat infructuoſus, evadit fructuoſus; & agnoſcit hanc differentiam inter pœnitentiam de peccatis præcedentibus, & quæ præceſſit baptiſmum, quòd non debet neceſſariò eſſe adeò perfecta, ſicut illa, per quam tollitur ille obex poſitivus, ſeu novum illud peccatum mortale. Hinc

Prob. 1. p. quia obex purè negativus veniens ex defectu doloris de peccatis actualibus præcedentibus baptiſmum debet, & poteſt auferri per eandem pœnitentiam, per quam debebat auferri; ſed ille obex potuiſſet auferri per pœnitentiam actualem, & ſufficiebat attritio ſupernaturalis deſtructiva omnis affectus ad peccatum; ergo & poſt baptiſmum eadem ſufficiet. min. ſupponitur ex communi ſententia de ſufficientia talis attritionis: quia Concil. Trident. non requirit perfectiorem. Prob. maj. Nam ſi in receptione ſacramenti nullum novum peccatum, nec nova fictio occurrerit, eodem modo tolli debent præcedentia, quo tolli debebant ante ſacramentum, ut eſſet fructuoſum.

Confir. Nam baptiſmus de ſe eſt ſacramentum mortuorum, & confert primam gratiam, & eſt janua aliorum ſacramentorum; ergo peccata præcedentia baptiſmum non ſunt materia per ſe ſacramenti pœnitentiæ; nec exigunt per ſe deleri ante operationem baptiſmi, per quem confertur prima gratia.

Prob. 2. p. Nam obex, ſeu fictio poſitiva, ſeu peccatum, quod committitur in ipſa receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum, non eſt ampliùs de objecto ejus, nec poteſt deleri per illum; ergo debet deleri per ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto; quia illud eſt 2. poſt naufragium tabula.

Confir. ex Auguſt. quem citat Doctor. *Tunc valere incipit baptiſmus ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſit*; ergo fictio poſitiva debet auferri per pœnitentiam ſacramentalem in re, vel in voto; alioqui non eſt verax confeſſio.

Objic. 1. contra totam concl. Baptiſmus eſt ejuſdem efficaciæ ante obicem poſitivum, & poſt ablatum obicem illum; ergo vel non ſufficit attritio ad tollendum obicem negativum, & peccata præcedentia, vel

ſufficit ad tollendos comitantes, & ſubſequentes; ſeu poſitivos.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt idem ſit valor baptiſmi, non eadem eſt diſpoſitio ſubjecti. Ante baptiſmum omnia peccata, quæ illum præcedunt, ſubſunt ejus virtuti, non autem illa, quæ illum comitantur, vel ſequuntur, ut ſunt obices poſitivi, ſeu peccata, quæ in ejus receptione patrantur; ad illorum remiſſionem ſufficit diſpoſitio negativa, ſeu non affectio ad peccatum, quæ eſt obex gratiæ, & effectus ſacramenti vivorum; ſed iſta poſteriora non ſunt ampliùs de juriſdictione (ut ita loquar) baptiſmi, ſed pœnitentiæ; & ideò per iſtam debent deleri, ut baptiſmus poſſit habere ſuum effectum plenarium.

Objic. 2. In ſacramento pœnitentiæ peccata inculpabiliter omiſſa non fuerunt ejus materia, & tamen per abſolutionem delentur mediante attritione generali; ergo peccata commiſſa in receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum delentur tamen intuitu illius, mediante attritione generali, licèt non ſint de ejus materia.

Reſp. neg. ant. Nam peccata omnia commiſſa ante confeſſionem ſacramentalem ſunt de ejus materia, ſaltem implicita: ſed non ita eſt de illis, quæ committuntur in receptione baptiſmi, vel poſt baptiſmum; hæc enim pertinent ad claves Eccleſiæ, quia commiſſa ſunt ab ejus ſubdito.

Inſt. Homo non fit ſubditus Eccleſiæ ante baptiſma integrum; ergo peccata, quæ committuntur in receptione baptiſmi, non ſunt à ſubdito Eccleſiæ; quia baptiſmus nondum eſt integer.

Reſp. neg. ant. Nam actu fit ſubditus Eccleſiæ per actualem receptionem baptiſmi, quia illum ab ea recipiens ſe ipſi ſubjicit, & ex tunc eſt ſubditus: ipſa baptizatio eſt actus poteſtatis Eccleſiæ ſuper illum.

Inſt. 2. Illud peccatum eſt indiſpoſitio ad baptiſmum; ergo præcedit baptiſmum; ergo non cadit ſub poteſtate clavium.

Reſp. diſt. ant. eſt indiſpoſitio, ſeu obex comitans receptionem præſentem, & actualem, con. ant. indiſpoſitio præcedens, neg. ant. & conſ. Nam ille obex accidit in ipſa receptione baptiſmi, & eam comi-

mitatur; imò eſt culpa reſultans ex tali receptione, & illam potiùs ſequens; quia conſummatur, & habet eſſe completum ſuppoſita completione baptiſmi.

Objic. 3. Si eſſet neceſſaria pœnitentia in re, vel in voto cum contritione, nihil faceret baptiſmus præteritus: nam illa ſufficeret ſe ſola ad omnia delenda tam præcedentia, quàm comitantia, & ſequentia; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. cum ſua ratione: nam pœnitentia illa priùs influeret in deletionem peccatorum; ergo &c. Prob. ant. prius eſt tolli obicem effectus baptiſmi, quàm illum effectum cauſari; ſed pœnitentia auferret obicem illum; ergo & priùs auferret peccata omnia, & cauſaret gratiam ſanctificantem.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prius natura auferret obices, con. prius deleret præcedentia peccata, neg. ant. & conſ. Nam pœnitentia ageret circa materiam, & objectum ſuum, & baptiſmus circa ſuum; & ambo ſimul tempore cauſarent gratiam ſibi correſpondentem, ut cauſa partialiter totalis gratiæ, quæ tunc recipitur.

Dixi autem in concluſione, quòd *idem eſt à fortiori de aliis ſacramentis, quæ ſunt vivorum*, ſeu quæ non cauſant primam gratiam: nam cùm ipſa per ſui realem receptionem nihil agant, niſi recipiens ſit abſque peccato mortali, aut niſi ad ea ſe diſponat per pœnitentiæ ſacramentum in re, vel in voto cum perfecta contritione, ita nec poſt ſui receptionem cum obice, ſi aliquando valeant ſic recepta, ut probabiliter dictum eſt: nec enim aliter operari poſſunt ſublato obice, quàm operarentur recepta ſine obice; nec aliter auferri poteſt obex poſt infructuoſam receptionem, quàm ante fructuoſam.

CONCLUSIO II.

Qui recipit aliquod ſacramentum validè, & infructuosè propter obicem, recipit per pœnitentiam, qua aufertur obex, & gratiam totam prioris ſacramenti, & gratiam pœnitentiæ.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Poteſt dici, quòd quando vere*

[1] *Ibid. E. n. 7.*

rì aliquem pœnitet de fictione illa, gratia ſibi infunditur perfectior illa, quæ præcisè virtute pœnitentiæ infunderetur, ita quod illa includit in ſe perfectionem gratiæ pœnitentialis, & baptiſmalis; quia gratia æquivalens gratiæ baptiſmali datur pœnitenti de fictione ſimul cum illa, quam meretur de pœnitendo; ergo recipit eam gratiam, quam debebat recipere per baptiſmum, niſi adfuiſſet obex, & eam, quam ex ſe debet operari ſacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto per contritionem.

Prob. 2. ex Auguſt. cit. ab eodem Scoto. Nam *ſi baptiſmus fictè ſuſceptus incipit valere, cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit*, ergo tunc aliquid operatur ad ſalutem, ſc. gratiam, quam debuiſſet operari, ſi receptus fuiſſet debitè. Præterea verax illa confeſſio non debet carere ſuo fructu; ergo tunc recipitur duplex gratia, ſc. baptiſmalis, & pœnitentialis.

Confir. Nam ſi in eo caſu baptiſmus (idem eſt de aliis) nihil operaretur, fruſtra diceretur reviviſcere ſublato obice. Quid enim juvat gratiam dari duplici titulo, ſcilicet baptiſmi præteriti, & pœnitentiæ præſentis, ſi non ſit major ſub duplici, quam ſub unico? Sed conſ. eſt abſurdum; ergo &c.

Dico, *gratiam totam prioris ſacramenti*; nam, ut docet S. Auguſtinus, [1] *Baptiſma & in homine juſto, & in homine injuſto ſemper ſanctum eſt, quod neque æquitate alicujus augetur, neque iniquitate alicujus minuitur*; ergo tota gratia, quam baptiſmus erat operaturus, niſi adfuiſſet obex in recipiente ex opere operato, confertur illi poſtea, cùm aufertur ille obex; quia ſemper eſt eadem virtus, & valor illius ſacramenti.

Objic. 1. Qui poſt baptiſmum fructuosè ſuſceptum amittit gratiam baptiſmalem, non recuperat illam per pœnitentiam ſubſequentem; ergo multò minùs debet eam recuperare, vel recipere, qui ſua culpa privavit ſe illa, recipiendo baptiſmum fictè, & indebitè. Ant. ſupponitur ex communi omnium ſuffragio. Prob. conſ. Nam qui fictè ſuſcepit, eſt magis reus, quàm qui poſt ritè ſuſceptum amiſit acceptam gratiam; ergo &c.

Reſp.

[1] *6. con. donat. 5.*

Reſp. neg. conſ. Nam in caſu amiſſæ gratiæ baptiſmalis non reſtat homini titulus, nec promiſſio aſſiſtentiæ divinæ conferendi gratiam dilatam, & ſuſpenſam propter obicem; & baptiſmus tunc operatus eſt effectum ſuum: at in caſu reviviſcentiæ pœnitens habet duplicem titulum, nempe duplex ſacramentum, unum reviviſcens ex pacto divino, & aliud vivum.

Inſt. Ergo recipiens fictè haberet emolumentum ex peccato: nam cùm reus eſſet ſacrilegii, & aliorum peccatorum æqualium cum iſto, haberet tamen majorem gratiam.

Reſp. neg. ſubſ. Nam paſſus eſſet privationem gratiæ accipiendæ per baptiſmum debitè ſuſceptum, & reatum æternæ damnationis per totum tempus intermedium uſque ad reviviſcentiam; quod ſine dubio eſt inæſtimabile malum.

QUÆSTIO XI.

An liceat petere, & recipere ſacramentum à miniſtro peccatore.

QUæſtio hæc procedit de miniſtro, qui ſciretur eſſe præciſus, id eſt ſuſpenſus ab exercitio ſacerdotii, vel excommunicatus notoriè, vel in ſtatu peccati mortalis: item de ſacramenti petitione in caſu neceſſitatis, aut puræ congruitatis; an ſc. licitè peti & recipi debeant ſacramenta à talibus miniſtris.

CONCLUSIO I.

IN *caſu neceſſitatis licet petere, & recipere ſacramentum a præciſo, & multò magis à peccatore, ſive notorio tolerato, ſive occulto, non autem extra tales caſus*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Poteſt teneri... quòd adulto licet recipere baptiſmum à præciſo, ſi alius miniſter haberi non poteſt.... quantùm ad parvulum ſi nullus poſſit haberi non præciſus, qui eum baptizet, & immineat periculum, quod non poſſit expectari habere miniſtrum idoneum, tenetur neceſſariò ille offerre pue-* F 4 *rum*

[1] *d.* 5. *q.* 2. *B.* & *C. n.* 3. & 4.

rum ſuum præciſo: nimis etiam durum eſſet dicere, quod tenetur parvulum ſuum perpetuò damnari permittere, cùm poſſit habere aliquem, qui eum baptizet, & , cum ſalvetur, à quocunque baptizetur... ſi autem eſt occultè malus, ita quod vita ejus non eſt ſcandaloſa populo, ſatis conceditur, quòd poſſit aliquis à tali, imò debeat recipere baptiſmum, ſi aliàs debeat, quia propter peccatum, quod non eſt notorium, non debet aliquis in actibus notorus vitare proximum: ſi autem eſt notoriè malus, v.g. publicè fornicarius &c. *aut incumbit illi ex officio diſpenſare ſacramentum baptiſmi, quia eſt ſacerdos, vel curatus parochialis... non peccat, qui recipit baptiſmum pro ſe, vel pro parvulo; quia non peccat qui a malo petit debitum, vel accipit... ſi non incumbit illi ex officio, & ſi homo poſſit habere alium meliorem, peccat qui à malo recipit*, &c.

Prob. 2. quia magis urget præceptum divinum, quàm humanum; ſed in caſu neceſſitatis baptiſmi v. gr. urget præceptum divinum (*Niſi quis renatus fuerit* &c.) ad illum recipiendum; & prohibitio, vel præciſio ex parte miniſtri eſt præceptum Eccleſiaſticum humanum; ergo potiùs à præciſo, vel alio peccatore recipiendum eſt baptiſma, quàm permittere ſalutem pueri periclitari.

Prob. 2. p. Nam pariter in caſu neceſſitatis, qui petit ſacramentum ab eo, qui dare illud poteſt validè, aut debet, utitur jure ſuo, ut ſatisfaciat debito ſuo proprio: ergo &c. & quidem à fortiori: nam hic peccator non eſt ſuſpenſus, neque excommunicatus, ſicut eſt ille præciſus; ergo ſi ab iſto peti, & recipi poteſt in caſu neceſſitatis, à fortiori ab illo.

Prob. 3. p. de peccatore occulto. Nam, ut docet Scotus, pro peccatis occultis non debet vitari proximus, ſaltem probabiliter.

Prob. 4. p. Nam niſi adſit caſus neceſſitatis abſolutæ, non debet peti, aut recipi ſacramentum à præciſo, ſeu excommunicato, quem jubet Eccleſia vitari. 2. nec à ſuſpenſo ab executione ordinum ſacrorum, vel ab adminiſtratione ſacramentorum: nam ſicut prohibetur illis talis miniſtratio, ita & aliis prohiberi cenſetur eos ad vetitum invitare, niſi urgeat caſus neceſſitatis, in quo cenſeatur Eccleſia id permittere.

Objic.

Objic. 1. contra 1. p. ex Patribus. Nam de præciſis dicit Ambroſ. [1] *Qui faciunt, & quibus faciunt, nihil prodeſt, ſed ad judicium eſt*; ergo cenſet invalidum eſſe ſacramentum receptum a præciſis.

Reſp. neg. conſ. Nam Ambroſ. loquitur de præciſis hæreticis, qui non utuntur debita forma, nec adminiſtrant ex recta intentione, ſed prava, quam habent oppoſitam formæ, & intentioni Eccleſiæ.

Inſt. Tales excommunicati carent omni poteſtate; ergo invalidè miniſtrant.

Reſp. neg. ant. Nam illi, de quibus loquimur, habent poteſtatem ordinis, quæ eſt quidem ligata pro tempore, quo durat cenſura, ſed non in illis caſibus: nec enim id intendit Eccleſia.

Objic. 2. Nunquam licet cooperari peccato; ſed qui petit ab illis miniſtris, cooperatur illorum peccato, imò & illos invitat ad peccandum; ergo nunquam licet ab eis petere ſacramentum.

Reſp. neg. min. Nam in illis caſibus extremæ neceſſitatis non peccat præciſus, nec etiam petens, & recipiens illa ſacramenta non ſunt præciſi pro illis caſibus. Quantùm ad peccatores minor eſt ratio, quia ſecluſo ſcandalo pro publicis peccatoribus, iſti poſſunt pœnitere, & conteri antequam miniſtrent; & ſi non faciunt, eorum eſt culpa, & non petentis, qui utitur jure ſuo.

Inſt. Qui ſciret miniſtrum non velle miniſtrare ſine ſimonia, non poſſet ab eo recipere ſacramentum illud, ſed potius deberet mori ſine illo, quàm cooperari ſimoniæ; ergo idem eſt de alio quovis caſu, in quo quis cooperaretur peccato miniſtri mali, & indignè miniſtrantis.

Reſp. neg. conſ. & diſp. eſt, quia in illa receptione, & adminiſtratione ſacramenti adeſt malitia inſeparabilis, & intrinſeca, non autem in aliis caſibus. Nam miniſter præciſus cenſetur habilitatus quoad illos: vel peccator poteſt conteri, antequam miniſtret; & neceſſitas poteſt ſic urgere, ut ſine novo peccato id fiat, ſed non in caſu ſimoniæ, niſi animum deponat ſimoniacum.

Objic. 3. Omnis adultus poteſt ſupplere defectum ſacramenti per actum contritionis; ergo nullus eſt poſſi-

[1] *de init. Rud.*

poſſibilis caſus, in quo adultus poſſit licitè petere, nec recipere ſacramentum à miniſtro præciſo, vel peccatore.

Reſp. 1. quòd ſi poſſit ſuppleri defectus ſacramenti certò, & ſecurè, meliùs faciet, ni fallor, vitando, & abſtinendo à ſacramento. Sed meliùs

Reſp. 2. neg. conſ. Nam cùm agitur de ſalute æterna, debet omnis homo eligere viam ſecuriorem, qualis eſt via ſacramenti. Quis enim ſeipſum ſecurè diſcernit, ut certus ſit ſe habere ſufficientem contritionem?

Supponit autem concluſio, quòd in eo ſtatu ſit miniſter, ut poſſet validè conficere Sacramentum. Nam ſi deficiat poteſtas, & ſufficiens conſecratio ad validitatem, tunc non licet ab eo petere, vel recipere: v. g. ſi quis peteret abſolutionem ſacramentalem, vel conſecrationem Euchariſtiæ à non ſacerdote; quia iſte non poteſt validè, & verè conſecrare, nec abſolvere.

Item ſupponitur, quòd petens non poteſt ab alio digno, & bono miniſtro petere, aut recipere, nec ſine evidenti, aut probabiliſſimo periculo ſalutis differre. Nam ſi adſit, aut ſperetur alius miniſter idoneus, vel poſſit expectari, tenetur ſaltem ex charitate recurrere ad alium, vel expectare &c.

De his vide Caſuiſtas.

DISPUTATIO III.

De effectibus, & cauſalitate Sacramentorum.

POſtquam de eſſentia, & cauſis ſacramentorum ſatis fusè diſſeruimus, veniendum ad effectus illorum, in quibus elucet eorum excellentia, & utilitas.

QUÆ

QUÆSTIO I.

An omnia, & ſingula ſacramenta cauſent gratiam, & qualem.

JAm diximus ab initio, & conſtat ex definitione ſacramenti, quòd eſt *ſignum ſenſibile gratiam Dei efficaciter ſignificans*: ex quo ſequitur, quòd gratia ſanctificans 1. aut 2. eſt principalis effectus ſacramentorum. Sed hunc illis effectum negant hæretici præter Manichæos, Lutherus, Zuinglius, Calvinus, Socinus, & alii volentes, ut ideò ſolùm nos illa ſanctificent, quatenùs in nobis excitant fidem, per quam immediatè juſtificamur.

CONCLUSIO I.

OMnia *novæ legis ſacramenta ex ſe cauſant gratiam ſanctificantem* 1. *aut* 2. Eſt de fide contra dictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto cit. pro definitione ſacramenti: & cùm dicit, quòd (1) *ſecundum omnes loquentes de ſacramentis, finis ſacramenti eſt gratia, vel aliquis effectus Dei inviſibilis diſponens hominem ad ſalutem.* & infra; *Iſta ſacramenta novæ legis gratiam cauſant, tanquam ſignum efficax; vetera autem non ita cauſabant.*

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in Concil. Nicæno legitur, [2] *Deſcendet* (in aquam) *qui baptizatur reus peccatorum, & aſcendit liberatus ab hac ſervitute, & peccato, factus filius Dei, & hæres gratiæ ejus:* ſic legit Alfonſus Piſanus. Et Florent. in Decreto Eugen. de differentia ſacramentorum veterum à noſtris, quòd *hæc noſtra & continent gratiam, & eam dignè ſuſcipientibus conferunt.* Et Trident. [3] *Si quis dixerit, ſacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ;* &c. *Anathema ſit.* Denique in Symbolo Conciliorum Nicæni, & Conſtan-

F 6 tinop.

[1] *d.1.q.2.M.& D. & I.*
[2] *l.3.Conſtit.de S.Bapt.* [3] *ſ.7.c.6.7.& 8.*

tinop. *Confitemur unum baptiſma in remiſſionem peccatorum* : ergo &c.

Confir. ex Scripturæ locis, quibus docemur effectum baptiſmi eſſe ablutionem, & regenerationem animæ. Nam illa ablutio, & regeneratio non fit niſi per gratiam; ut cùm dicitur, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Et, *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in remiſſionem peccatorum*. Denique id magis patebit, cùm agemus de efficacia ſingulorum in particulari, v. g. de pœnitentia, *Quorum remiſeritis peccata*, &c.

Prob. 3. ex SS. Patribus, quibus licet non credant hæretici, tamen perpetua Eccleſiæ traditio, quam per illos habemus, non eſt mediocris ponderis: & hos etiam adducemus, cum de ſingulis agemus in particulari.

Prob. 4. Nam in pueris baptiſmus non juſtificat excitando in eis fidem, cujus non ſunt capaces; & ſic inutilis eſſet illis, niſi per ſe in eis cauſaret gratiam; ergo pueri eſſent ſine remedio ſalutis; quia non poſſunt ſalvari ſine remiſſione peccati originalis per gratiam ſanctificantem.

Confir. Nam & in ipſis adultis difficilis eſſet, & incerta ſalus, & inutilia ſacramenta; ſed conſ. eſt abſurdum, & inconveniens; ergo &c. Prob. maj. 1. quia multi ſunt ita rudes, ut ex his ſignis vix concipere poſſunt quid, aut quomodo illa ſignificent; ergo vi poſſint in eis excitare fidem. 2. multi etiam poſſunt dubitare de propria ſua fide, an. ſc. verè, & ſincere, ac firmiter credant; & ſic dubitare ſemper deberent de ſua ſalute. 3. quia inutilia ferè eſſent hæc ſacramenta; quia poſſet excitari, & foveri fides per verba, & catechiſmos longè facilius, & melius, quam per hæc ſigna, quæ cum ſint materialia, potiùs officiunt firmitati fidei, quam juvent.

Objic. 1. ex Script. Homines non ſalvantur ſine fide, imò non niſi per fidem; ergo id non fit per ſacramenta, ſaltem efficienter, & immediatè, ſed mediatè, quatenus illa ſigna nos excitant ad credendum. Prob. ant. *Nam juſtus ex fide vivit*. [1] Item 2. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſalvus erit*. Et, *Corde creditur ad juſtitiam*. Item 3. baptiſma non ex ſe, [2] *non carnis depoſitio ſordium* (ſc. non per ablutionem externam) *ſed per interrogationem conſcientiæ bonæ*

[1] *Rom.* 1. *&* *Heb.* 10. [2] *Mar.* 16.

bonæ in Deum ſalvat nos. Item 4. Chriſtus dicitur Eccleſiam ſanctificaſſe [1] *lavacro aquæ in verbo vitæ*, ſc. in fide, qua credimus verbis Euangelii. 5. remiſſio peccatorum excedit facultatem poſſibilem ulli creaturæ; [2] *Quis enim poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus?* Et ſic de aliis innumeris locis Script. ubi commendatur efficacitas, & neceſſitas fidei ut unicum medium ad ſalutem; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam & nos agnoſcimus & utilitatem, & neceſſitatem fidei in adultis; ſed hoc non derogat efficaciæ ſacramentorum; alioqui hoc eſſet inutile, & fruſtra præciperetur, & nulla eſſet ſpes ſalutis pro parvulis, & pro carentibus uſu rationis. In 1. loco commendatur fides, cum qua expectatur Chriſtus, ut patet ex verbis Prophetæ, alioqui peccatores, qui retinent fidem, & dæmones, qui credunt, viverent in gratia, & juſti eſſent. Apoſtolus dicit, fidem diſponere ad juſtificationem, quod & nos fatemur, *Corde creditur ad juſtitiam*. 2. locus probat contra hereticos dicentes ſolam fidem non ſufficere ſine ſacramento: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit*: & hoc dicit pro adultis, & utentibus ratione, non pro parvulis; & ſi de ſola fide hoc diceretur, non dixiſſet alias, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, non poteſt introire in regnum Dei*. Ad 3. docetur, quod ſola ablutio externa non ſalvat ſine interna, mediante diſpoſitione per conſcientiæ bonæ interrogationem in adultis. Imo illa interrogatio non bene ſignificat fidem, ſed examen conſcientiæ, & dolorem de peccatis. Ad quartum dicimus, quod *verba vitæ* ſunt verba conſecratoria, quæ ſunt quaſi forma ſacramenti, & quibus ſignificatur aſſiſtentia SS. Trinitatis. Ad 5. fatemur, ſacramenta non remittere peccata ex propria virtute, & ut cauſas principales, quod ſoli Deo reſervatur, ſed ut cauſas inſtrumentales, & quidem morales.

Objic. 2. ex Patribus. Nam inquit Hieron. [3] *Homo præbet aquam; Deus autem Spiritum S. quo ſordes animæ abluuntur*, &c. Et Aug. [4] *Quæ eſt tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia credi-*

[1] 1. *Pet.* 3. [2] *Epheſ.* 5.
[3] *c.* 4. *Iſa.* [4] *tr.* 80. *in Jo.*

ditur? ſc. verba non efficiunt, nec cauſant gratiam ut dicta, ſed ut credita, & mediante fide ſuſcipientis. Quod alibi [1] clarius dicit: *Baptiſma, quod ſemel adhibetur, per fidem mundat*. Et alibi [2] negat hominem per aquam immutari, quæ cernitur; *ſed ſpiritus; qui non videtur, operatur, ut fides in eo ſit*; ergo ex Patribus ſacramentum externum, & ſenſibile nihil per ſe operatur, ſed per ſolam fidem, quam excitat.

Reſp.neg.conſ. nec enim id ſequitur ex verbis illis, aut ſimilibus SS. Patrum. D.Hieron. docet, quod homo miniſterialiter, & aqua, ſeu ſacramentum ſenſibile abluit inſtrumentaliter animam, & Deus interne, & effective, ut cauſa principalis, quod & nos tenemus. Auguſtinus eodem ſenſu loquitur, cum effectum illum tribuit *verbo vitæ*, ſc. ablutioni, & verbis miniſtri Deus aſſiſtit, efficienter gratiam infundit; & fides recipientis, ſi eſt capax fidei, ad illam gratiam diſponit.

Objic.3.Illa attributio efficaciæ in ſacramentis eſt injurioſa Chriſto; ergo rejicienda. Prob. ant. avertit homines a Chriſto, & a fiducia in ejus meritis, & paſſione: nam quo magis confidunt in virtute ſacramenti, minus confidunt in bonitate Dei, & meritis Chriſti; & tepidius ad eum recurrunt.

Reſp.neg.ant.utrumque: imo qui recte, & non perverſe, ut hæretici hoc conſiderant, magis æſtimant, & firmius adhærent Dei potentiæ, & bonitati, qui tantam virtutem operatur in nobis, & ad ſalutem noſtram per infirma, & rudia hæc elementa, & quidem ex meritis Chriſti.

CONCLUSIO IV.

A*liqua ſacramenta ex vi ſuæ inſtitutionis cauſant primam gratiam, alia ſecundam*. Videtur de fide, & ſequitur ex præcedenti.

Prob.1. ex Scoto, [3] qui aperte docet, quod *gratia baptiſmatis expellit omne peccatum, quod influit uſque tunc*; ergo in his, qui ſunt in peccato mortali cauſat gratiam primam; in illis autem, qui ſunt juſtificati, cau-

[1] *ſer. ver. Dom.* [2] *q. 50. nov. teſt.*
[3] *diſt. 6. q. 5. fin.*

cauſat 2. quia *quantumcunque perfecto de lege communi accedenti ad baptiſmum augetur gratia:* Et ſic de aliis ſingulis; ut videbitur ſuo loco. [1]

Prob. 2. ex Concil. Nam Florent. cit. ſoli Baptiſmo, & Pœnitentiæ inter ſacramenta tribuit remiſſionem peccatorum. Et Trident. de Sacramentis [2] dicit, quod per illa *omnis vera juſtitia, vel incipit, vel cœpta augetur*. Et de Euchariſtia [3] docet, *præcipuum fructum ejus non eſſe remiſſionem peccatorum*; ergo ex ſe non confert 1. gratiam. Et de Pœnitentia [4] docet, eam eſſe *ſacramentum pro fidelibus, quoties poſt baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis inſtitutum:* Et ſic de aliis; ergo aliqua dant 1. gratiam, alia 2.

Prob. 3. quia certum eſt de fide, quod baptiſmus in parvulis remittit peccatum originale; & quod pœnitentia remittit peccata actualia, ſeu perſonalia, commiſſa poſt baptiſmum; & ideo hæc duo ſacramenta vocantur *mortuorum*; quia dantur mortuis in gratia. Item certum eſt de fide, quod Euchariſtia, Confirmatio, & alia ex ſua inſtitutione conferunt gratiam juſtificatis per alterutrum illorum, ita ut non liceat ea ſuſcipere in ſtatu peccati: ideo dicitur: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*. Et, *Qui manducat indigne, judicium ſibi manducat*; ergo iſta cauſant 2. gratiam; & ideo dicuntur ſacramenta *vivorum*, quia ſunt inſtituta ſunt pro vivis vita gratiæ, quam nutriunt, & augent.

Prob. 2. p. Nam aliqua ex ſua inſtitutione vel generant ad vitam ſpiritualem, vel ad illam mortuos ſuſcitant; alia vero acceptam vel roborant, vel nutriunt, & augent, vel ſanant languentem, aut periclitantem, &c. ergo aliqua conferunt 1. alia 2. Prob. antec. Nam ex Scoto, [5] *Baptiſmus pertinet ad generationem ſpiritualem; Euchariſtia ad nutritionem; Confirmatio ad roborationem; Pœnitentia ad lapſi reparationem; Extrema unctio ad finalem præparationem; Matrimonium ad propagationem in eſſe naturæ: & Ordo ad propagationem ſpiritualem in eſſe ſpirituali:* ſed 1. & 4. conferunt 1. vitam, & alia quinque vitam, ſeu gratiam acceptam perficiunt; ergo, &c.

Dixi,

[1] *q. 6. A. n. 2.* [2] *ſeſſ. 7. proœm.* [3] *ſeſſ. 13. c. 7.*
[4] *ſeſſ. 17. c. 1.* [5] *d. 2. q. 1. C. n. 4.*

Dixi, *ex viſuæ inſtitutionis, & de ſe*: nam qui ſuſcipiunt baptiſmum in ſtatu gratiæ, ut Apoſtoli, accipiunt ab eo 2. gratiam: ſed hoc eſt per accidens, ſicut & fieri poteſt, ut per ſacramenta vivorum cauſetur aliquando 1. gratia, quod plurimi docent de Euchariſtia: v.g. ſi ſacerdos in peccato mortali non habens copiam confeſſarii pro viribus contereretur, & ſic putans contritionem ſuam eſſe ſufficientem, bona fide celebraret, putant communiter, quod per Euchariſtiæ virtutem reciperet gratiam remiſſionis: de quo alias.

Objic. Omnia ſacramenta ſunt ejuſdem rationis; ergo omnia cauſant eandem gratiam.

Reſp. diſt. conſ. ſuppoſitis diſpoſitionibus, conc. independenter a diſpoſitionibus, neg. conſ. ſi omnia recipiantur cum 1. gratia, cauſant 2. ſed non omnia prærequirunt eaſdem diſpoſitiones ex vi ſuæ inſtitutionis, & ex parte voluntatis divinæ; alia enim requirunt ſubjectum jam juſtificatum, ſeu vivum, alia non.

Reſp. 2. neg. abſolute ant. Nam diverſa illa exigentia diſpoſitionum, & ſubjectorum arguit diverſitatem ſpecificam ſacramentorum.

CONCLUSIO III.

Sicut ſacramenta mortuorum, ſcil. Baptiſmus, & Pœnitentia, poſſunt dari vivis, ſeu juſtis, & tunc non cauſant niſi 2. gratiam; ita Euchariſtia, & probabiliter reliqua poſſunt per accidens cauſare 1. ſi contingat illa dari mortuis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui de ſumente Euchariſtiam dicit, quod *ſi non ſit negligentia craſſa, puta, præceſſit examinatio ſufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non ſit contritus, & confeſſus prius, non peccat communicando, licet forte aliquid lateat, vel traditum fuerit oblivioni . . . quia poſt talem inquiſitionem contritus, & confeſſus, ſi moreretur, ſalvaretur, non autem requiritur major examinatio ad communicandum, quam ad ſecure moriendum*; ergo in eo caſu, & ſimilibus Euchariſtia cauſaret primam gratiam.

Prob.

[1] *d. 9. q. 3.*

Prob. 1. p. Nam adultus, qui poſt perfectam contritionem baptizaretur, non reciperet ibi primam gratiam, ſed tantum ſecundam, ſeu augmentum primæ per contritionem acceptæ. Idem eſt de baptizatis, qui cum ſolis venialibus recipiant pœnitentiam, ut in multis contingit: ergo illa duo ſacramenta licet inſtituta pro mortuis in peccato, aliquando tamen non cauſant primam gratiam, ſed ſecundam.

Prob. 2. p. Nam, ut dicebamus ex Scoto, fieri poteſt, ut aliquis habens peccatum mortale, quod poſt diligens examen non agnovit, nec de illo confeſſus eſt, nec perfectam elicuit contritionem, ſed tantùm attritionem, recipiat Euchariſtiam: ſed in eo caſu reciperet gratiam, & quidem primam: ergo, &c. Prob. ant. tum quia Scriptura non exigit à ſumente hoc ſacramentum, niſi *ut probet ſeipſum, & ſic de pane illo edat*; ſed iſte ſe probaſſet cum moraliter poſſibili diligentia: ergo, &c.

Confirm. Nam, ut docet Scotus, non major requiritur certitudo bonæ diſpoſitionis ad Euchariſtiam, quam moralis, quæ haberi poteſt à viro prudenti: alioqui nunquam eſſemus quieti, aut ſecuri: quis enim ſcit, *an odio, vel amore dignus ſit:* Et, ut diximus alias, nemo certus eſt ſe eſſe in gratia: unde infert Doctor, quod *tunc non eſſet ſacramentum viatoris: quia talis certitudo non convenit viatori*, &c.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis. Nam de Euchariſtia dicitur, *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; quod ad minus intelligitur de illo, qui bona fide, & morali diligentia ſe ad illam manducationem præparavit. Et Concil. id videtur innuere, cum dicit, *Præcipuum fructum* (id eſt principaliter, & directè intentum) *ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non eſſe remiſſionem peccatorum*; ergo relinquit credendum, quod per accidens, & indirecte poteſt illam operari.

Item de Extrema unctione ait S. Jacobus [1] de recipiente, quod *ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Et Trident. [2] docet, quod *delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit*: ſed hæc duo ſacramenta ſunt vivorum: ergo de ratione ſacramenti vivorum non excluditur ab operatione primæ

[1] *Jac.* 5. [2] *ſeſſ.* 14. *c.* 2.

mæ gratiæ accidentaliter, & indirecte,& aliquando.

Confir. ex Patribus, & SS. Bonaventura, & Thoma: Auguſtinum enim citant Alenſis, & Durandus: S. Cyrillus Alex. dicit, Chriſti *carnem manducatam in hoc ſacramento dare vitam*. Damaſcenus dicit, illam habere vim, ut abſtergat omnem immunditiam, ſc. peccatorum: Juſt. Martyr, quod Chriſtus facit per cibum illum purgationem peccati mundans peccatores, & injuſtos. Et S. Bonav. *Non limitamus Dei largitatem, quin in hoc ſacramento poſſit, & aliquando faciat remiſſionem omnis culpæ.* Et S. Thomas de Confirmatione [1] dicit, quod *ſi adultus in peccato exiſtens, cujus conſcientiam non habet, vel ſi etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non fictus accedat, per gratiam collatam in hoc ſacramento conſequetur remiſſionem peccatorum.* Et idem docet de Euchariſtia: [2] *Poteſt hoc ſacramentum operari remiſſionem peccatorum dupliciter . . . alio modo perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cujus conſcientiam non habet*, &c.

Dixi, *probabiliter reliqua*, ut Confirmatio, Ordo, Matrimonium, & Extrema unctio: nam eadem eſt ratio de illis, ac de Euchariſtia; ergo in ſimilibus caſibus poſſent cauſare primam gratiam. Hoc pendet ex Dei bonitate; nec contrarium conſtat ex Scriptura, vel determinatione ulla Eccleſiæ, ſine quibus nihil certi habemus de his, quæ pendent ex mera Dei liberalitate.

Objic. contra 1. par. Si aliquando ſacramenta mortuorum reciperentur a vivis, & non cauſarent primam gratiam, fruſtrarentur fine ſuo primario, & eſſent ſigna falſa; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c. Prob. maj. Nam finis iſtorum eſt vivificatio ſpiritualis per gratiam remiſſivam peccati; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. fine ſuo aliquo, conc. omni fine, neg. maj.& conſ. & ant. prob. Non enim illa prima vivificatio eſt unicus, & totalis finis inſtitutionis eorum. Unde ſi quis naſceretur ſanctificatus in utero, ut Joannes Baptiſta, & B. Virgo, adhuc poſſet, imo & deberet baptizari ex neceſſitate non medii, ſed præcepti: & Apoſtoli, aliique diſcipuli Chriſti ſine dubio erant in gratia, imò & fuerant circumciſi in reme-

[1] *q.72.n.7.* [2] *q.79.a.3.*

medium originalis, & tamen creduntur baptizati; quod clarius eſt de Pœnitentia.

Objic. 2. Adulti, qui juſtificantur extra ſacramentum baptiſmi, & pœnitentiæ, ſemper id haberent in virtute illius in voto; ergo ſemper utrumque cauſat primam gratiam.

Reſp. neg. conſ. tum quia ſufficeret nobis, quod aliquando illa ſacramenta in re ſuſcepta non cauſent niſi 2. tum quia in voto non cauſant ſacramentaliter, ut videbimus: tum quia in caſibus allatis baptiſmus, nec abſolutio non juſtificaverant B. Virginem, aut Apoſtolos in voto; & ſic poſſent dari alii caſus ſimiles.

Objic. 1. contra 2. par. Cibus corporalis nunquam prodeſt mortuis; ergo neque Euchariſtia exiſtentibus in peccato mortali: nam datur ut cibus; & id conſtat ex Catechiſmo Romano: *Sicut mortuis corporibus alimentum nihil prodeſt; ita nec animæ, quæ ſpiritu gratiæ non vivit, ſacra myſteria non proſunt*: & ſic docent SS. Patres.

Reſp. neg. conſ. Nam lata diſparitas eſt inter cibos corporales, & iſtum ſpiritualem, cujus effectus pendet ex Dei voluntate. SS. Patres loquuntur de effectu ordinario, & in caſibus ſimiliter ordinariis.

Objic. 2. Sacramenta vivorum non dant primam gratiam niſi ex intentione Chriſti; ſed hæc intentio non eſt, ut iſta dent primam gratiam; ergo, &c. Prob. min. Nam ex Chriſti intentione inſtituta ſunt pro vivis, & non pro mortuis; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. pro vivis per ſe, & ordinarie, conc. per accidens, & in caſibus extraordinariis, & aliquando, neg. ant.

Inſt. Si hoc intenderet Chriſtus, id conſtaret ex Scripturis, vel ſaltem ex Conciliis, & Traditione Eccleſiæ; ſed nullo modo id conſtat; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam patet ex dictis, id conſtare de Euchariſtia, & Extrema unctione: & eadem eſt ratio de aliis: & denique de omnibus ſatis conſtat ex auctoritate communiſſime recepta apud Theologos, ut hæc opinio probabiliter teneatur.

Objic. 3. Sacramenta non cauſant gratiam, cum inveniunt obicem ſuo effectui: ſed reatus peccati mortalis eſt obex iſtis ſacramentis, & maxime pro Euchariſtia: ergo, &c. Prob. min. Nam peccatum mortale

tale

tale eſt obex gratiæ, maxime ſecundæ: ergo, &c.

Reſp. diſt.min.& ant. reatus peccati non retractati ſufficienter, ut creditur, conc. retractari ſufficienter, ut creditur bona fide, neg.min. & ant.Nam obex proprie eſt peccatum mortale, quod viget in affectu, & in caſu ſuppoſito nullum ſic viget.

Inſt. Qui ſumit Euchariſtiam in peccato mortali manducat indigne: ergo *judicium ſibi manducat*. Prob. ant. Nam in peccato mortali non habet *veſtem nuptialem*, ſc. gratiam, ſed eſt inimicus Deo.

Reſp. neg. ant. utrumque. Nam his in caſibus homo recipiens Euchariſtiam ſeipſum probavit ut potuit, & ſe credit bona fide habere veſtem nuptialem: & ſic illum Deus patitur ad menſam.

CONCLUSIO IV.

PRæter gratiam habitualem, ſacramenta operantur jus quoddam morale ad gratias actuales proprias finibus ſingulorum, & quæ dicuntur ſacramentales gratiæ. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto [1] cit. Nam loquens de effectibus ſingulorum tribuit eis gratias ſpeciales, & auxiliares: *Congruum fuit ſeptem adjutoria conferri obſervatoria iſtius legis Evangelicæ, in quibus eſſet perfectio intenſiva, & extenſiva ſufficiens ad omnia neceſſaria pro hujus legis obſervantia*, &c.percurrit per ſingula.

Prob.2. ex Conc. Florent. *Per Baptiſmum renaſcimur; per Confirmationem roboramur in fide; nutrimur divina Euchariſtiæ alimonia; per pœnitentiam ſanamur*, &c. Hæc, & ſimilia ſignificant aliquid præter gratiam habitualem ſanctificantem 1. aut 2. quæ eſt ſimilis naturæ in omnibus, non autem illa auxilia.

Confir.ex Patribus. Nam inquit S. Bernardus: *Euchariſtia tribuit, ut non ſentiamus vehementes tentationes invidiæ, luxuriæ, iræ*, &c. *Per Baptiſmum tota pœna remittitur . . . & per Pœnitentiam in temporalem commutatur; per Confirmationem datur robur ad reſiſtendum tentationibus infidelitatis; per Matrimonium adjutorium ad pie agendam vitam conjugalem*, &c. Et Trident. [2] *Quemadmodum auxilia maxima in aliis ſacramentis præparavit Chriſtus, quibus*

[1] *d.2.q.1.C.* [2] *ſeſſ.14.de Extr.unct.*

bus Chriſtiani conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni graviore ſpiritus incommodo poſſint; ita Extremæ unctionis ſacramento finem vitæ tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit.

Prob. 3. Nam certum eſt diverſas, & ſingulares gratias a diverſis, & ſingulis ſacramentis cauſari juxta fines, ad quos inſtituta ſunt; ſed gratia habitualis non eſt ſpecie diverſa; ergo præter illam dantur aliæ; ſed iſtæ non poſſunt melius explicari, vel aſſignari, quam per illud jus morale ad talia auxilia; ergo, &c. Min. patet ex dictis de gratia. Prob. maj. Nam ſi omnia ſimilem gratiam, & nihil aliud præſtarent, fruſtra eſſent plura, & diverſa ſacramenta; ergo, &c.

Confir. Nam ſola gratia habitualis ea omnia ſufficienter præſtaret ex vi ſuæ inſtitutionis: tam Euchariſtia juvaret ad ferenda onera matrimonii, & ad vitam cœlibem agendam, & ſuſtinendam (& ſic de aliis) quam ipſum ſacramentum matrimonii.

Dices, illas gratias, & effectus ſpeciales ſufficienter explicari per diverſos characteres, & ornatus interiores, quos ſingula operantur in anima.

Contra. Nam illi diverſi characteres, & ornatus ut tales non ſunt operativi, nec conferunt ad operandum conformiter ad obligationes contractas per ſacramentorum ſuſceptionem, v. g. Matrimonii, vel Ordinis; niſi forte dicatur, quod illi ornatus varii fundent jus illud morale ad talia auxilia; ergo ſemper eſt recurrendum ad illud jus ad tales gratias actuales.

Contra 2. Nam illa, quæ imprimunt characterem non iterantur, & non omnia ſunt iterabilia; ergo nulla reſponſio.

Igitur Baptiſmus præter gratiam remiſſivam peccati originalis, & aliorum, quæ ipſum præcedunt, & præter characterem, dat baptizato jus quoddam moraliter exigens auxilia neceſſaria ad chriſtiane vivendum; *Confirmatio* ad conſtanter tenendam fidem, & tentationes contra fidem vincendas; *Euchariſtia* ad actus devotionis expedite, & alacriter eliciendos, & contra tentationes avertentes a charitate; *Pœnitentia* ad reſiſtendum omnibus peccatis in poſterum, & præterita deteſtanda; *Extrema unctio* ad reſiſtendum tentationibus deſperationis, aut præſumptionis

nis in extremis illi vitæ momentis; *Ordo* ad promovendum Dei cultum, & ſacra munia ſacerdotii rite obeunda; & *Matrimonium* ad onera ejus ſuſtinenda, & obligationes ejus implendas, ad pie educandam prolem, &c.

Objic. 1. Gratia ſacramentalis ordinatur tantum ad reparandos defectus ex peccato cauſatos; ſed ad hoc ſufficiunt dona, & virtutes, quæ infunduntur in Baptiſmo cum gratia habituali; ergo fruſtra fingitur illud jus, vel alia quævis gratia. Prob. ant. Nam illæ virtutes, & dona ſimul ſumpta opponuntur ſufficienter omnibus defectibus, & vitiis, de quibus tentari poſſumus; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam ſicut ipſa gratia datur ex virtute ſacramentorum, ita & illud jus ad illa dona, & virtutes; & ſicut illi habitus virtutum, & donorum non ſufficiunt ſine gratiis actualibus, ut diximus alias; ita & ad hoc utilia, imo neceſſaria ſunt ſacramenta, quæ moveant Deum ad illa præſtanda.

Inſt. Ergo illæ gratiæ ſacramentales diverſæ deberent eſſe habitus ſupernaturales diverſi. Prob. ſubſ. Nam gratiæ actuales tranſeunt; & ſemper, ac continue ingruunt obligationes ad operandum, vel ad reſiſtendum tentationibus.

Reſp.neg.ſubſ.& conſ.prob.Nam ſufficit, quod cum gratia habituali, quæ eſt communis omnibus, adſit illud jus, cujus intuitu Deus paratus eſt dare illa auxilia ſpecialia in occaſionibus.

Objic. 2. Non poteſt dici quid ſit illud jus; nihil enim eſt poſitivum; ergo male dicitur eſſe effectus ſacramenti: nam effectus entis poſitivi, ut eſt ſacramentum, debet eſſe quid poſitivum.

Reſp.neg.1.ant.& diſt. 2.nihil eſt poſitivum phyſicum, conc. poſitivum morale, neg. ant. eſt enim aliquid reſultans ex receptione ſacramenti, & moraliter durans cum aliis gratiis, & effectibus ſingulorum ſacramentorum.

Inſt. Ergo amiſſa gratia habituali per ſacramentum collata perit illud jus; quia ceſſante effectu principali ceſſant acceſſoria: ſed conſ. eſt falſum: nam nequidem perditiſſimis peccatoribus deſunt auxilia gratiæ: ergo, &c.

Reſp.neg.min.& diſt.prob. non deſunt ex Dei miſeri-

ſericordia,conc. ex virtute, & intuitu ſacramenti præteriti, neg. ant. nec enim amplius influit, niſi in pœnam: quia Deus potius indignatur in peccatorem, qui abutitur gratiis ſacramentalibus: & de ipſis ſacramentis male perditis exiget rationem.

QUÆSTIO II.

Quomodo Sacramentum cauſet gratiam: an phyſice, an moraliter, an ut cauſa principalis, an ut cauſa inſtrumentalis.

Vidimus ſacramenta noſtra vere in ſuſcipientibus ſine obice operari gratiam ſanctificantem 1. aut 2. & conferre eiſdem jus aliquod morale ad auxilia gratiæ, quibus juvatur homo ad reſiſtendum tentationibus, & ad implendas obligationes, quas contrahit per illa ſingula. Jam quærimus quomodo hæc efficiant. 1. an *phyſice* per influxum *phyſicum*, ideſt per actionem realem ab illis exeuntem, per quam attingant talium gratiarum entitatem, & ponant eam in eſſe? an *moraliter*, quatenus inducant Deum, ut ad illorum præſentiam, & applicationem debitam conferat illi homini gratias, quas illis alligavit per liberam inſtitutionem, promiſſionem, & pactum, quamvis ſacramenti opus reale non exiſtat, vel non aliter agat, quam per nudam præſentiam ſuam, nec aliter attingat productionem gratiæ: Uno verbo cauſalitas *moralis* eſt illa, quæ movet, ac inducit cauſam *phyſicam* principalem ad ponendum effectum ex obligatione inducta ex regulis morum, ſc. ex pacto, & promiſſione. Nam regulæ morum jus aliquod dant promiſſario contra promittentem ad præſtandum, quod promiſit.

Rurſus utraque cauſalitas eſt a ſacramento ut a cauſa *principali*, vel *inſtrumentali*. *Cauſa principalis phyſica* ea eſt, quæ per propriam virtutem, & independenter ab alia influente, & movente producit effectum. *Inſtrumentalis* vero e contra ea eſt, quæ non niſi dependenter a principali, & ut mota influit in effectum; ſicut faber eſt cauſa principalis ſectionis ligni, & ſerra, vel ſecuris eſt tantum cauſa inſtrumentalis. *Principalis moralis* ea eſt, quæ magis per ſe,

ſe, & magis efficaciter movet, ſeu determinat in ſuo genere movendi principale agens phyſicum ad producendum effectum, v. gr. Deum ad dandam gratiam. *Inſtrumentalis moralis* eſt organum ſeu quodcumque inſtrumentum, quo utitur agens principale ad producendum effectum per ſeipſum: ſic ſcriptura eſt cauſa inſtrumentalis, qua movetur debitor ad ſolvendum debitum, aut promiſſum. Alia inſuper eſt cauſalitas, quæ dicitur ex *opere operato*; & alia, quæ dicitur *operis operantis*. Sed de his in ſequenti.

Quærimus ergo hic, an opus ſacramentale, v. g. ablutio, vel aſperſio aquæ ſuper puerum cum forma baptiſmi, *baptizo te*, &c. ſit cauſa phyſica entitatis realis gratiæ, quam recipit anima illa, & per quam mundatur a macula peccati originalis, & ſanctificatur: an vero ad eam influat ſolum moraliter, quatenus ad ejus ſigni ſenſibilis debitam applicationem movetur Deus ex pacto ſuo ad remittendum peccatum illud, & gratiam illam infundendam: de quo eſt magna controverſia inter Theologos.

De cauſalitate phyſica, & principali gratiæ nihil hic diſputabimus; nullus enim eſt, qui eam neget Deo ſoli; ſed lis tota eſt de cauſalitate inſtrumentali.

CONCLUSIO I.

S*Acramenta noſtra non cauſant phyſice gratiam, quam ſignificant, ſed tantum moraliter*. Ita Scotiſtæ omnes cum D. Bonaventura, & aliis contra Thomiſtas, & alios multos.

Prob. I. ex Scoto. [1] *Nam finis ſacramenti eſt gratia, vel aliquis effectus Dei inviſibilis diſponens hominem ad ſalutem; & iſte finis poſſet ſufficienter haberi eo modo, quo habetur per ſacramentum abſque eo, quod dicatur ſacramentum habere actionem aliquam proprie dictam ſive reſpectu gratiæ, quam non poteſt attingere, cum illa creatur, ſive reſpectu diſpoſitionis ſupernaturalis prævia, quia illa etiam creatur, ſequitur, quod non ſit ponenda illa talis actio*, &c. ergo ex Scoto ſacramenta non influunt phyſice in gratiam; quod probat ſolide aliis rationibus.

Prob.

[1] *d.I.D.n.I2.*

Prob. 2. ex Concil. Trident. [1] quod efficientiam gratiæ baptiſmalis tribuit ſoli Deo. Nam de cauſis juſtificationis dicit; *Finalis eſt gloria Dei, & Chriſti, & vita æterna; efficiens verò miſericors Deus, qui gratuitò abluit, & ſanctificat .... meritoria Dominus Noſter J. C. inſtrumentalis autem ſacramentum baptiſmi*; ergo tota efficientia gratiæ ſoli Deo tribuitur. Idem autem eſt de omnibus, ac de baptiſmo.

Prob. 3. ex SS. Patribus. Nam inquit Cyprianus, [2] *Remiſſio peccatorum ſive per baptiſmum, ſive per alia ſacramenta donetur, propria Spiritus S. eſt; & ipſi ſoli hujus efficientiæ privilegium manet*. Sacerdotes ſacramentum viſibile celebrant: *rem vero ſacramenti Spiritus S. format, & efficit*, nempe gratiam. Et S. Baſil. [3] *Qui nobis vitam diſpenſat, Dominus baptiſmalis pactum nobis ſtatuit, mortis quidem imaginem implente aqua, ſpiritu verò vitæ aram præbente*. Et Ambroſ. *Aliud eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio, aqua opus eſt, operatio Spiritus S. eſt*. Et Auguſt. [4] *Aqua exhibens forinſecus ſacramentum gratiæ, & Spiritus S. operans intrinſecus beneficium gratiæ*; ergo ex Patribus totus influxus phyſicus in gratiam ſacramentalem eſt à ſolo Deo.

Prob. 4. ratione 1. Si ſacramenta cauſarent gratiam phyſicè, id facerent immediatè attingendo productionem gratiæ, vel mediatè ponendo in anima aliquid reale diſpoſitivum ad gratiam; ſed neutrum dici poteſt; ergo non cauſant phyſicè. Prob. min. 1. non gratiam, quia hæc producitur ad creationem, ut dictum eſt; creatura autem non poteſt creare. 2. non illam diſpoſitionem; tum quia gratis fingitur illa diſpoſitio phyſica ad receptionem, vel exigentiam gratiæ in anima, ut etiam dictum eſt aliàs; tùm quia illa qualitas, & diſpoſitio eſſet ejuſdem ordinis ſupernaturalis cum gratia, & deberet creari, ſicut ipſa; ergo non poſſet produci phyſicè per ſacramentum; tùm denique quia hæc qualitas diſponens non concurreret phyſicè ad gratiam, ſed ad ſummum exigeret eam produci à Deo; & ſic non ſalvat cauſalitatem phyſicam ſacramenti.

[1] *ſſ. 6. c. 7.* [2] *ſer. de Bapt.*
[3] *de ſpir. S. 15.* [4] *7. Sacram. 5.*

Dices, Sacramentum cauſare phyſicè non ipſam entitatem illius qualitatis, aut ipſiuſmet gratiæ, ſed alterutrius unionem cum anima.

Contra. Nam omnis forma, & maximè accidentalis eadem actione phyſica producitur, & unitur ſubjecto; nec enim produci poteſt extra ſubjectum ſine novo miraculo. Unde licèt demus Deum poſſe producere ſe ſolo gratiam, & illam nollet unire animæ, niſi per ſacramentum; tamen iſtud ad hanc unionem non poſſet concurrere phyſicè; quia ad hoc deberet attingere phyſicè ipſam entitatem gratiæ; quod non conceditur cauſæ ulli creatæ ſine novo miraculo, quod gratis hic fingeretur.

Confir. hoc. Nam licèt ſacramentum attingeret unionem gratiæ cum anima, non ideò diceretur cauſare phyſicè gratiam; ſicut mater non dicitur cauſare phyſicè animam filii, quem generat, quamvis phyſicè cauſet corpus, & alias diſpoſitiones ad animam; ergo multò minùs id dici poteſt de ſacramento quoad gratiam, pro qua non cauſat ſubjectum, ſc. animam, nec quidquam reale intrinſecum in illa.

Prob. 5. Sacramentum non poteſt cauſare phyſicè gratiam, niſi per virtutem aliquam, quæ inſit illi ſupernaturaliter, & per quam elevetur ſupra vim ſuam naturalem. Nam gratia eſt entitas ſupernaturalis; & totum ſacramentum eſt quid ſenſibile, & materiale omninò improportionatum illi effectui, ſc. gratiæ, quæ eſt ſpiritualis, & ſupernaturalis; ſed gratis aſſeritur illa virtus, & non poteſt dici, quomodo inſit illa virtus; ergo &c. Prob. min. 1. quia ſine ulla rationali neceſſitate aſſeritur. 2. quia non poteſt aſſignari ſubjectum illius, nec modus, quo ineſſe poſſit; ergo &c. Prob. ant. iſtud vel ineſſet rebus, ſeu materiæ, vel verbis, ſeu formæ, vel toti ſimul compoſito; ſed nullum horum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. Nam materia, & forma ſunt entia diviſibilia; materia non ſemper applicatur tota ſimul; nec verba; ſæpe aqua priùs tempore funditur, quàm verba proferantur, & hæc proferuntur ſucceſſivè; nec gratia datur, niſi poſtquam totum ſacramentum quaſi præterierit, aut ſaltem in ultimo inſtanti, & ſyllaba formæ; ergo non poteſt aſſignari ſubjectum talis virtutis.

Con-

Confir. hæc ratio. Nam ſacramentum non poteſt cauſare phyſicè, quando non exiſtit; ſed ſacramentum non exiſtit, quando producitur gratia; ergo, &c. Prob. min. quia, ut dicebamus; totum ſignum ſenſibile præteriit, & ultimò non eſt, quando producitur gratia, & maximè quando recipitur cum obice, & tamen operatur ſublato obice. Item id patet de ſacramento matrimonii, quod ſępius contrahitur per procuratorem, & cōtrahens ſępè longiùs abeſt cùm ſacramentum operatur. Denique verba conſecrationis, quibus conſecrātur corpus Chriſti, non exiſtunt, nec influunt in illud phyſicè; ergo idem eſt de omnibus.

Prob. 6. Nam ens morale non poteſt operari niſi moraliter; ſed ſacramentum ut ſacramentum eſt ens morale pendens prorſùs ab inſtitutione divina, & ab intentione tam miniſtri, quàm ſubjecti; ergo &c. Prob. ant. ex Concil. Moguntino. [1] *Nam gratiam ſacramentalem operantur* (illa ſacra ſignacula) *non ex ipſa externarum rerum virtute, nec ex merito miniſtri, ſed ex interna divinæ operationis virtute*; ergo illa virtus phyſica, & realis non ineſt materiæ, vel formæ, nec ipſi toti ſigno ſenſibili, ſeu ſacramento, ſed tota eſt in Deo. Unde *homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*, inquit Hieron.

Prob. denique. Nam ſacramenta cauſant etiam gratias actuales, ſicut habitualem, ut conſtat ex dictis; ſed iſtas non cauſant phyſicè: ergo nec habitualem.

Objic. 1. ex Scriptura, & PP. nam agnoſcunt in ſacramentis veram cauſalitatem gratiæ; ſed ſola cauſalitas phyſica eſt vera, non autem moralis; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam, ut ſuppono ex phyſica, cauſalitas moralis eſt tam vera in ſuo genere, quàm phyſica. Philoſophus poſuit cauſam finalem inter veras cauſas; & hæc non influit niſi moraliter, & intentionaliter; & ſic per cauſalitatem moralem ſalvatur veritas eorum, quæ de ſacramentis dicunt Scriptura, Concilia, & PP.

Inſt. Scriptura, Concilia, & Patres talem cauſalitatem tribuunt noſtris ſacramentis, ut differant ab antiquis, & damnant errores hæreticorum; ſed noſtra

[1] *cap.* 11. *cap.* 4.

noſtra non differrent ab antiquis, nec nos ab hæreticis, niſi cauſarent gratiam phyſicè; ergo, &c. Prob. min. Nam antiqua cauſabant moraliter, & ſecundum hæreticos etiam: nam iſti fatentur, Deum cauſare gratiam in præſentia ſacramentorum mediante fide, quam excitant in ſuſcipientibus; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam ſacramenta vetera, excepta circumciſione in parvulis, non operabantur gratiam, nequidem moraliter ex opere operato, ſicut noſtra. Et idem eſt de hæreticis, qui omnem cauſalitatem ſuorum ſacramentorum tribuunt merito fidei, non virtuti ſacramentorum.

Objic. 2. Eccleſia agnoſcit in materia ſacramentorum, v. g. in aqua, oleo, Chriſmatè virtutem Spiritus S. & valdè magnificant potentiam Dei, quæ in ſacramentis, ſeu in illis rebus elucet; ſed hæc fruſtra dicerentur, niſi per illa produceretur gratia phyſicè; ergo &c. Prob. maj. ex verbis, quibus utitur Eccleſia in benedictione fontis, & olei; petit, ut Spiritus S. deſcendat in aquam; & ut Deus ſanctificet illam pinguedinem, & illi admiſceat virtutem Spiritus S. ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam illæ benedictiones, & preces fiunt non abſolutè ad efficaciam ſacramenti, ſed ad majorem ſolemnitatem, & reverentiam. Unde baptiſma valet cum aqua purè naturali: & non minus elucet Dei potentia, & ſapientia ex eo, quod ipſe ſolus phyſicè efficiat gratiam intuitu applicationis ſacramenti; imò & magis quàm ſi hoc præſtaret adminiculo illius.

Inſt. Duplex, & majus miraculum eſt, ſi hæc virtus ſit in illis rebus, & verbis materialibus ad illos effectus ſupernaturales, quàm ſi ſe ſolo illos producat: nam in hoc nihil extraordinarium, nec mirandum: ergo, dum Eccleſia, & Patres ſic loquuntur, agnoſcunt veram aliquam vim ſupernaturalem, & phyſicam in ſacramentis.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ant. Nam Patres non ſemper aſſerunt de ſacramentis, quod mirabilius eſt, ſed quod verius, & veriſimilius: fortè autem illa virtus phyſica non eſt poſſibilis in ſacramentis; nec eam poſſibilem putarunt Patres, nec Concilia, & ſatis mirabile eſt, quòd Deus ex miſericordia velit illa miracula per ſe facere intuitu ſacramentorum.

Inſt.

Inſt. 2. Eccleſia, & Patres non potuerunt videre ullam repugnantiam in elevatione ſacramenti ad talem efficaciam; & illam magis litteraliter ſignificant eorum dicta; ergò non ſunt detorquenda ad efficaciam moralem. Prob. ant. non potuerunt videre repugnantiam, quæ non eſt; ſed in hac efficacia phyſica nulla eſt repugnantia; ergo, &c. Prob. min. Nam ſacramenta, ſicut & aliæ omnes crea uræ, ſunt in potentia obedientiali tam activa, quàm paſſiva ad Deum; ſed hæc potentia excludit repugnantiam; imò importat poſſibilitatem elevationis ſacramentorum ad illam efficaciam; ergo, &c.

Reſp. 1. neg. conſ. Non enim putarunt Patres, nec Eccleſia, Deū ſemper facere omne poſſibile, ſed quod illi placet, & quod magis congruit. Unde quamvis potuiſſet uti formica ad creandum mundum, vel aqua baptiſmi ad creandam gratiam phyſicè, non ſequitur, quòd id fecerit, aut debuerit facere.

Reſp. 2. neg. ant. 1. & min. 2. & 3. argum. Nam, ut diximus in Phyſica, non datur potentia illa activa univerſalis, & maximè in creaturis ad creationem activam, quæ requiritur in cauſa phyſica gratiæ.

Objic. 3. Niſi baptiſmus phyſicè cauſaret gratiam ſanctificantem in baptizato, miniſter non poſſet verè dicere, *Ego te baptizo*; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c. Prob. maj. non enim ille ablueret animam; non abſolveret à peccatis, &c. ſed ſolus Deus; ergo falsò ſibi tribueret, quod Deo ſoli convenit: nec magis cauſaret gratiam, quàm magus maleficium per verba, ad quorum prolationem dæmon ex pacto illud operatur, aut quàm ſcriptura, vel quodvis ſignum, ad cujus exhibitionem ex mandato regis deberet quis recipere à miniſtris centum aureos, quod eſt contra omnem ſenſum Eccleſiæ, ac planè hæreticum.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam cauſalitas moralis gratiæ ſufficit, ut miniſter per baptiſmum, aut abſolutionem verè dicat, *Ego te baptizo*, vel *te abſolvo*, licèt Deus ſolus phyſicè infundat gratiam baptiſmalem: ſc. uterque baptizat, baptiſmus ut cauſa moralis, & inſtrumentalis, & Deus ut cauſa principalis, & efficiens phyſica. Ad comparationem verborum ſortilegii patet latiſſima differentia: quia ſæ-

pè dæmon illudit tam magos, quàm alios: ſæpè etiam verba illa nihil efficiunt, ſed activa naturalia, quę applicantur paſſivis; & denique verba, & ſimilia ſigna ſunt puræ conditiones, quibus poſitis dæmon ex pacto operatur illos effectus. In ſacramentis autem veram agnoſcimus cauſalitatem moralem infallibilem, & inimpedibilem in ſubjecto diſpoſito, quam non agnoſcimus nec in verbis, & ſignis magicis, nec in chirographis, aut aliis ſignis humanis, ad quorum exhibitionem aliqua facienda ſunt. Certè hæc non habent in ſe bonitatem ullam veram neque ex ſe, neque ex inſtitutione regia, bene verò actus ſacramentales, qui valorem habent ex voluntate Dei, & meritis Chriſti; & ſunt ejuſdem opera, & actiones.

Inſt. Sacramenta non haberent aliam vim, aut efficaciam circa gratiam, quam rememorandi Deum pacti ſui cum Chriſto de danda gratia, quoties ſacramenta ſumuntur; ergo nihil eſſent ampliùs, quam verba, ſeu ſigna magica, aut alia purè memorativa ad effectum gratiarum promiſſarum.

Reſp. neg. ant. Nam præter illum effectum memorativum habent etiam vim movendi Deum ad gratiam largiendam ex meritis, & ſanctitate morali, quam illis, & eorum uſui applicuit Chriſtus, quando illa inſtituit. Sunt ergo ſigna memorativa pacti præteriti, & motiva de præſenti ad dandam gratiam promiſſam; ſicut actus meritorii ſimul ſunt memorativi promiſſionum Dei, & ſimul movent, & merentur præmia promiſſa pro illis.

Inſt. 2. Si moverent Deum ad dandam gratiam, vel id facerent per bonitatem aliquam illorum intrinſecam, vel per modum meriti, aut per modum impetrationis; ſed nullum horum dici poteſt; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nam hæc omnia concurrunt, & bonitas propria, quam ex Chriſti inſtitutione, & intentione miniſtri, & Eccleſiæ, & adultorum recipientium, & meritum fundatum in illa bonitate, & ipſius Chriſti merita, quæ huic actioni alligantur, & per illam applicantur, & conſequenter etiam per modum impetrationis, ſed præterea, & maximè ex pacto, & promiſſione Dei, per quam effectus ſacramenti red-

ditur

ditur infallibilis, ſecluſa fictione, vel obice ex parte recipientis.

Inſt. Ergo ſacramenta non ſunt tantùm cauſæ morales inſtrumentales, ſed etiam principales; ſed hoc eſt contra nos; ergo, &c. Prob. ſeq. Nam cauſa inſtrumentalis moralis non movet cauſam principalem phyſicam ad agendum per intrinſecam bonitatem; ſed ſacramenta moverent Deum per ſuam intrinſecam bonitatem; ergo, &c.

Reſp. neg. ſeq. maj. & diſt. min. movent Deum per virtutem, & bonitatem ſibi ab extrinſeco attributam, con. per bonitatem ſibi naturalem, & intrinſecam independenter ab extrinſeca inſtitutione, neg. min. nam bonitas, & honeſtas venit illis ſignis ex libera inſtitutione, & voluntate Chriſti, cui obedimus, & conformamur per ſacramenti ſuſceptionem, & merita ejus nobis applicamus, & ſic ſunt tantum cauſæ inſtrumentales morales gratiæ, ſc. per virtutem à Chriſto acceptam.

Objic. 4. Sacramentum Euchariſtiæ cauſat gratiam phyſicè; ergo & alia. Prob. ant. Nam illud continet veram carnem Chriſti, & ejus humanitatem; ſed caro Chriſti, & ejus humanitas operatur phyſicè gratiam, ſicut & alia miracula; ergo, &c. Prob. min. *Caro mea verè eſt cibus*, ſc. verè, & phyſicè nutrit animam: *Ego ſum panis vitæ*, &c. Sed hoc non diceretur verè, & propriè, niſi cauſaret phyſicè; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. 1. argum. & min. 2. & 3. Nam ad hæc verificanda ſufficit cauſalitas moralis, ut diximus tr. de Incarnatione.

Conſtat igitur, ſacramenta non eſſe niſi cauſas morales gratiæ, & inſtrumentales. 1. *morales* quidem, quia non habent in ſe vim, per quam influant in ipſam entitatem gratiæ ſive habitualis, ſive actualis, aut alterius effectus per actionem ab illis exeuntem, & terminatam ad eorum exiſtentiam, ſeu entitatem. Sed in tantum eam cauſant, in quantum Deus ex pacto, & inſtitutione ſua libera confert gratiam, & illa dona iis, qui ea rite ſuſcipiunt. 2. *Inſtrumentales* autem, quia movent Deum ad conferendas illas gratias, & dona per aliquam ſanctitatem, & bonitatem, quam non habent ex natura ſua, ſed ex puro Dei beneplacito, & inſtitutione Chriſti, per quam illis applicat merita ſua.

Quæres, *in qua conſiſtat illa cauſalitas moralis*.

Reſp. non conſiſtere in eo, quod porrigunt gratiam, ſicut manus pretium porrigit ad redimendum captivum. Nam manus tunc habet formaliter pecuniam illam; at ſacramenta non ſic habent actu, & formaliter gratiam.

Reſp. 2. Nec ſicut denarius plumbeus, aut aliud ſignum rememorativum cauſat ſolutionem pecuniæ promiſſæ: quia ſigna non aliter influunt in actionem, vel opus, quàm excitando memoriam obligationis aliquid faciendi; v. g. ſcriptura, ſeu chirographum: at ſacramentis longè majorem, & aliam efficientiam tribuunt Concilia, & Patres: ut cum dicit Auguſt. de aqua baptiſmi, quòd *corpus tangit, & cor abluit*. Idem eſt à fortiori de Euchariſt.

Reſp. 3. Nec ſicut liber, aut baculus in collatione canonicatus, vel abbatiæ. Nam baculus, & liber nihil operantur in illis collationibus, niſi ut nuda ſigna demonſtrationis promotionis à collatore venientis; ſicut corona, & ſceptrum ſunt nuda ſigna regiæ poteſtatis; ſed illam non conferunt ullo modo; benè verò ſacramenta conferunt gratiam ex omnium Theologorum ſenſu: & licet Doctor utatur hac comparatione, non intendit, ut per omnia quadret cum efficientia ſacramenti; ſed tantùm ut probet ex mente D. Bernardi, qui eodem utitur exemplo, ut doceat cauſalitatem hanc non eſſe phyſicam.

Reſp. 4. Neque cauſant, ut nudæ promiſſiones cauſant ſolutionem rei promiſſæ, neque ut nudæ petitiones Chriſti ſaltem formaliter, quia ſacramenta non ſunt illæ promiſſiones formales Dei, neque petitiones Chriſti, ſed opera, quorum intuitu Deus movetur ad dandam gratiam, & quibus Chriſtus voluit applicare merita ſua in ordine ad impetrandam gratiam illis, qui ea ſuſcipiunt.

Confir. Nam ſacramenta conſiſtunt in rebus, quæ non ſunt formaliter verba promiſſiva, nec petitiones: & in verbis, quæ non ſignificant promiſſiones, nec petitiones, ſed operationes, v. g. *baptizo te: abſolvo te*, &c. non apparet ulla promiſſio, vel petitio, ſed effectio.

Reſp. 5. illam cauſalitatem benè explicari dicendo, quòd cauſant gratiam, quia ſunt opera, intuitu quorum

rum Deus movetur ex pacto, & promiſſione ad dandam gratiam digne illa operantibus, vel ſuſcipientibus. Nam ſic ſalvatur, quod habeant veram aliquam cauſalitatem juxta ſenſum Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, & quod illa non ſit phyſica, ſed pure moralis, ut patet ex dictis, & adhuc magis patebit.

CONCLUSIO II.

Sacramenta non cauſant gratiam per ullam qualitatem, aut virtutem phyſicam ſupernaturalem, quam in ſe inditam habent.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſic argumentatur: *Illa virtus ſupernaturalis, ſi ſit in ſacramento, aut eſt ibi indiviſibiliter, ideſt tota in toto, & tota in qualibet parte; aut tota in toto, & pars in parte; non 1. modo, quia inter omnes formas perficientes materiam intellectiva eſt talis: non 2. modo, quia tunc extenderetur per accidens in ſubjecto, quod eſt contra rationem virtutis ſpiritualis*, &c.

Confir. Nam in baptiſmo ſunt multæ partes, ſc. plurimæ guttæ in aqua, & ſyllabæ in forma; vel ergo illa qualitas eſſet in ſingulis tota, vel partialiter, ſi tota, & totaliter, accidens migraret de ſubjecto in ſubjectum: nam primæ ſyllabæ, & priores partes aquæ tranſierunt, antequam poſteriores exiſtant, quia ponuntur, & proferuntur ſucceſſive: & ſic virtus illa migraret de primis ad poſteriores: ſi per partes; ergo totum ſacramentum haberet plures qualitates, & virtutes ſaltem partiales: ſed hæc repugnant, & abſurda ſunt; nam priores partes virtutis non exiſterent, antequam cauſaſſent quidquam, nec gratiæ entitas quoad effectum ſanctificandi, & remittendi peccata non eſt diviſibilis, nec ſucceſſiva, imo nequidem gradualem diviſibilitatem illi concedunt Thomiſtæ.

Prob. 2. ex eodem. Illa qualitas ineſſet ſacramento ante actum, ſeu ante uſum ejus, vel in ipſo uſu poneretur in illo; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. 1. non ante uſum; quia ſex ſacramenta non exiſtunt niſi per uſum; & quia etiam poſt uſum perſeveraret in eis; quod eſt abſurdum: non enim magis

[1] *d.1.q.5.n.8.*

exiſtunt ante, quam poſt uſum. 2. quia cauſa inſtrumentalis non accipit vim, ſeu aptitudinem ſuam ab uſu: v. g. ſerra non accipit aptitudinem, & vim ſecandi ab uſu; ergo nec ſacramenta ab applicatione; v. g. aqua non accipit vim abluendi animam, quia immergo puerum; ſed immergo illum, quia illa habet vim ſic abluendi.

Prob. 3. quia gratis, & abſque neceſſitate fingitur illa qualitas: nam ſufficienter ſacramenta cauſant, & intelliguntur cauſare ſuos effectus moraliter ſine illa, ut patet ex dictis; ſufficit dignitas extrinſeca ex inſtitutione divina, qua Deus moveatur ad dandam gratiam illis, quibus, & quoties dignè applicantur.

Objic. 1. Sacramenta verè cauſant gratiam; ergo per aliquam virtutem; ſed non poteſt aſſignari alia, quam qualitas ſupernaturalis, quam Deus illis communicat; ergo &c. Prob. min. quia ſine qualitate illa non poteſt intelligi, quomodo operentur, ſaltem vere, & connaturaliter.

Reſp. neg. ſubſ. & ant. prob. Nam ſicut non agunt niſi moraliter, ita ſufficienter intelliguntur operari verè ex eo, quod per voluntatem Dei, quæ eſt illis extrinſeca, eleventur ad movendum illum, ut, quando applicantur alicui, ipſe infundat illi gratiam.

Inſt. Ergo non magis influunt in effectus ſacramentales, quam meræ conditiones; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes: quippe agnoſcunt omnes in ſacramentis aliquam veram cauſalitatem; ergo &c. Prob. ſubſ. Nam vera cauſa debet aliquid efficere circa effectum, cujus dicitur cauſa magis, quam approximatio nuda ignis ad ſtupam, ut comburat eam; ſed ex modo, quo explicamus cauſalitatem ſacramenti, non magis influit ſanctificationem hominis, quam approximatio; ergo &c. Prob. min. Nam nihil aliud facit, niſi ut Deus ſe ſolo producat gratiam in eo, qui ſibi approximat, ſeu applicat ſacramentum.

Reſp. neg. ſubſ. & min. & ant. Nam opus ſacramentale habet rationem, non nudæ conditionis, quæ ſæpiùs nullam de ſe habet connexionem cum effectu, ſed etiam diſpoſitionis ex parte ſuſcipientis, qui per illud opus bonum movet Deum ad gratiam ſibi concedendam ſive in ſe, ut adulti, ſive ex parte Eccleſiæ, ut in baptiſmo parvulorum.

CON

CONCLUSIO III.

Sacramenta cauſant immediatè gratiam ſine prævia ulla qualitate, vel ornatu phyſico in anima ſuſcipientis. Eſt communior contra Thomiſtas, & alios, qui volunt ſacramenta cauſare immediatè qualitatem quandam præviam, & ut diſpoſitionem ad gratiam, quæ in aliquibus eſt character, in aliis verò ornatus quidam, & decor in anima.

Prob. 1. ex Scoto. (1) Nam *nulla eſt neceſſitas talis diſpoſitionis: & puriſſima fictio videtur eſſe ponere in Euchariſtia aliquam diſpoſitionem præcedentem vel inter ſpecies panis, quæ ſunt ſacramentum, & inter exiſtentiam corporis Chriſti, quæ eſt res ſignificata. In aliis ſacramentis hoc etiam prob. Nam in illis, quæ non imprimunt characterem, nulla videtur neceſſitas ponendi illam diſpoſitionem, quæ dicitur ornatus*, &c. Loquitur de diſpoſitione, *quæ ſit quaſi neceſſitas ad effectum ſacramenti*.

Prob. 2. quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate; ſed nulla eſt ad talem qualitatem præviam, & diſponentem; ergo &c. prob. ex debilitate fundamenti adverſariorum.

Confir. ex dictis tr. de gratia, ubi probavimus eam immediatè recipi in anima.

Dixi, *qualitatem, vel ornatum phyſicum:* nam de diſpoſitione morali nemo dubitat, quin neceſſaria ſit diſpoſitio moralis in adultis, ut diximus.

Objic. Sacramenta quædam producunt characterem, quo dignificatur anima ad gratiam recipiendam; ergo & alia debent aliquid operari ad eandem diſpoſitionem; & illa dicitur ornatus, ſeu qualitas quædam realis. Prob. conſ. Nam ſi omnia producerent immediatè gratiam, non differrent ſpecie inter ſe; quia non producerent diverſos ſpecie effectus, ſed ſolam gratiam, quæ in omnibus eſt ejuſdem ſpeciei; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. 1. argum. & ant. 2. & conſ. 3. Nam ſufficienter diſtinguuntur per materiam, & formam ſingulorum, & per diverſos modos cauſandi, & per auxilia ſpecialia propria ſingulis iuxta fines proprios, ut diximus.

[1] *d. 1. q. 5. A. n. 7.*

Reſp. 2. retorquendo argum. Nam diſpoſitiones illæ ad gratiam ejuſdem ſpeciei deberent eſſe ejuſdem ſpeciei; ergo ex illis diſpoſitionibus, ſeu ornatibus non poteſt peti diverſitas ſpecifica ſacramentorum.

QUÆSTIO III.

An ſacramenta noſtra cauſent gratiam ex opere operato, vel operantis.

QUia verbum, *operor*, eſt deponens, & ideò habet ſignificatum activum cum terminatione paſſiva, dicunt Hæretici nos barbarè loqui, dum dicimus *opus operatum*, ſc. paſſive uſurpamus illud verbum; & hunc barbariſmum dicunt in ſcholas noviter invectum *ut monſtrum verborum, & incvum commentum*, ut loquitur Calvinus. (1) Utinam pari zelo corrigerent proprios ſuos errores, ut noſtram grammaticam, & in verbis diſcordantes in veritate fidei convenirent.

Porrò nomine *operis operati* intelligimus ipſum opus ſacramentale externum, & ſecundum ſe independenter à merito interno tam miniſtri, quàm ſuſcipientis, qui ſunt operantes. Per *opus operantis* intelligimus opus eorumdem ſacramentorum ſecundum valorem, quem habent ab intentione, & ſanctitate ipſius miniſtri, aut ſuſcipientis, & prout ſunt actus virtutum, v. g. fidei, ſpei, & charitatis, ex quarum motivis fiunt, ita ut Deus det gratiam intuitu meritorum miniſtri, aut ſuſcipientis, vel utriuſque, non autem intuitu valoris, quem Chriſtus ex meritis ſuis illis applicuit in illorum inſtitutione.

CONCLUSIO I.

S*Acramenta noſtra cauſant gratiam ex opere operato*. Eſt de fide contra Calviniſtas, Lutheranos, & alios, qui negant ſacramentis omnem veram cauſalitatem.

Prob.

[1] 4. *Inſt. cap.* 14.

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi motus bonus interior, qui mercatur gratiam; ſed ſufficit, quod ſuſcipiens non ponat obicem.*

Prob. 2. ex Concil. (2) Nam Concilium Nicænum apud Piſanum agnoſcit virtutem Dei in ipſa aqua baptiſmi, non in actibus baptizati, vel baptizantis: *Aquam vides? Conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam.* Et Florent. docet, quod ſacramenta noſtra (3) *vere continent gratiam, & eam conferunt digne ſuſcipientibus.* Non enim eam continerent, ſi non conferrent eam, niſi ex meritis operantis. Sed clariſſime Trident. *Si quis dixerit, per ipſa nova legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ipſam fidem ſolam divinæ promiſſionis ad gratiam conferendam ſufficere, anathema ſit.*

Prob. 3. ex Scriptura, & Patribus. Nam de baptiſmo conſtat, quod *naſcimur ex aqua, & Spiritu S.* Nam aquæ tribuitur efficacitas inſtrumentalis, & Spiritui S. principalis, & pœnitentiæ tribuitur remiſſio peccatorum: *Quorum remiſeritis*, &c. & Euchariſtiæ cauſalitas vitæ æternæ; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* &c. & ſic de aliis, quibus tribuitur illa virtus, non autem ſoli fidei, vel merito ſuſcipientium: &, ut ait Auguſt. (4) *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et Chryſoſt. (5) *Chriſtianus in aqua gignitur, & formatur .... animas rationales, & ſpirituales aqua gignit.* Et S. Leo; (6) *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis eſt inſtar uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, quo replevit & virginem, ut peccatum ... tollat ablutio*; non dicit, *tollat fides* &c. Et Ambroſ. (7) *In illo mundi conſepultus elemento, peccato mortuus ad vitam eſt reſuſcitatus æternam*: & ſic de aliis, qui gratias, & effectus alios tribuunt non fidei, vel meritis ſuſcipientium, ſed ipſis ſacramentis.

Prob. 4. quia niſi ſacramenta noſtra vere in ſe continerent, & cauſarent gratiam per aliquam vim ſibi a Deo datam, ſed ex merito ſuſcipientium, vel miniſtrantium, non differrent ab antiquis cæremoniis

Mo-

(1) *d.1.q.6.K.11.* (2) *l.3.* (3) *Decr.ſſ.7.can.8.*
(4) *tr.88.Jo.* (5) *ho.25.Jo.*
(6) *ſer.4.nativ.* (7) *de init.c.4.*

Moſaicis, nec ab aliis bonis operibus charitatis, ſpei, abſtinentiæ, &c. Nam opera bona, & meritoria cauſant gratiam moraliter, & de condigno.

Confir. ex praxi. Nam baptiſmus datur pueris, qui non ſunt capaces operum fidei, aut aliarum virtutum; ergo in eis non cauſat gratiam ex ſolo opere operantis; ita eſt de perpetuo amentibus.

Objic. 1. cum hæreticis. Talis modus operandi, ſc. *ex opere operato*, nullibi reperitur in Scriptura, vel antiquis Patribus, ſed novum eſt inventum Scholaſticorum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. nullibi legitur quoad voces, con. quoad ſenſum, neg. ant. Nam loca Scripturæ, & Patrum, quibus conſtat ſacramenta vere continere, & cauſare gratiam, quam ſignificant, vere in hoc ſenſu loquuntur: ut cum Augnſt. dicit, *Non eorum meritis, a quibus miniſtratur, aut eorum, quibus miniſtratur, conſtare baptiſmum, ſed propria ſanctitate, atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt:* Non poteſt dici clarius operari ex opere operato, non vero operantis.

Inſt. Saltem illa eſt barbara; ergo imperite uſurpatur a Theologis. Prob. ant. Nam *operor* eſt verbum deponens habens ſignificationem activam; ſed in hac locutione uſurpatur paſſive; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. maj. apud grammaticos ſignificat active, con. apud Theologos, neg. maj. & conſ. Nam placuit Theologis dare illi verbo ſignificationem activam in hac materia, ut facilius, & clarius eam explicarent fidelibus. Certe Eccleſia in Conciliis, & Theologi in ſcholis ſufficientem habent auctoritatem, ut dent uſum vocibus, per quas facilius inſtruant populos. Unde inquit Auguſt. (1) *Melius eſt, ut nos grammatici reprehendant, quam non intelligant populi*. Sic in Scriptura legimus, (2) *Talibus hoſtiis promeretur Deus*, ubi *promeretur* paſſive ſumitur. *Si manet, & manetur* &c. ait ipſe Auguſt. qui callebat latinum. Voces ſunt ſignificativæ ad placitum.

Objic. 2. Cauſare *ex opere operato* eſt cauſare independenter ab omni diſpoſitione recipientis; ſed non ſic operantur ſacramenta, ſaltem in adultis; ergo &c. Maj. patet; nam ſi ex opere operato, ergo nihil confert

(1) *Ibid. Hebr. 3.*

fert operans. Prob. min. ex ipſo Concil. Tridentin. quod multas diſpoſitiones exigit ex parte noſtra ad juſtificationem, & maxime in baptiſmo, & pœnitentia.

Reſp. neg. maj. Nam id falſo nobis imponunt hæretici, & male inferunt ex doctrina Concilii; ſequitur enim, quod tantum illæ diſpoſitiones prærequiruntur, ne ſacramentorum opus inveniat in nobis obicem ad ſuos effectus; & ille obex tolli debet per actus, quos præſcribit.

Objic. Baptiſma, & pœnitentia cauſant gratiam per contritionem cum voto eorum; ſed in voto non operantur ex opere operato, ſed operantis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cum voto, quod ſit actus obedientiæ, aut alterius virtutis, & operetur per modum aliqualis meriti, con. quod operetur ſacramentaliter, neg. maj. Nam tunc votum ſacramenti operatur ex virtute, & merito obedientiæ, aut alterius virtutis, ex cujus motivo vovet ſuſcipere illud Sacramentum.

CONCLUSIO II.

Antiqua ſacramenta, quæ fuerant inſtituta ad remiſſionem originalis, ut circumciſio, cauſabant etiam gratiam ex opere operato.

Prob. 1. ex Scoto cit. *In illa lege erat circumciſio, quæ fuit proprie ſacramentum .,. hoc enim per modum ſacramenti contulit gratiam ex virtute operis operati, non tantum ex virtute operantis, ſc. ex motu interiori.*

Prob. 2. Nam illa erant vera ſacramenta; ergo cauſabant gratiam ex opere operato, quia hoc eſt eſſentiale veris ſacramentis, ut patet ex illorum definitione. Prob. ant. Nam delebant peccatum originale; ſed regulariter peccatum non deletur ſine infuſione gratiæ; & quidem in pueris id non præſtabant ex illorum merito, quia non erant capaces meriti; ergo id præſtabant ex opere operato.

Confir. Nam, ut diximus ab initio Deus non dereliquit homines, & maxime infantes in lege naturæ, vel Moyſis abſque remedio ſalutis; ergo nec ſine aliquo ſacramento remiſſivo peccati originalis independenter ab eorum meritis.

Objic. 1.

Objic. 1. ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, antiqua Sacramenta dicuntur *egena, & vacua elementa*; ergo non continebant gratiam, nec illam cauſabant, ſed tantum erant umbræ, & figuræ noſtrorum, & eam per iſta conferendam promittebant.

Reſp. ex dictis diſt. ant. Sacramenta impropria, & comparative ad noſtra, con. Sacramenta propria, & in ſe abſolute, neg. ant. loquuntur de cæremoniis illarum legum, & præcipue legis Moſaicæ, non autem de circumciſione, & aliis remediis pro infantibus in lege naturæ, & Moyſis.

Inſt. Concilia, & Patres eodem modo loquuntur de omnibus ſine exceptione; ergo contra illorum mentem excipiuntur iſta.

Reſp. diſt. ant. quoad voces, & in illa ſuppoſitione comparationis, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. ant. Nam aperte colligitur, quod de illorum mente excipiuntur illa ſacramenta quoad parvulos.

Objic. 2. Si aliqua cauſaſſent gratiam ex opere operato, non differrent a noſtris; nec fuiſſent inferiora noſtris: ſed conſ. eſt falſum, & contra mentem Scripturæ, & Patrum; ergo &c. Prob. min. Tota præſtantia noſtrorum ſacramentorum conſiſtit in illorum efficacia ex opere operato; ſed eadem tribueretur antiquis illis: ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. [1] Nam præſtantia noſtrorum ſacramentorum ſuper antiqua conſiſtit etiam in eo, quod noſtra omnia, & in omnibus cauſent ex opere operato & gratias abundantiores, &c. illa vero in ſolis parvulis, & longe minores, aut remiſſiores &c. Reliquas objectiones diluimus ſupra.

QUÆSTIO IV.

An ſacramenta noſtra conferant omnibus æquales gratias.

QUæritur hoc vel de ſuſcipientibus æqualiter diſpoſitis, ut de duobus pueris recenter natis; vel de diſpoſitis inæqualiter, utrum intenſiorem gratiam conferant illis, qui cum majori fide, ſpe, charitate accedunt, & unde veniat illa inæqualitas: an

[1] *Diſp. 1. q. 3.*

an tota ex parte Dei, qui ſit liberalior erga unum, quam alium: an tota ex parte recipientis, & ex inæquali ejus diſpoſitione, an etiam ex majori, vel minori pietate, & merito miniſtri.

Suppono autem, & non dubito, quin ſuſcipientes eadem ſacramenta recipiant inæquales gratias. Id enim docet aperte Concil. Trident. [1] ſc. nos in baptiſmo recipere *juſtitiam unumquemque ſuam ſecundum menſuram ſuam, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, &c.

CONCLUSIO.

S*Acramenta ejuſdem ſpeciei æqualem ſemper conferunt gratiam ex opere operato.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (2) Nam *aliquam gratiam diſpoſuit Deus regulariter dare cum iſto ſigno* (Sacramento) *ita quod nulli minorem; & iſta poteſt dici conferri virtute baptiſmi, quia virtute veritatis hujus ſigni* (hoc eſt ex opere operato) *& ſicut determinatio illa univerſalis, quantum ad iſtum gradum, eſt uniformis, ita effectus æqualis*, &c.

Prob. 2. Singula ſacramenta ex Dei inſtitutione habent determinatum ſibi effectum, & virtutem; ergo hunc effectum, quantum eſt ex ſe, & ex opere operato, ſemper, & ubique cauſant, ſc. in gradu determinato. Ant. patet ex Concil. Trident. [3] *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi ſacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei*, &c. Et ſuperius dicebat, gratiam dari unicuique in baptiſmo (idem eſt de aliis) ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem; ergo ſi eſt differentia, vel inæqualitas gratiæ, quam conferunt ſacramenta, hæc petitur non ex parte ſacramenti, ſeu operis operati, ſed operantis.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Damaſc. [4] *Quamvis peccatorum remiſſio omnibus æque per baptiſmum detur; ſpiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis curationis modulo, ac ratione comparatur.* Et S. Cyprian. docet, [5] quod *ſicut Sol æquali ſuper*

[1] *ſſ. 6. c. 7.* [2] *d. 4. q. 7. A. n. 2. & 3.*
[3] *ſſ. 7. can. 7.* [4] *4. De fi. 10.* [5] *Eph. 6. vel 7.*

tione. Et certe ſi extra ſacramentum poteſt ſacerdos, vel alius quivis homo Deo gratus impetrare aliis gratias per modum meriti de congruo, à fortiori hoc fieri poterit in ſacramentis, quorum præſentia, & applicatione magis delectatur Deus, & magis movetur ad miſericordiam. Ant. pat. ex Script. dicente, *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Item, *Multum valet juſti deprecatio*. Unde Chriſtus movebatur per fidem parentum, & orantium ad concedenda aliis beneficia, & gratias remiſſionis peccatorum: *Videns fidem illorum dixit, confide fili, dimittuntur tibi peccata tua*: in quem locum notat Gloſſa, *quantum valeat apud Deum fides propria, apud quem ſic valuit aliena, ut intus, & extra ſanaret hominem*.

Non dico tamen, quod virtus ſacramenti proprie creſcat, aut decreſcat ex merito, & ſanctitate, vel improbitate miniſtri; ſed tantum quod valeat per modum impetrationis, & meriti de congruo. Dico *de congruo*; nam ſolus Chriſtus D. poteſt nobis mereri gratiam de condigno.

Ratio eſt, quia ſacramenta vim omnem habent à Chriſto, non a miniſtro, vel adſtantibus. Unde Chryſoſt. [1] fatetur, quod qui illo abſente baptizati fuerant, nihil minus gratiæ habuerant, *quia præſente Chriſto baptizati ſunt* : & idem docet Auguſt. [2] *Si unus ab illo v.g. juſto, & ſancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum ... unum tamen par, & æquale eſt, quod acceperunt, niſi quia hic* (Chriſtus) *eſt, qui baptizat*. Igitur ſi quid emolumenti habeat ſuſcipiens a miniſtris, vel adſtantibus, id habet non ex ſacramento, ſed ex devotionis, & impetrationis intuitu.

Obiic. 1. Concil. Trident. *In ſacramentis unuſquiſque recipit gratiam ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem*; ergo tota inæqualitas gratiæ ſacramentalis venit ex diſpoſitione ſubjecti, & non ex Deo, vel Chriſto, vel adſtantibus.

Reſp. neg. conſ. Nam potiùs contrarium colligitur ex verbis Concilii, quod triplicem cauſam aſſignat illius menſuræ, ſc. Spiritus S. voluntatem; quia *dividit ſingulis, prout vult*, & merita Chriſti, & diſpoſitionem propriam recipientis.

Inſt.

[1] *Hom. de reditu ſuo*.

Inſt. Non debet tribui voluntati Dei hæc inæqualitas, niſi conſtet ex revelatione per Scripturam, vel per traditionem Eccleſiæ; ſed neutro modo conſtat Deum velle uni favere præ alio in applicatione æqualis cauſæ, id eſt æqualis ſacramenti; ergo nulla eſt inæqualitas ex parte Dei, vel Chriſti. Maj. patet: nam Deus, & Chriſtus æqualem, & determinatam vim tribuerunt ſingulis ſacramentis unius ſpeciei. Prob. min. nam *non eſt acceptio perſonarum apud Deum*; & ſicut unus eſt Deus omnium, ſic unus amor, & una benevolentia, quantum eſt ex ipſo.

Reſp. neg. min. Nam conſtat ex Scriptura, quod Deus dividit gratias ſuas tum actuales, tum habituales *prout vult:* unde ſicut non eligit omnes ad æqualem gloriam, ita poteſt, ſi velit, inæqualem conferre gratiam per unum, & idem ſacramentum, [1] cæteris paribus. Loquor de poſſibili: nam quid de facto dicendum ſit, non determinat Scotus: dubium eſt de facto, ſed poſſibilitas eſt oſtenſa.

Inſt. Ergo efficacitas ſingulorum ſacramentorum non eſt determinata, ſed pendet ex libero Dei arbitrio, quod eſt contra omnes, & ipſum Doctorem.

Reſp. diſt. conſ. Non eſt determinata quoad augmentum ab ipſo dependens, con. quoad minus, quantum eſt ex parte ſacramenti, neg. conſ. Nam ex Scoto, [2] *Aliquam gratiam diſpoſuit regulariter dare iſti ſigno, ita quod nulli minorem; & iſta poteſt dici conferri virtute baptiſmi... & ſicut determinatio illa univerſalis quantum ad iſtum gradum eſt uniformis, ita & effectus æqualis*, &c. ſed ex aliis capitibus non eſt determinata ſic, quin ex puro beneplacito vel in finem prædeſtinationis, vel intuitu meritorum, & devotionis aſſiſtentium poſſit velle conferre majorem uni, quam alteri.

Objic. 2. Si inæqualitas veniret aliunde, quam ex diſpoſitione ſubjecti, veniret ab ipſo ſacramento, vel aliunde; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex ſacramento; quia idem eſt, & idem ſignificat in omnibus ſuſcipientibus; ergo & idem operatur; quia operatur ut ſignum practicum. 2. non aliunde, v. g. a Deo, quia æqualibus meritis deter-

[1] *Ibid. C. n. 5.*
[2] *Ibid. A. n.* 8.

Reſp. 2. retorquendo argum. Nam diſpoſitiones illæ ad gratiam ejuſdem ſpeciei deberent eſſe ejuſdem ſpeciei; ergo ex illis diſpoſitionibus, ſeu ornatibus non poteſt peti diverſitas ſpecifica ſacramentorum.

QUÆSTIO III.

An ſacramenta noſtra cauſent gratiam ex opere operato, vel operantis.

QUia verbum, *operor*, eſt deponens, & ideò habet ſignificatum activum cum terminatione paſſiva, dicunt Hæretici nos barbarè loqui, dum dicimus *opus operatum*, ſc. paſſive uſurpamus illud verbum; & hunc barbariſmum dicunt in ſcholas noviter invectum *ut monſtrum verborum, & inceptum commentum*, ut loquitur Calvinus. (1) Utinam pari zelo corrigerent proprios ſuos errores, ut noſtram grammaticam, & in verbis diſcordantes in veritate fidei convenirent.

Porrò nomine *operis operati* intelligimus ipſum opus ſacramentale externum, & ſecundum ſe independenter à merito interno tam miniſtri, quàm ſuſcipientis, qui ſunt operantes. Per *opus operantis* intelligimus opus eorumdem ſacramentorum ſecundum valorem, quem habent ab intentione, & ſanctitate ipſius miniſtri, aut ſuſcipientis, & prout ſunt actus virtutum, v. g. fidei, ſpei, & charitatis, ex quarum motivis fiunt, ita ut Deus det gratiam intuitu meritorum miniſtri, aut ſuſcipientis, vel utriuſque, non autem intuitu valoris, quem Chriſtus ex meritis ſuis illis applicuit in illorum inſtitutione.

CONCLUSIO I.

S*Acramenta noſtra cauſant gratiam ex opere operato*. Eſt de fide contra Calviniſtas, Lutheranos, & alios, qui negant ſacramentis omnem veram cauſalitatem.

Prob.

[1] 4. *Inſt. cap.* 14.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Sacramentum ex virtute operis operati confert gratiam, ita quod non requiritur ibi motus bonus interior, qui mercatur gratiam; ſed ſufficit, quod ſuſcipiens non ponat obicem.*

Prob. 2. ex Concil. [2] Nam Concilium Nicænum apud Piſanum agnoſcit virtutem Dei in ipſa aqua baptiſmi, non in actibus baptizati, vel baptizantis: *Aquam vides? Conſidera virtutem Dei in aquis abſconditam.* Et Florent. docet, quod ſacramenta noſtra [3] *vere continent gratiam, & eam conferunt digne ſuſcipientibus.* Non enim eam continerent, ſi non conferrent eam, niſi ex meritis operantis. Sed clariſſime Trident. *Si quis dixerit, per ipſa nova legis ſacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ipſam fidem ſolam divinæ promiſſionis ad gratiam conferendam ſufficere, anathema ſit.*

Prob. 3. ex Scriptura, & Patribus. Nam de baptiſmo conſtat, quod *naſcimur ex aqua, & Spiritu S.* Nam aquæ tribuitur efficacitas imſtrumentalis, & Spiritui S. principalis, & pœnitentiæ tribuitur remiſſio peccatorum: *Quorum remiſeritis*, &c. & Euchariſtiæ cauſalitas vitæ æternæ; *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum* &c. & ſic de aliis, quibus tribuitur illa virtus, non autem ſoli fidei, vel merito ſuſcipientium, &, ut ait Auguſt. (4) *unde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Et Chryſoſt. (5) *Chriſtianus in aquâ gignitur, & formatur .... animas rationales, & ſpirituales aqua gignit.* Et S. Leo; (6) *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmatis eſt inſtar uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, quo replevit & virginem, ut peccatum ... tollat ablutio;* non dicit, *tollat fides* &c. Et Ambroſ. [7] *In illo mundi conſepultus elemento, peccato mortuus ad vitam eſt reſuſcitatus æternam*: & ſic de aliis, qui gratias, & effectus alios tribuunt non fidei, vel meritis ſuſcipientium, ſed ipſis ſacramentis.

Prob. 4. quia niſi ſacramenta noſtra vere in ſe continerent, & cauſarent gratiam per aliquam vim ſibi a Deo datam, ſed ex merito ſuſcipientium, vel miniſtrantium, non differrent ab antiquis cæremoniis Mo-

[1] *d.1.q.6.K.11.* [2] *l.3.* [3] *Decr.ſſ.7.can.8.* (4) *tr.88.Jo.* (5) *ho.25.Jo.* [6] *ſer.4.nativ.* [7] *de init.c.4.*

Moſaicis, nec ab aliis bonis operibus charitatis, ſpei, abſtinentiæ, &c. Nam opera bona, & meritoria cauſant gratiam moraliter, & de condigno.

Confir. ex praxi. Nam baptiſmus datur pueris, qui non ſunt capaces operum fidei, aut aliarum virtutum; ergo in eis non cauſat gratiam ex ſolo opere operantis; ita eſt de perpetuo amentibus.

Objic. 1. cum hæreticis. Talis modus operandi, ſc. *ex opere operato*, nullibi reperitur in Scriptura, vel antiquis Patribus, ſed novum eſt inventum Scholaſticorum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. nullibi legitur quoad voces, con. quoad ſenſum, neg. ant. Nam loca Scripturæ, & Patrum, quibus conſtat ſacramenta vere continere, & cauſare gratiam, quam ſignificant, vere in hoc ſenſu loquuntur: ut cum Auguſt. dicit, *Non eorum meritis, a quibus miniſtratur, aut eorum, quibus miniſtratur, conſtare baptiſmum, ſed propria ſanctitate, atque veritate propter eum, a quo inſtitutus eſt*: Non poteſt dici clarius operari ex opere operato, non vero operantis.

Inſt. Saltem illa eſt barbara; ergo imperite uſurpatur a Theologis. Prob. ant. Nam *operor* eſt verbum deponens habens ſignificationem activam; ſed in hac locutione uſurpatur paſſive; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. maj. apud grammaticos ſignificat active, con. apud Theologos, neg. maj. & conſ. Nam placuit Theologis dare illi verbo ſignificationem activam in hac materia, ut facilius, & clarius eam explicarent fidelibus. Certe Eccleſia in Conciliis, & Theologi in ſcholis ſufficientem habent auctoritatem, ut dent uſum vocibus, per quas facilius inſtruant populos. Unde inquit Auguſt. [1] *Melius eſt, ut nos grammatici reprehendant, quam non intelligant populi*. Sic in Scriptura legimus, (2) *Talibus hoſtiis promeretur Deus*, ubi *promeretur* paſſive ſumitur. *Si manet, & manetur* &c. ait ipſe Auguſt. qui callebat latinum. Voces ſunt ſignificativæ ad placitum.

Objic. 2. Cauſare *ex opere operato* eſt cauſare independenter ab omni diſpoſitione recipientis; ſed non ſic operantur ſacramenta, ſaltem in adultis; ergo &c. Maj. patet; nam ſi ex opere operato, ergo nihil confert

(1) *Ibid. Hebr. 3.*

fert operans. Prob. min. ex ipſo Concil. Tridentin. quod multas diſpoſitiones exigit ex parte noſtra ad juſtificationem, & maxime in baptiſmo, & pœnitentia.

Reſp. neg. maj. Nam id falſo nobis imponunt hæretici, & male inferunt ex doctrina Concilii; ſequitur enim, quod tantum illæ diſpoſitiones prærequiruntur, ne ſacramentorum opus inveniat in nobis obicem ad ſuos effectus; & ille obex tolli debet per actus, quos præſcribit.

Objic. Baptiſma, & pœnitentia cauſant gratiam per contritionem cum voto eorum; ſed in voto non operantur ex opere operato, ſed operantis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. cum voto, quod ſit actus obedientiæ, aut alterius virtutis, & operetur per modum aliqualis meriti, con. quod operetur ſacramentaliter, neg. maj. Nam tunc votum ſacramenti operatur ex virtute, & merito obedientiæ, aut alterius virtutis, ex cujus motivo vovet ſuſcipere illud Sacramentum.

CONCLUSIO II.

ANtiqua ſacramenta, quæ fuerant inſtituta ad remiſſionem originalis, ut circumciſio, cauſabant etiam gratiam ex opere operato.

Prob. 1. ex Scoto cit. *In illa lege erat circumciſio, quæ fuit proprie ſacramentum .,. hoc enim per modum ſacramenti contulit gratiam ex virtute operis operati, non tantum ex virtute operantis, ſc. ex motu interiori.*

Prob. 2. Nam illa erant vera ſacramenta; ergo cauſabant gratiam ex opere operato, quia hoc eſt eſſentiale veris ſacramentis, ut patet ex illorum definitione. Prob. ant. Nam delebant peccatum originale; ſed regulariter peccatum non deletur ſine infuſione gratiæ; & quidem in pueris id non preſtabant ex illorum merito, quia non erant capaces meriti; ergo id præſtabant ex opere operato.

Confir. Nam, ut diximus ab initio Deus non dereliquit homines, & maxime infantes in lege naturæ, vel Moyſis abſque remedio ſalutis; ergo nec ſine aliquo ſacramento remiſſivo peccati originalis independenter ab eorum meritis.

Objic. 1.

Objic. 1. ex Scriptura, Patribus, & Conciliis, antiqua Sacramenta dicuntur *egena, & vacua elementa*; ergo non continebant gratiam, nec illam cauſabant, ſed tantum erant umbræ, & figuræ noſtrorum, & eam per iſta conferendam promittebant.

Reſp. ex dictis diſt. ant. Sacramenta impropria, & comparative ad noſtra, con. Sacramenta propria, & in ſe abſolute, neg ant. loquuntur de cæremoniis illarum legum, & præcipue legis Moſaicæ, non autem de circumciſione, & aliis remediis pro infantibus in lege naturæ, & Moyſis.

Inſt. Concilia, & Patres eodem modo loquuntur de omnibus ſine exceptione; ergo contra illorum mentem excipiuntur iſta.

Reſp. diſt. ant. quoad voces, & in illa ſuppoſitione comparationis, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. ant. Nam aperte colligitur, quod de illorum mente excipiuntur illa ſacramenta quoad parvulos.

Objic. 2. Si aliqua cauſaſſent gratiam ex opere operato, non differrent a noſtris; nec fuiſſent inferiora noſtris: ſed conſ. eſt falſum, & contra mentem Scripturæ, & Patrum; ergo &c. Prob. min. Tota præſtantia noſtrorum ſacramentorum conſiſtit in illorum efficacia ex opere operato; ſed eadem tribueretur antiquis illis: ergo &c.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. [1] Nam præſtantia noſtrorum ſacramentorum ſuper antiqua conſiſtit etiam in eo, quod noſtra omnia, & in omnibus cauſent ex opere operato & gratias abundantiores, &c. illa vero in ſolis parvulis, & longe minores, aut remiſſiores &c. Reliquas objectiones diluimus ſupra.

QUÆSTIO IV.

An ſacramenta noſtra conferant omnibus æquales gratias.

QUæritur hoc vel de ſuſcipientibus æqualiter diſpoſitis, ut de duobus pueris recenter natis; vel de diſpoſitis inæqualiter, utrum intenſiorem gratiam conferant illis, qui cum maiori fide, ſpe, charitate accedunt, & unde veniat illa inæqualitas: an

[1] *Diſp. 1. q. 3.*

an tota ex parte Dei, qui ſit liberalior erga unum, quam alium: an tota ex parte recipientis, & ex inæquali ejus diſpoſitione, an etiam ex majori, vel minori pietate, & merito miniſtri.

Suppono autem, & non dubito, quin ſuſcipientes eadem ſacramenta recipiant inæquales gratias. Id enim docet aperte Concil. Trident. [1] ſc. nos in baptiſmo recipere *juſtitiam unumquemque ſuam ſecundum menſuram ſuam, quam Spiritus S. partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, &c.

CONCLUSIO.

S*Acramenta ejuſdem ſpeciei æqualem ſemper conferunt gratiam ex opere operato*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. (2) Nam *aliquam gratiam diſpoſuit Deus regulariter dare cum iſto ſigno* (Sacramento) *ita quod nulli minorem; & iſta poteſt dici conferri virtute baptiſmi, quia virtute veritatis hujus ſigni* (hoc eſt ex opere operato) *& ſicut determinatio illa univerſalis, quantum ad iſtum gradum, eſt uniformis, ita effectus æqualis*, &c.

Prob. 2. Singula ſacramenta ex Dei inſtitutione habent determinatum ſibi effectum, & virtutem; ergo hunc effectum, quantum eſt ex ſe, & ex opere operato, ſemper, & ubique cauſant, ſc. in gradu determinato. Ant. patet ex Concil. Trident. [3] *Si quis dixerit non dari gratiam per hujuſmodi ſacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei*, &c. Et ſuperius dicebat, gratiam dari unicuique in baptiſmo (idem eſt de aliis) ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem; ergo ſi eſt differentia, vel inæqualitas gratiæ, quam conferunt ſacramenta, hæc petitur non ex parte ſacramenti, ſeu operis operati, ſed operantis.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Damaſc. [4] *Quamvis peccatorum remiſſio omnibus æque per baptiſmum detur; ſpiritus tamen gratiæ pro fidei, ac præcedentis curationis modulo, ac ratione comparatur*. Et S. Cyprian. docet, [5] quod *ſicut Sol æquali ſu-* per

[1] ſſ. 6. c. 7. [2] d. 4. q. 7. A. n. 2. & 3.
[3] ſſ. 7. can. 7. [4] 4. De fi. 10. [5] Eph. 6. vel 7.

per omnes fulget luce; & ſicut Manna ſecundum menſuram Gomor à ſingulis indiſtinctè colligebatur; [1] & ſicut denarius a patrefamilias ſingulis operariis dabatur; ita Spiritus S. non de menſura datur, ſed ſuper credentes totus diffunditur: loquitur de baptiſmo, quantum eſt ex ſe.

Prob. 4. Nam ſacramenta hic agunt ut cauſæ naturales morales; ſed cauſa naturalis agit uniformiter in ſubjectis æque diſpoſitis; ergo idem ſpecie ſacramentum eaodem, ſeu æqualem gratiam cauſat cæteris paribus.

Dixi, *ſacramenta ejuſdem ſpeciei*, nam ſicut unum ſacramentum eſt dignius alio, v. g. Euchariſtia præcellit cætera omnia; baptiſmus dignior eſt matrimonio, ſicut & ordo, &c. ita valde probabile eſt, quod digniora majorem habent efficaciam, & gratiam majorem conferunt, quam minora, & ignobiliora. Item ſicut non ſunt æqualis neceſſitatis ſecundum ſe; ita nec ſunt æqualis efficaciæ. Igitur cum gradus efficacitatis ſingulorum pendeat ex Dei beneplacito, ſicut & tota inſtitutio, ſic probabile eſt Deum illorum dignitati, ac neceſſitati commenſuraſſe efficacitatem, & præcellentiam effectuum.

CONCLUSIO II.

Gratiæ ſacramentalis inæqualitas venire poteſt non ſolum ex parte Dei, ſed etiam ex parte Chriſti, & ex parte miniſtri, & aſſiſtentium.

Prob. 1. ex Scoto quoad ſingulas partes, quoad 1. dicit, [2] quod *quia Deus prædeſtinavit diverſos electos ad diverſos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem hujus ſacramenti ad tantam, vel tantam gratiam conferendam... poſſet Deus in determinando veritatem... hujus ſigni velle conferre... majorem illi, quem prædeſtinavit ad majorem gloriam*, &c. quoad 2. verò: *Quia Chriſtus ponitur communiter noſſe omnia, quæ Deus novit, & per conſequens novit electos, & ad quem gradum gloriæ fuerint electi, potuit pro prædeſtinato ad majorem gloriam plenius offerre paſſionem ſuam, ut ei conferretur gratia proportionata.* Quod autem ita potuit fieri, non dubitat Doctor; ſed du-

[1] *Mach.* 2. [2] *Ibid. B. C. D. n.* 3. 4. 5.

dubium eſt de facto, & nos etiam de poſſibili loquimur: quoad 3. loquens de parvulis dicit, quod *cum nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte ſui recipiendam; poteſt tamen in parentibus unius eſſe major motus, quam alterius pro ſuo parvulo, vel in aliquibus aliis miniſtrantibus, vel aſſiſtentibus baptiſmo, propter quorum merita Deus uni parvulo poteſt conferre majorem gratiam, quam alteri, ſed hoc non virtute baptiſmi, ſed meriti*, &c. Et adducit exemplum S. Nicolai, cui parentes in baptiſmo dicuntur tantam gratiam meruiſſe, ut ab incunabulis didicerit jejunare, &c.

Prob. 2. quoad 1. p. Quia nulla eſt in hoc repugnantia, quod Deus ex ſua pura benevolentia, & placito velit in baptiſmo v. g. vel Euchariſtia dare majorem gratiam uni, quam alteri; ergo inæqualitas gratiæ poteſt venire a Deo, cæteris paribus.

Confir. ex Trident. cit. Nam ibi clare docet, menſuram gratiæ baptiſmalis peti ex propria diſpoſitione ſuſcipientis, tum ex liberalitate Spiritus S. *qui dividit gratiam ſingulis, prout vult*.

Prob. 2. p. de Chriſto. Nam, ut dicebamus ex Scoto, ejus voluntas humana fuit ſumme conformis voluntati divinæ; ergo ſicut divina voluntas poteſt velle dare majorem gratiam in ſacramentis uni, quam alteri, ita & Chriſtus potuit applicare merita ſua ad majorem gratiam illi, quem videbat prædeſtinatum ad majorem gratiam, & gloriam. Certe in hoc nulla apparet implicantia; imo apparet magna congruitas.

Prob. 3. p. Nam, ut diximus in tr. de gratia, poteſt miniſter, & adſtantes per modum meriti de congruo impetrare aliquas gratias alteri; ergo miniſtri, qui conferunt ſacramenta cum majori affectu, & ſunt ſanctiores, & magis diſpoſiti ad merendum apud Deum, poſſunt impetrare aliquos gradus gratiæ ſuſcipientibus præter menſuram, quæ venit ex ſacramenti opere: & in hoc etiam nulla eſt repugnantia.

Confir. hoc: quia pie creditur, & tribuitur pietati miniſtrorum, & parentum S. Nicolai Miræ Epiſcopi, quod tantam gratiam receperit in baptiſmo, ut bis in hebdomada jejunaret, contentus unica lacta-

tio·

tione. Et certe ſi extra ſacramentum poteſt ſacerdos, vel alius quivis homo Deo gratus impetrare aliis gratias per modum meriti de congruo, à fortiori hoc fieri poterit in ſacramentis, quorum præſentia, & applicatione magis delectatur Deus, & magis movetur ad miſericordiam. Ant. pat. ex Script. dicente, *Orate pro invicem, ut ſalvemini*. Item, *Multum valet juſti deprecatio*. Unde Chriſtus movebatur per fidem parentum, & orantium ad concedenda aliis beneficia, & gratias remiſſionis peccatorum: *Videns fidem illorum dixit, confide fili, dimittuntur tibi peccata tua*: in quem locum notat Gloſſa, *quantum valeat apud Deum fides propria, apud quem ſic valuit aliena, ut intus, & extra ſanaret hominem*.

Non dico tamen, quod virtus ſacramenti proprie creſcat, aut decreſcat ex merito, & ſanctitate, vel improbitate miniſtri; ſed tantum quod valeat per modum impetrationis, & meriti de congruo. Dico *de congruo*; nam ſolus Chriſtus D. poteſt nobis mereri gratiam de condigno.

Ratio eſt, quia ſacramenta vim omnem habent à Chriſto, non a miniſtro, vel adſtantibus. Unde Chryſoſt. [1] fatetur, quod qui illo abſente baptizati fuerant, nihil minus gratiæ habuerant, *quia præſente Chriſto baptizati ſunt*: & idem docet Auguſt. [2] *Si unus ab illo v.g. juſto, & ſancto baptizetur, alius ab alio inferioris meriti apud Deum ... unum tamen par, & æquale eſt, quod acceperunt, niſi quia hic* (Chriſtus) *eſt, qui baptizat*. Igitur ſi quid emolumenti habeat ſuſcipiens a miniſtris, vel adſtantibus, id habet non ex ſacramento, ſed ex devotionis, & impetrationis intuitu.

Obiic. 1. Concil. Trident. *In ſacramentis unuſquiſque recipit gratiam ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem*; ergo tota inæqualitas gratiæ ſacramentalis venit ex diſpoſitione ſubjecti, & non ex Deo, vel Chriſto, vel adſtantibus.

Reſp. neg. conſ. Nam potiùs contrarium colligitur ex verbis Concilii, quod triplicem cauſam aſſignat illius menſuræ, ſc. Spiritus S. voluntatem; quia *dividit ſingulis, prout vult*, & merita Chriſti, & diſpoſitionem propriam recipientis.

Inſt.

[1] *Hom. de reditu ſuo*.

Inſt. Non debet tribui voluntati Dei hæc inæqualitas, niſi conſtet ex revelatione per Scripturam, vel per traditionem Eccleſiæ; ſed neutro modo conſtat Deum velle uni favere præ alio in applicatione æqualis cauſæ, id eſt æqualis ſacramenti; ergo nulla eſt inæqualitas ex parte Dei, vel Chriſti. Maj. patet: nam Deus, & Chriſtus æqualem, & determinatam vim tribuerunt ſingulis ſacramentis unius ſpeciei. Prob. min. nam *non eſt acceptio perſonarum apud Deum*; & ſicut unus eſt Deus omnium, ſic unus amor, & una benevolentia, quantum eſt ex ipſo.

Reſp. neg. min. Nam conſtat ex Scriptura, quod Deus dividit gratias ſuas tum actuales, tum habituales *prout vult:* unde ſicut non eligit omnes ad æqualem gloriam, ita poteſt, ſi velit, inæqualem conferre gratiam per unum, & idem ſacramentum, [1] cæteris paribus. Loquor de poſſibili: nam quid de facto dicendum ſit, non determinat Scotus: dubium eſt de facto, ſed poſſibilitas eſt oſtenſa.

Inſt. Ergo efficacitas ſingulorum ſacramentorum non eſt determinata, ſed pendet ex libero Dei arbitrio, quod eſt contra omnes, & ipſum Doctorem.

Reſp. diſt. conſ. Non eſt determinata quoad augmentum ab ipſo dependens, con. quoad minus, quantum eſt ex parte ſacramenti, neg. conſ. Nam ex Scoto, [2] *Aliquam gratiam diſpoſuit regulariter dare iſti ſigno, ita quod nulli minorem; & iſta poteſt dici conferri virtute baptiſmi... & ſicut determinatio illa univerſalis quantum ad iſtum gradum eſt uniformis, ita & effectus æqualis*, &c. ſed ex aliis capitibus non eſt determinata ſic, quin ex puro beneplacito vel in finem prædeſtinationis, vel intuitu meritorum, & devotionis aſſiſtentium poſſit velle conferre majorem uni, quam alteri.

Objic. 2. Si inæqualitas veniret aliunde, quam ex diſpoſitione ſubjecti, veniret ab ipſo ſacramento, vel aliunde; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex ſacramento; quia idem eſt, & idem ſignificat in omnibus ſuſcipientibus; ergo & idem operatur; quia operatur ut ſignum practicum. 2. non aliunde, v. g. a Deo, quia æqualibus meritis deter-

[1] *Ibid. C. n. 5.*
[2] *Ibid. A. n. 8.*

terminat æqualia præmia, & cum æquali cauſa æqualem exhibet concurſum; ſed æqualia ſunt ſacramenta, æqualia merita, & æquales cauſæ; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam utrumque dici poteſt, & diſt. ant. 1. prob. idem ſignificat quoad ſpeciem effectus, con. quoad gradum intenſionis, neg. ant. Baptiſmus ſignificat ubique ablutionem a peccato originali; ſed non ſignificat præciſe, quanta ſit illa gratia ablutionis, an major, aut minor. Ad 2.prob.diſt.maj.æquali cauſæ, quatenus cauſa eſt, & ex eo capite, con. ex alio cap.neg.maj. & ſic diſt. conſ. æquali ſacramento, & ex vi ſacramenti, con.ex beneplacito, vel alio motivo, quam ſacramenti, neg. conſ. Intuitu ſacramenti, & operis operati dat Deus æqualem gratiam, ſaltem regulariter; ſed ex beneplacito ſuo, & liberalitate, vel intuitu precum, & devotionis aſſiſtentium poteſt velle addere aliquid. Vide parabolam de operariis. *An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum?* ait paterfamilias, dum largitur æquale præmium pro inæquali labore.

Objic. 3. SS. Partes communiter docent, ſacramenta nullam efficaciam accipere a ſanctitate miniſtri, quia tota eſt ex Dei voluntate, & ex merito Chriſti: ergo ex aſſiſtentibus non venit inæqualitas.

Reſp.diſt.conſ. ita ut ipſum ſacramentum ex opere operato ſit efficacius, con. ita ut non ſit efficacius ex opere operantis concomitanter ad meritum miniſtri, aut aſſiſtentium, neg. conſ. Sanctitas miniſtri præciſe nihil tribuit ipſi ſacramento, ut ſit efficacius; ſed concomitanter facit, ut major gratia conferatur, ita ut aliquis gradus ejus merito, & orationi miniſtri correſpondeat præter illos gradus, quos ex ſe operatur ſacramentum.

Inſt. Ex ſanctitate miniſtri ſacramentum non eſt melius, nec efficacius ad cauſandam majorem gratiam; ergo &c.

Reſp.diſt. ant. non eſt melius in ſe, & quoad opus operatum, con. concomitanter, & ex opere operantis, neg. ant.& conſ. Nec enim poteſt negari, quin opus ſacramentale aliquam ſanctitatem extrinſecam, & accidentalem habeat a ſanctiori miniſtro, quam ab iniquo, & ſacrilego; quamvis iſte non impediat ejus effectum ex opere operato.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quandonam Sacramenta cauſent gratiam.

RESTAT quærendum, an ſacramenta cauſent gratiam ante ſuſceptionem, ut cum proponimus ea ſuſcipere, ſeu quando ſunt in voto, an in ipſa ſuſceptione, & dum actu fiunt, an poſtquam perfecta ſunt.

CONCLUSIO.

SAcramenta non cauſant gratiam ex opere operato nec antequam fiant, aut recipiantur, ſeu in voto, nec quando fiunt, ſed quando primum perfecta ſunt.

Prob. 1. ex Scoto ſupra cit. de cauſalitate ex opere operato. [1] *Nam ſacramentum confert gratiam ex virtute operis operati, ita quod non requiritur ibi motus bonus interior, qui mereatur gratiam*: Ecce 1. p. quoad 2. vero dicit, quod gratia creatur indiviſibiliter, & in inſtanti; ſacramentum vero fit ſucceſſive tum in applicatione materiæ, tum in prolatione formæ: & quoad 3. docet de confectione Euchariſtiæ & poſitione corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, concludit, quod iſta oratio, [2] *hoc eſt corpus meum, eſt vera pro ultimo inſtanti prolationis*: addit vero, quod Theologo [3] *ſufficit, quod iſta oratio, ut eſt tale ſignum ſenſibile inſtitutum a Deo, eſt inſtrumentum Dei ad conſecrationem illam, quæ ſequitur in ultimo inſtanti, ita quod Deus aſſiſtit ſibi tanquam cuidam diſpoſitioni præviæ efficaci, ut ea completa cauſet talem effectum inviſibilem*; ergo ſacramenta non cauſant, niſi quando primum completur actio ſacramentalis: nam idem eſt de aliis, ac de iſto quoad ſuum effectum.

Prob. 2. tota concluſio. Nam promiſſio gratiæ ſacramentalis ex opere operato non fit pro futura illorum ſuſceptione, ſeu proponentibus ea ſuſcipere, ſed actu ſuſcipientibus: ergo non cauſant gratiam ex opere operato, antequam actu exiſtant, & ſuſcipiantur. Prob. ant. Nam Scriptura non dicit, *qui baptizabitur*, nec

[1] *d.1.q.6.K.n.11.* [2] *q.5.A.n.4.*
[3] *d.28.q.2.K.n.19.& V.n.23.*

nec *qui cupierit baptizari*, ſed *qui baptizatus fuerit*, item non dicitur, *quorum remiſſuri eritis*, ſed *quorum remiſeritis peccata*, &c. ergo &c.

Confir. Nam id implicat in terminis, ut ſacramentum cauſet gratiam *ex opere operato*, antequam opus ſacramentale ſit operatum, & quidem integre; ergo non ita cauſat nec ante receptionem, nec in fieri, ſeu in decurſu receptionis, ſed in inſtanti, quo perficitur; quia ante illud inſtans non eſt opus vere operatum. Prob.ant. Nam eo modo ſacramenta operantur, quo ſignificant; ſunt enim ſigna efficacia.

Confir. 2. quia ſacramentum, ut tale formaliter, & reduplicative, eſt ſignum ſenſibile; ergo non operatur gratiam inviſibilem, & ſacramentaliter, niſi prout eſt opus externum, & poſitum ſenſibiliter; atqui non ponitur ſenſibiliter, quando exiſtit tantum in voto; quia votum v.g. contritio perfecta cum voto baptiſmi, aut pœnitentiæ eſt actus pure internus; ergo &c.

Prob. 3. quoad 1.p. Nam, ut docet Scotus cit. quando baptiſmus in actu contritionis, & in voto cauſat gratiam, hoc non facit independenter ab opere operantis, nec ſine bono motu interno, ſc. amoris Dei ex vera charitate; ergo tunc non cauſat ex opere operato.

Confir. Quia tunc non confert characterem, nec totam remiſſionem pœnarum, &c. ergo non cauſat ſacramentaliter, neque ex opere operato.

Prob. etiam ſpecialiter quoad 2. p. quia quandiu ſacramenta fiunt, & antequam actio ſacramentalis ſit totaliter completa, non habent perfectam ſignificationem; ergo neque tunc cauſant gratiam: nam, ut dictum eſt, tunc eodem modo cauſant, quo ſignificant.

Confir. quia fieri Sacramentorum eſt ſucceſſivum, & materiale, effectus vero eſt quid ſpirituale; ergo non operantur in ſuo fieri, ſed in primo, & immediato facto eſſe; & ſic vera eſt 3. pars.

Objic. Qui habent contritionem cum voto baptiſmi, aut pœnitentiæ, recipiunt gratiam ſanctificantem; ergo in virtute operis baptiſmalis, ſeu ex opere operato; alioqui fruſtra eſſet illud votum, quia nihil operaretur. Ant. patet ex Concil. Trident. de baptiſmo, & de pœnitentia.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. quia illud votum facit ad majus meritum operantis; imò eſt conditio requiſita ad illud meritum complendum, quatenùs oſtendit fidem, & obedientiam ſubjecti, per quam magis placet Deo: ipſum etiam votum eſt opus operantis.

Objic. 2. Omne ens cauſat, quando eſt; ſed Sacramentum non eſt, niſi quando eſt in ſuo fieri ſucceſſivo; ergo tunc tantùm cauſat gratiam.

Reſp. diſt. ant. omnis cauſa phyſica, & cujus cauſalitas dependet à ſingulis partibus, conc. cauſa moralis, cujus cauſalitas dependet à toto ejus completo, neg. ant. Nam Sacramentum eſt cauſa moralis, & operatur in ratione ſigni; & cauſalitas ejus, ſicut & ſignificatio dependet indiviſibiliter à toto ejus completo; v. g. hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſi deſit ultima ſyllaba, non perfectè ſignificabit id, ad quod inſtituta ſunt à Chriſto; & per conſ. non cauſabunt exiſtentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus.

Objic. 3. Sacramenta cauſant pro tempore, quo ſignificant, & quo ſunt vera; ſed non ſunt vera, niſi pro tempore præſenti, quo fiunt, non autem quo perfecta ſunt, ſeu pro inſtanti extrinſeco terminante illorum perfectionem; ergo, &c. Prob. maj. Nam cauſant per modum ſignorum naturaliter ſignificantium; ſed ſignificant de præſenti, quo fiunt; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. & min. prob. quo ſignificant integrè, & perfectè, conc. quo ſignificant imperfectè, neg. maj. & min. Non enim integrum, & perfectum ſenſum habent; nec integrum conceptum pariunt verba, niſi poſt integram prolationem verborum uſque ad ultimam ſyllabam incluſivè, ut patet de forma conſecrationis.

Objic. 4. Si ſacramenta non cauſarent gratiam, niſi cùm primùm perfecta ſunt, ſeu in inſtanti extrinſeco, ſeu in 1. non eſſe, ſequeretur illum, qui moreretur in ipſo inſtanti ultimo intrinſeco baptiſmi, non recipere gratiam, & damnari; ſed conſ. eſt durum, & falſum; ergo baptiſmus non cauſat, cùm perfectus eſt, ſed cùm perficitur, ſcil. in ultimo inſtanti intrinſeco. Maj. patet, quia in illo primo inſtanti extrinſeco non eſſet ampliùs Sacramentum, nec puer viveret. Prob. min. Nam in illo inſtanti extrinſeco verè puer habe-

ret totum baptiſmum; ergo habere deberet gratiam, & ſalvari.

Reſp. 1. hanc calculationem Mathematicam, & ſpeculativam, & Metaphyſicam in practicis non multum attendi.

Reſp. 2. neg. min. & antec. prob. Nam in ultimo inſtanti intrinſeco prolationis formæ hæc non habet perfectum ſignificatum ſuum, ſed illud accipit; & in ſ quenti inſtanti, quod eſt extrinſecum Sacramento, puer non exiſtit; & ſic in illo non poteſt cauſare defectu perfectionis, nec in iſto defectu ſubjecti; ſicut in phyſicis ſi in ultimo inſtanti alterationis periret materia, non produceretur forma ſubſtantialis.

Conſtat ergo, quòd in contritione juſtificante ante baptiſmum, aut pœnitentiam concurrunt quidem hæc ſacramenta ad juſtificationem, quatenùs contritio debet includere deſiderium ea ſuſcipiendi, quando poterunt ſuſcipi, ut patet ex Concil. cit. & ut dicemus ſuo loco: ſed tunc non operantur ſacramentaliter, ut dictum eſt, nec habent effectum plenè: v. g. baptiſmus in voto non cauſat characterem, nec totius pœnæ remiſſionem, nec jus ad omnia auxilia, ut cauſant ſuſcepta realiter.

Colligis 2. quòd hæc cauſalitas in voto principaliter convenit Sacramentis neceſſariis, qualia ſunt baptiſmus, & pœnitentia pro habentibus peccatum poſt baptiſma commiſſum. De his ſolis loquitur Trident. & hoc ſaltem verum eſt quoad efficaciam contritionis juſtificantis. Nam de aliis etiam non dubito, quin ex eorum voto, & deſiderio creſcat meritum pœnitentiæ, ac fidei, & aliarum virtutum, v. g. ex deſiderio Euchariſtiæ; quod docent communiter directores animarum.

QUÆSTIO VI.

De effectu minùs principali ſacramentorum, ſeu de charactere, an, & quid ſit character.

CHaracter apud Latinos ſignificat figuram, ſeu notam, qua aliquid notatur, & diſtinguitur ab alio, vel ut elevetur, & dignificetur, ſicut monetæ pretium taxatur ex ſigillo principis; vel ut deſtine-

tur

tur alicui muneri; ſicut domeſtici ſolent ſinguli diverſas notas gerere, quibus diſtincta ſingulorum munia ſignificentur. Nomine autem *characteris ſacramentalis* intelligitur nota quædam ſpiritualis impreſſa divinitus animæ ſuſcipientis unum Sacramentum, v.g. baptiſmum, tum ut diſtinguatur a non baptizatis; tum ut ſignificetur ejus dignitas inde accepta, & ejus obligationes, & munia inde contracta. Quæritur ergo hic 1. an aliqua Sacramenta imprimant talem characterem. 2. an id proprium ſit ſolis Sacramentis novæ legis. & 3. quid ſit ille character, an forma aliqua phyſica, an moralis, an abſoluta, an relativa.

CONCLUSIO I.

B*Aptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem ſpiritualem, non autem alia ex novis, bene autem circumciſio inter antiqua*. Eſt de fide quoad 1. p. contra Lutheranos, & Calviniſtas, & alios, qui characterem ut figmentum rejiciunt.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui deſcribit characterem, *quoddam ſpirituale impreſſum a Deo ſuſcipienti ſacramentum non iterabile*: & licet ſuo tempore illius exiſtentia non eſſet definita, ut nunc eſt; nec putaret eam probari poſſe per rationem naturalem, neque ex creditis manifeſtis; tamen addit [2] ex SS. Canonibus cap. *Ad abolendam* de hæreticis: *Sentiendum eſt de ſacramentis Eccleſiæ, ſicut ſentit Romana Eccleſia, quæ videtur ſentire characterem imprimi in anima in baptiſmo*, &c.

Prob.2. ex Conc.Florent.in Decreto unionis,& Trident.[3] *Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, Baptiſmo ſc. Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt ſignum ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt, anathema ſit*. Item Innoc.III. [4] *Qui ficte accedit ad Baptiſmum, ſuſcipit Chriſtianitatis ſignum*, ſc. characterem.

Prob.3. ex Patribus, qui Baptiſmum vocant *ſignaculum ſanctum, & indelebile*: Ut Cyrillus Hieroſolymitanus, [5] & Baſilius: [6] *Niſi agnoſcat in ſe ſigna-*

[1] *d.6.q.9.B.n.3.* [2] *ibid. H.*
[3] *ſeſſ.7.c.9.* [4] *c.major.*
[5] *præfat.catech.* [6] *Hom.13.*

gnaculum Angelus, quomodo pro te pugnabit? . . . Quomodo dices, Dei ſum, ſigna Dei non oſtendens? &c. Et Gregor. Nazianz. [1] dicit, quod *Baptiſmus eſt ſigillum, quia conſervatio eſt, ac dominationis ſignificatio; ſignificat enim, cujus Domini poſſeſſio ſumus*. Et Chryſoſt [2] *Signati ſunt Iſraelitæ, ſed ſigno circumciſionis, ut pecora; nos ut filii in diem redemptionis*. Et Hieron. [3] *Deus imprimit animæ ſignaculum S. Spiritus*. Denique Auguſt. [4] dicit, *ovem errantem, & ad Chriſtianæ ſanitatis ſalutem venientem ab errore corrigi, a vulnere ſanari, characterem tamen dominicum in ea potius agnoſci, quam improbari*, &c Hæc, & ſimilia SS. Patrum loca pie ad hoc adducuntur; ſed, ut verum fatear cum Doctore, non adeo clara ſunt, quin patiantur alias explicationes, & maxime pro ipſomet baptiſmo, qui eſt ipſummet ſignaculum, aut ſignum, quod *non ſolum ovibus, ſed etiam lupis ſæpe infigitur*, (inquit idem Auguſt.) unde concludit Scotus, propter ſolam auctoritatem Eccleſiæ, quantum occurrit ad præſens, ponendum eſt characterem imprimi.

Prob. 4. ex beneplacito, & voluntate Dei: quia ſicut potuit aliter ſtatuere, ita & potuit velle, ut aliqua ſic notarent ſuſcipientes; ergo ita cum voluiſſe dicendum eſt, cum id Eccleſia dicat, quæ eſt ejus decretorum, & voluntatum, & veritatum depoſitaria in iis, quæ pertinent ad ſalutem ſubditis procurandam.

Prob. 2. p. 1. quia de illis tribus, & non de aliis habetur declaratio.

Prob. 2. quia in aliis ceſſat finis, propter quem imprimitur character. Nam inquit Doctor 1. *Character eſt forma aſſimilativa, in qua conveniunt habentes, & diſtinctiva iſtorum a non habentibus*. 2. *Eſt ſignum rememorativum ſacramenti ſuſcepti*. 3. *Et ſignum confirmativum Chriſto, cujus ſacramentum ſuſcipit*. 4. *notat obligationem, quam contrahit ſuſcipiens, ſc. ſervandi legem Chriſti*. *Denique deſignat officia in domo Dei, ut Ordo*; ſed iſti fines ceſſant in aliis; ergo, &c.

Confir. Nam ſi omnia imprimerent characterem, non eſſent iterabilia, ſicut non iterantur hæc tria: nam ſicut character non deletur, ſic fruſtra iterarentur illa, quæ imprimunt characterem.

Prob.

[1] *Orat.* 40. [2] *hom.* 2. *Epheſ.*
[3] *Epheſ.* 4. [4] 6. *de Bapt.* 1.

Prob. 3. p. Nam circumciſio in lege veteri præſtabat idem in parvulis, & aliis circumciſis, quod nunc baptiſmus; diſtinguebat familiam Dei ab exteris; & ſicut erat ſignum ejus externum, ita & animas notare debebat. Nam ſicut de Baptiſmo dicit Doct. (1) quòd *congruat receptos in familiam Chriſti diſtingui à non receptis per aliquid intrinſecum ſibi*; ita eſt de circumciſione, per quam infans recipiebatur in familiam Dei per gratiam adoptionis; ſicut etiam erat ſignum externum populi Dei, ex quo Chriſtus carnem erat aſſumpturus, ut ſuppono.

Objic. 1. Nulla neceſſitas, vel ratio ſuadet dari talem characterem; ergo &c. Prob. ant. vel eſſet neceſſarius ut diſpoſitio ad gratiam, aut ut ſignum diſtinctivum, aut rememorativum ſuſcepti Baptiſmi, aut Confirmationis, vel Ordinis; ſed neutra ratio valet; ergo, &c. Prob. min. 1. non ut diſpoſitio; tum quia alia ſacramenta cauſant gratiam ſine charactere; tum quia potiùs dicendum gratiam præcedere characterem, quàm è contra; ergo ille non eſt diſpoſitio gratiæ. 2. non ad diſtinctionem; quia illud ſignum eſt purè ſpirituale, nec agnoſcitur niſi à Deo, vel ab Angelis, & aliis beatis; ſed nec Deus, nec Angeli, aut beati egent tali ſigno ad diſcernendum; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & 1. min. Nam poteſt inſervire tum ad diſtinctionem, tum ad ornatum, & rememorationem, & alios fines aſſignatos. Et diſt. 2. min. non indigent ex neceſſitate, conc. ex Dei beneplacito, neg. min. Deus voluit animas per illa Sacramenta ſignari interiùs, non quòd abſolutè debeant ſic diſtingui, ſed id congruit, & ita illi placuit.

Inſt. Animæ noſtræ ſatis notantur, & diſtinguuntur per ipſam gratiam habitualem; ergo fruſtra fingitur aliud ſignaculum. Prob. ant. Nam illa eſt quædam participatio Dei naturæ, & ſimilitudinis; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. ob eandem rationem: ſufficit, quòd placuerit Deo pluribus ornamentis, & notis inſignire animas ſuſcipientium ſua Sacramenta.

Reſp. 2. neg. ant. Nam character perſeverat, & diſtinguit etiam abſente gratia.

Objic. 2. De ratione ſigni eſt, ut ſit ſenſibile, & magis

(1) *Ibid. B. 3.*

gis notum ſignificato ſuo; ſed character non eſt talis; ergo, &c. Prob. min. 1. eſt purè ſpiritualis. 2. non poteſt eſſe ſignum, niſi reſpectu Dei; ſed reſpectu Dei nihil poteſt notificare, quia videt omnia in ſeipſo, & ſimplici intuitu; ergo, &c.

Reſp. neg. abſolutè maj. quoad utramque par. tum quia non repugnat ſignum ſpirituale, quales ſunt locutiones Angelicæ; tum quia nulla cognitio repugnat Deo, niſi dicat imperfectionem; quòd autem Deus velit cognoſcere animas fidelium per aliqua ſigna, nihil imperfectionis eſt in ipſo, cùm id non faciat ex indigentia, ſed ex abundantia.

CONCLUSIO II.

Character eſt entitas realis poſitiva, & probabilius abſoluta, & de genere qualitatis primæ, vel ſecundæ ſpeciei. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quem temerè plures citant in contrarium, alii, quòd velit eſſe puram relationem, & quidem vel rationis, ut quidam dicunt, alii relationem, aut denominationem extrinſecus advenientem, alii relationem prædicamentalem, ut plures Scotiſtæ. Sic autem loquitur: *Poteſt dici, quòd ſicut non poteſt probari aliquam formam realem imprimi in ſuſceptione baptiſmi aliam à gratia, & virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem evidentem ex creditis manifeſtis, ita neque poteſt probari characterem, ſi ponatur forma realis, eſſe formam abſolutam realem, vel reſpectivam; quia utrumque poteſt ſalvari, ſc. quòd ſit forma reſpectiva, ut jam oſtenſum eſt; vel quòd ſit realis forma abſoluta, ſi ponatur, non poteſt evidenter improbari*; ergo Scotus docet characterem eſſe 1. quid reale poſitivum. 2. quòd ſit quid relativum, vel abſolutum, non autem relatio, nec ens rationis. 3. quòd magis inclinat pro forma reali abſoluta, ut tenent inſignes Scotiſtæ, ut Erinx, Maſtrius, Fraſſen, Durand. & alii, ut notat Scholiaſtes.

Prob. 2. p. de forma reali abſoluta: quia, inquit Doctor, (2) *non poſſunt aliter ſalvari ea, quæ de charactere dicuntur ab Eccleſia*; ergo dicendum, quòd ſit

[1] *d.6.q.10.L.n.3.* [2] *ibid.*

ſit forma realis abſoluta. Prob. ant. Nam ex Concil. Trident. (1) dicitur *ſignum ſpirituale & indelebile impreſſum in anima*: ſed hoc dici non poteſt de pura relatione rationis, neque etiam de pura relatione reali; ergo, &c. Prob. min. ens rationis non eſt quid impreſſum, & maximè à Deo, qui non facit entia rationis; nec etiam relationes reales dicuntur imprimi, ſed reſultare: nam ad relationes non datur motus; ergo.

Confir. ex eod. Nam de charactere dicunt Theologi, 1. quòd eſt *forma ſpiritualis impreſſa à Deo cuicumque ſuſcipienti ſacramentum non iterabile*. 2. quòd *ex inſtitutione divina efficaciter ſignificat gratiam illius ſacramenti*: & quòd *diſponat ad eam*... 3. quòd *ſit indelebilis, cùm non habeat cauſam demeritoriam corruptivam*. 4. quòd *ſit ſignum memorativum reſpectu ſuſceptionis Sacramenti, quæ præteriit*. 5. *ſignum configurativum, ideſt ſignans obligationem animæ ad Chriſtum*. 6. *forma aſſimilativa alteri ſuſcipienti Sacramentum, & diſtinctiva ab alio, qui non ſuſcipit*. Et addit: *Hæc omnia videntur rationabiliter concedenda de charactere, ſi ponatur forma realis abſoluta*, &c. *Licèt etiam ſalvari utcumque poſſint, ſi ponatur reſpectus realis*, &c. ergo probabilius eſt, characterem eſſe quid reale poſitivum, & abſolutum.

Prob. 2. Nam magis dignificatur characteris entitas, & Sacramenti efficacitas, ſi dicatur abſoluta; ergo ita dici debet; quia dignè loqui debemus de Sacramentis divinis, & eorum effectibus, quantùm fieri poteſt ſine contradictione, aut repugnantia. Prob. ant. Nam forma omnis abſoluta realis eſt perfectior relativa, ſaltem per ſe; quia relationes ſunt tenuiſſimæ entitates, & magis dependent à ſubjectis, & à fundamentis, & terminis, & maximè extrinſecùs advenientes, quæ magis ſunt accidentales, & pendent à conditionibus extrinſecis.

Prob. 3. Omnis relatio eſſet vel realis, vel rationis, vel intrinſecùs, vel extrinſecùs adveniens; ſed nihil horum dici poteſt de charactere; ergo, &c. Prob. min. 1. non rationis, ut patet ex dictis; ens enim rationis non dicitur imprimi, nec cauſari à Deo, nec diſtinguere unum realiter ab alio, nec aſſimilare unum al-

(1) *ſeſſ. 7. c. 9.*

teri, nec eſſe indelebile; ſed hæc dicuntur de charactere; ergo, &c. 2. non relatio realis intrinſecùs adveniens; quia non poteſt aſſignari ejus fundamentum, nec terminus exiſtens; & ſi haberet fundamentum reale proximum, iſtud potiùs diceretur eſſe entitas characteris; quod enim prius eſt in re, priùs conſtituit rem. 3. non extrinſecùs adveniens: nam ſicut iſta entitas diceretur reſultare in baptizato ex actione baptizantis, ita etiam ex actionibus, quibus conferuntur alia Sacramenta; & ſic omnia imprimerent characterem, quod eſt falſum, & contra adverſarios; ergo reſtat, ut ſit forma abſoluta.

Prob. 3. p. quòd ſit de genere qualitatis 1. aut 2. ſpeciei. Nam inquit Doctor: *Si ponatur accidens abſolutum, poteſt poni in 2. ſpecie qualitatis, & etiam poſſet poni in prima, nec alterum iſtorum poteſt evidenter improbari: ſi ad 1. habebit rationem habitus; ſi verò ad 2. habebit rationem potentiæ.*

Prob. 2. Nam potentia eſt ſpecies qualitatis apta ad eſſe principium alicujus operationis; ſed talis eſt character; ergo, &c. Prob. min. Nam character ex inſtitutione divina ordinatur ad reddendum capacem adminiſtrandi, aut recipiendi aliqua Sacramenta, & ad exercendos aliquos actus circa Dei cultum. Character baptiſmalis habilitat ad recipienda cætera Sacramenta, & eorum effectus: Confirmationis ad confitendam fidem; & Ordinis ad miniſterium Sacramentorum, & cultus divini; ergo, &c. Poteſt autem reduci ad 1. quatenùs eſt difficilè mobilis, ſicut habitus; & ſicut habitus eſt qualitas inclinans, & diſponens ad aliquos actus: *& talis ponitur character, tanquam primo, & remotiſſimè diſponens ad bonos actus*, inquit Doctor. (1)

Prob. 3. eadem pars: quia non poteſt aſſignari aliud prædicamentum, ſeu genus entis realis, ad quod rationabiliùs pertineat, quàm ad iſtam qualitatem; ergo, &c.

Dixi *probabiliùs abſoluta*; nam ita cenſet Doctor, (2) & plures Scotiſtæ inſignes, ut Cardinalis Brancatus, Faber, &c. & quidem extrinſecùs adveniens. Ratio eorum petitur ex ratione ſigni, quod eſt relativum; ſed character eſt ſignum; ergo, &c.

Objic.

(1) *B.n.16.* (2) *d.9.n.24.*

Objic. 1. cont. 1.par. Character ideò ponitur, quia conſtituit hominem in aliquo gradu Eccleſiæ; ſed ad hoc non debet eſſe quid reale poſitivum, ſaltem phyſicum; ergo character non eſt quid reale poſitivum phyſicum, ſed ad ſummum quid morale. Prob. min. Nam in politia humana gradus, dignitates, & officia nihil tale ponunt in hominibus; nec in politia Eccleſiaſtica Prælaturæ, Clericatus, & ſimilia munera nihil poſitivum phyſicum producunt, ſed puras denominationes extrinſecas morales remanentes ex voluntaria electione, vel inſtitutione; ergo &c.

Reſp.neg.min.& conſ. prob. Nam ex naturalibus, & humanis non benè arguitur ad ſupernaturalia, & divina, qualia ſunt Sacramenta, de iſtis debemus ita ſentire ob revelationes divinas per Eccleſiam.

Inſt. Eccleſia nihil definit quoad hoc, niſi quòd character ſit ſignum *quoddam ſpirituale in anima impreſſum*: ſed hoc verificatur de ente morali abſque entitate phyſica poſitiva: ergo hæc non eſt aſſerenda.

Reſp.neg.min. Nam quando verba Scripturæ, aut Conciliorum poſſunt benè, & rationabiliter ſumi ad litteram, & ut ſonant, ita debent ſumi. Concilia autem non poſſunt rationabiliter intelligi de entitate morali, cùm dicunt de charactere, quòd ſit ſignum impreſſum, & ſpirituale, & indelebile. Hæc propriè non dicuntur, niſi de entibus realibus, & poſitivis, & phyſicis, imò & abſolutis, ut patet ex uſu communi talium vocum.

Inſt. 2. Homo poſt peccatum actuale non retractatum tam verè dicitur habere peccatum, & eſſe peccator; & Calix poſt conſecrationem tam verè benedictus, & diſpoſitus ad ſacra peragẽda inſtrumentaliter quàm homo baptizatus, vel ordinatus ad ullum miniſterium; ſed in illis non dicitur impreſſus per peccatũ vel benedictionem ullus character, ſeu qualitas poſitiva phyſica; ergo neque in baptizatis, vel ordinatis.

Reſp. neg. maj. Nam in ſenſu Eccleſię homo dicitur notatus per hæc ſacramenta ſigno ſpirituali, & reali; & quando videtur loqui eodem modo de illis aliis rebus, aliter ſe explicat: non dicit, quòd quidquam imprimatur in anima per peccatum, nec in Calice per conſecrationem, &c. Secluſa autem traditione Eccleſiæ, poſſet fortè eodem modo concludi de utriſque.

Objic.2. Character eſt ſignum ad placitum; ergo eſt quid morale, non phyſicum: nam per inſtitutionem, ſeu volitionem inſtituens nihil phyſicum ponit in tali ſigno.

Reſp. diſt. conſ. eſt morale præter entitatem phyſicam, conc. nudè, & ſimpliciter, neg. ant. Nam primò eſt quædam qualitas phyſica impreſſa in anima, quam Deus voluit eſſe ſignum militiæ chriſtianæ, &c.

Objic. 1. contra 2.p. Character eſt ſignum; ſed ratio ſigni conſiſtit in relatione; ergo character eſt relatio. Prob. min. nam conſiſtit in reſpectu ſigni ad ſignificatum.

Reſp. diſt. maj. ſignum fundamentaliter, ſeu materialiter, conc. formaliter, neg. maj. Ad minorem autem dico, quòd ratio formalis ſigni conſiſtit in illa relatione; ſed fundamentaliter eſt entitas realis abſoluta fundans illam relationem; ſicut cauſa fundamentaliter eſt entitas abſoluta, ſed formaliter ſub ratione cauſæ dicit relationem ad effectum.

Objic.2. Per characterem baptiſmi v. gr. conſtituimur, & notamur ut ſervi Chriſti; ſed hæc nota conſiſtit in pura relatione ad Dominum; ergo hic character eſt pura relatio. Prob. min. Nam in aliis ſervis nihil aliud ponitur.

Reſp. neg. min. Nam nota illa eſt in ſe quid abſolutum importans quidem talem relationem; ſed hæc fundatur in illa entitate; ſicut in humanis ſolent ſervi, & milites notari aliquo ſigno abſoluto, in quo fundatur illa relatio, & per quod illa cognoſcitur.

Inſt. Forma abſoluta eſt delebilis; ſed character eſt indelebilis; ergo non eſt forma abſoluta.

Reſp. diſt. min. eſt indelebilis de via ordinaria, & ex lege poſita, conc. abſolutè, & ſimpliciter, neg. min. Nam ſicut Deus illum liberè imprimit, ita liberè, & de potentia abſoluta poſſet eum delere; ſed non facit, quia ita illum inſtituit; de ſe autem non eſt poſitivè delebilis, quia caret contrario, ut docet Scotus.

Objic.3. Omnis qualitas ſuſcipit magis, & minus, & habet effectum realem; ſed character non ita eſt; ergo non eſt qualitas. Prob. min. Nam unus non dicitur magis Chriſtianus alio, nec dici poteſt, qualis ſit ille effectus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſuſcipit magis, & minus, quantum

eſt

eſt de ſe, conc. de facto, neg. maj. & conſ. Character in ratione qualitatis eſt intenſibilis, & remiſſibilis; ſed de facto non intenditur, nec remittitur; quia cùm augmentum ejus pendeat à Deo, ſicut & creatio ejus, ſic de facto non intenditur, nec remittitur. Multi negant abſolutè maj. quia putant non repugnare qualitatem indiviſibilem, quæ non ſuſcipiat magis, & minus. Non video etiam repugnare characterem intenſiorem, aut remiſſiorem. Ad 2. par. min. neg. ant. Nam effectus characteris eſt determinare intellectum ad diſtinguendam animam baptizatam à non baptizata.

Objic. 4 Omnia, quæ docet Eccleſia de charactere, ſalvantur de relatione; ergo fruſtra ponitur qualitas abſoluta.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt aliquo modo ſalventur de relatione, non tamen adeò propriè, & ad litteram; & ideò ſatis eſt dicere illum eſſe quid abſolutum.

Objic. contra 3. p. Character eſt entitas ſupernaturalis; ergo non eſt qualitas 2. ſpeciei; quia hæc potentia eſt naturalis. Idem de prima ſpecie, ſeu habitu.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam poteſt dari potentia ſupernaturalis, ſicut & habitus; & pertinebunt ad ſpecies ſimiles qualitatum naturalium.

CONCLUSIO III.

Character eſt indelebilis de facto, & de via ordinaria, & delebilis de potentia abſoluta, eſt ſignum ad placitum, non autem naturaliter ſignificans.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto cit. [1] quia, inquit, *non habet cauſam demeritoriam corruptivam.*

Prob. 2. Nam quidquid corrumpitur, id fit vel ex defectu ſubjecti, vel defectu conſervantis, vel ex actione contrarii; ſed nihil horum dici poteſt de charactere; ergo, &c. Prob. min. non 1. nam ſubjectum, ſc. anima eſt immortalis: non 2. nam Deus eſt, qui conſervat, & vult conſervare: non 3. quia character non habet contrarium nec phyſicum, nec morale; nam ſicut datur ſine merito, ita nec tollitur ex demerito; ideo manet in peccatoribus, & damnatis.

Prob. 2. p. illum ſc. poſſe deleri de potentia abſoluta. Nam ſicut Deus liberè eum conſervat, ita poſſet

H 6 ceſ-

[1] *Ibid. L. 13.*

ceſſare a conſervatione illius, & annihilare æquè, ac ipſam animam.

Prob. 3. p. ex Scoto, [1] quòd ſc. ſignificat ad placitum. Nam inquit Scotus: *Relatio ſigni* (quæ eſt in charactere) *non eſt niſi relatio rationis, loquendo de ſigno ad placitum inſtituto, cujuſmodi eſt character reſpectu ſacramenti ſuſcepti*. Nomine autem *relationis rationis*, ſeu *entis rationis* non intelligit relationem, vel ens fictum, ut eſt Chimæra, ſed ens morale dependens ab inſtitutione, & voluntate inſtituentis.

Prob. 2. Nam character baptiſmi ſignificat ſervitutem, ſeu militiam Chriſti, obligationem ad conformandum ſe illi, & habilitatem ad alia Sacramenta; ſed hæc non poteſt ſignificare naturaliter; ergo, &c. Prob. min. ut ſignificaret naturaliter, deberet eſſe vel eorum cauſa, vel effectus, vel imago, ſeu ſpecies impreſſa, vel expreſſa: ſed nihil horum eſt: ergo, &c. Prob. min. non cauſa, vel effectus: nam nihil horum efficit, nec efficitur ab eis, ut patet de infantibus: non imago, vel ſpecies: nam 1. id patet de pueris, in quibus non eſt talis cognitio, nec conformatio. 2. non apparet, quomodo illa entitas ſpiritualis poſſet ex ſe repræſentare Chriſti militiam, & ſervitutem, & conformitatem: ergo ideò ſolum hæc ſignificat, quia Deus voluit, ut ad illius entitatis intuitum anima ſentiat ſe addictam ſervituti, & militiæ Chriſti, ac imitationi ejus, juxta illud, *Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*.

Objic. 1. contra 3. p. Qualitas illa, quæ eſt character, non habet aliud munus, quàm illam ſignificationem: ergo id facit naturaliter. Prob. conſ. alioqui deberet illi aſſignari aliquod aliud munus naturale: nec benè explicarent ejus naturam Theologi per munus ſigni; quandoquidem non conveniret illi niſi extrinſecè, & accidentariè: ſed utrumque falſum eſt: ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. quoad 1. p. Nam licet Deus nollet creare illam qualitatem in alios fines, adhuc non ſequitur, quòd ſignificatet naturaliter, & non ex inſtitutione divina. Falſum etiam ſupponit 2. p. Nam explicatur etiam aliter natura characteris, cum dicitur entitas indelebilis, & impreſſa animæ. Sed etiam ſi non aliter explicaretur, adhuc malè negare-

[1] *ibid. D. n. 5.*

garetur ſignificare ad placitum, quia explicantur exiguæ entitates, & ſpirituales per extrinſeca captu faciliora, qualis eſt ratio ſigni.

Inſt. 1. Si aliud munus non haberet præter ſignificare ad placitum, fruſtra diceretur qualitas ſupernaturalis; nam ſufficeret naturalis elevata ad talem ſignificationem; ſed ab omnibus dicitur eſſe ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo ſignificat naturaliter.

Reſp. neg. maj. Nam licet potuiſſet Deus uti re naturali ad hæc ſignificanda, congruentius utitur ſupernatuali, & præcipue propter indelebilitatem.

Inſt. Non repugnat qualitas ſic naturaliter ſignificans; ergo talis eſt character; nam id magis congruit ejus excellentiæ, & dignitati, & melius ſalvat veritatem locutionis Patrum de illo.

Reſp. neg. ant. Nam ut ſignificaret naturaliter, deberet habere naturalem connexionem cum ſervitute, & militia, & conformitate Chriſti, ut cauſa eorum, aut effectus, aut ſpecies eorum expreſſa, quod non videtur poſſibile; & maxime, quia hæc connexionem habent cum actibus liberis voluntatis Dei, ſine qua hæc neque fiunt, neque ſignificantur.

Quæres, *qualis ſit illa potentia, ſeu poteſtas characteriſtica.*

Reſp. 1. non eſſe niſi poteſtatem miniſterialem; quia per characterem recipiens illa Sacramenta deſignatur capax miniſtrandi, aut recipiendi aliqua Sacramenta: v.g. character Ordinis deſignat hominem miniſtrum Dei, & Chriſti ad miniſtranda ejus nomine alia Sacramenta; & character baptiſmalis deſignat hominem capacem recipiendi alia Sacramenta; & ideo dicitur poteſtas paſſiva, ſicut alia dicitur activa.

Reſp. 2. illam non eſſe phyſicam, ſed moralem; quia quoad phyſicam nihil poteſt agere, aut recipere baptizatus, quod non poſſit agere, aut recip ere non baptizatus, ſc. phyſice loquendo: igitur eſt poteſtas moralis, quatenus baptizatus poteſt recipere valide alia Sacramenta ex vi characteris baptiſmalis; & ordinatus, ſeu ſacerdos poteſt valide miniſtrare aliqua Sacramēta, v.g. abſolutionē a peccatis, ex eadē virtute, & poteſtate, non autem alius quivis non ordinatus; ergo ſignum eſt, quod ad hæc character non influit phyſice, ſed moraliter tantum, ſc. ex ordinatione divina.

QUÆ-

QUÆSTIO VII.

De ſubjecto materiali, & formali characteris.

CErtum eſt, characterem ſacramentalem recipi in anima; id enim expreſsè docet Concil. cit. ſed quæritur de ſubjecto formali, & immediato, & proximo, an ſit immediatè in ipſa ejus eſſentia, an in aliqua ejus facultate, ſc. in intellectu, aut voluntate, aut in utraque potentia ſimul.

CONCLUSIO.

CHaracter ſacramentalis ſubjectatur immediate in voluntate.

Prob. 1. ex Scoto. (1] *Supponendo, quod dictum eſt de gratia, quod eſt idem cum charitate; & per conſequens eſt primo in potentia, ſc. in voluntate*: &c. quod probat congruentiis valdè rationabilibus.

Prob. 2. Nam diſpoſitio, & forma debent eſſe in eodem ſubjecto immediato; ſed character eſt diſpoſitio quædam ad gratiam, & hæc ponitur immediatè in voluntate; ergo & character. Min. quoad 1. p. patet ex dictis ſupra; & id aſſerit Doctor cit. (2) *Character ſi ponatur in eſſe convenienter ponitur diſpoſitio ad gratiam ſacramentalem*: quoad 2. verò etiam patet ex dictis de gratia.

Prob. 3. ex eodem. Nam ſignum obligationis animæ debet poni in eadem facultate, cui immediatè incumbit obligatio; ſed obligatio, quam ſignificat character, incumbit immediatè voluntati; ergo & character ipſe. Prob. min. Nam character ſignificat obligationem animæ ad ſerviendum Deo, militandum Chriſto, & illi ſe conformandum, ut dictum eſt; ſed hæc incumbunt voluntati immediatè, & formaliter; ergo, &c. Prob. min. Nam intellectus non eſt capax præcepti, vel obligationis; quia non eſt potentia electiva, ſed naturalis, licet ipſe debeat proponere obligationem, & præceptum voluntati, ut conditio applicans objectum ad potentiam: denique obedientia eſt formaliter in voluntate, & actus ejus; ergo, &c.

Objic.

[1] *ibid. q.* 11. *B.* 4. [2] *ibid.*

Objic. 1. Finis characteris eſt cultus, & famulatus exhibendus Deo, maxime per fidem; ſed. fides eſt immediate in intellectu; ergo & character.

Reſp. diſt. maj. per actus fidei imperatos, conc. per elicitos præciſe, & ſolos, neg. maj. & conſ. Unde ſicut character obligat ad militandum Deo per actus fidei, ſic eſt primo, & immediate in voluntate, ut illos imperet.

Inſt. Fides in intellectu eſt fundamentum totius religionis in Deum; ſed character eſt primum fundamentum, & principium actuum ejuſdem religionis; ergo ſicut fides illa eſt primo, & immediate in intellectu, ita & character.

Reſp. neg. conſ. & parit. Nam fides eſt fundamentum & in intellectu, & in ordine ad actus elicitos, aut eliciendos; character autem oſtendit obligationem ad illos actus volendos, & eliciendos ex imperio voluntatis.

Objic. 1. ex Patribus: *Character eſt quoddam lumen divinum illuminans eos Chriſto*, ait Dionyſ. ſed lumen, & configuratio non pertinent ad voluntatem, ſed ad intellectum; ergo & character.

Reſp. diſt. maj. dicitur lumen metaphorice, & configuratio cauſaliter, conc. formaliter, & proprie, neg. maj. & conſ. Nam character dicitur lumen, quatenus facit diſcernere baptizatos, vel ordinatos a non baptizatis, nec ordinatis; & configuratio, quatenus monet baptizatos obligationis contractæ per Sacramentum ad conformandum ſe Chriſto. Dici etiam poſſet configuratio quatenus eſt figura, ſeu nota, & ſignum ſpirituale impreſſum in anima; & ſic non eſt opus intellectus, nec in intellectu, ſed a manu Dei effective imprimente illum in voluntate, ut moveatur ad ſatisfaciendum obligationibus, quas illi imponit, aut ſignificat.

Objic. 2. Nihil ponitur in voluntate, niſi ut inclinet eam ad bonum, aut malum; ſed character neutrum facit, ſed relinquit animam in indifferentia ad utrumque; ergo non eſt in voluntate.

Reſp. neg. min. totam: quia character ponitur, ut determinet animam ad fidem, & cultum Dei, ad recipienda alia Sacramenta, & obeunda Deo alia officia Chriſtiana; & ſic ſpectat ad voluntatem.

Objic.

Objic. 3. Character ponitur, ut moveat, & dirigat potentias animæ ad munia chriſtiana, vel ſacerdotalia implenda; ſed illa directio ſpectat ad intellectum; ergo & character. Prob. min. Nam illa directio, & motio eſt quædam intellectio practica.

Reſp. neg. min. & antec. Nam munus intellectus eſt quidem illuminare, ſed non movere, nec imperare; hoc ad ſolam voluntatem ſpectat, ut diximus alias.

Objic. 4. Character non eſt principium activum, ſed nudum ſignum: ergo non ponitur in potentiis, ſed in animæ ſubſtantia. Ant. patet ex eorum ſententia, qui volunt eum eſſe puram relationem.

Reſp. neg. ant. Nam apud nos eſt qualitas abſoluta pertinens ad primam, aut ſecundam ſpeciem per modum habitus, aut potentiæ, quæ ſunt qualitates activæ.

Inſt. Character baptiſmi eſt potius potentia paſſiva, quam activa: ergo, &c. Prob. ant. Nam ſignificat jus ad recipienda alia Sacramenta: character Confirmationis notat obligationes ſuſtinendæ fidei contra hoſtes ejus, & ſic non ad actionem, ſed ad tolerantiam: character Ordinis jus ad recipienda auxilia neceſſaria pro adminiſtratione Sacramentorum; ſed ad hæc voluntas nihil agit; ergo non in voluntate, ſed in animæ ſubſtantia eſt character.

Reſp. neg. ant. & min. Nam ad quid illa auxilia, & jura, & obligationes, niſi ut agamus conformiter ad illa? Et ſic debent illi characteres eſſe in voluntate, cujus eſt ſic agere, aut illas actiones imperare.

DISPUTATIO IV.

De Sacramentalibus, & Cæremoniis.

POſtquam de Sacramentis in genere diſſeruimus, reſtant pauca de ſacramentalibus addenda, & de illorum cæremoniis, quæ illa antecedunt, vel comitantur, vel ſequuntur.

CON-

QUÆSTIO I.

An, & quid, & a quo ſint Sacramentalia.

PEr Sacramentalia large, & improprie intelligi poteſt quidquid pertinet ad ſacramenta quomodocumque; at proprie intelliguntur ritus, & cæremoniæ aliquæ ſenſibiles ab Eccleſia inſtitutæ, habentes analogiam cum ſacramentis propter effectus aliquos ſpirituales, ad quos ſunt inſtitutæ, & de his hic agimus.

De horum ſacramentalium exiſtentia conveniunt Catholici omnes: & inter illa numerari ſolent 1. *Orationes*, maxime *Oratio Dominicalis*. 2. *Unctiones*, quæ adhibentur extra Sacramenta Confirmationis, & Extremæ unctionis, v. g. in conſecratione Epiſcoporum, vel Abbatum, aut Regum. 3. *Comeſtio* panis benedicti, quæ olim dabatur iis, qui non ſumebant S. Euchariſtiam; & nunc in Eccleſiis Parochialibus adhuc frequentatur, ſicut & apud Græcos. 4. *Confeſſio*, non quidem ſecreta, quæ pertinet ad ſacramentum, ſed publica, qualis fit in principio Miſſæ, & in aliquibus horis canonicis. 5. *Eleemoſyna*, quæ eſt opus valde pium. 6. *Benedictio*, ſc. ſacerdotalis, vel Abbatialis, aut Epiſcopalis. 7. addunt aliqui *tunſiones pectoris*, quæ fiunt in ſignum pœnitentiæ. 8. *Aſperſiones* aquæ benedictæ. 9. *Actus* omnes externi pœnitentiæ. 10. *Actus* omnes ſenſibiles Religionis, ut *genuflexiones*, *mortificationes*, & *opera miſericordiæ*. Sex priores ſpecies ſacramentalium hoc verſu continentur.

Orans, tinctus, edens, confeſſus, dans, benedicens.

De his late agit Cardinalis Noſter Brancatus Tom. de Pœnitentia diſp. 15. art. 12. an. 326.

CONCLUSIO.

DAntur in Eccleſia hujuſmodi ſacramentalia, quibus remittuntur peccata venialia ex opere operantis in homine juſto. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quod *peccata venialia delentur totaliter quantum ad pœnam; quandoque ſine opere*

[1] 4.d.27.R.15.

opere aliquo ſpeciali, ut per ferventem actum contemplationis, &c. Et alibi dicit, *ea deleri poſſe per aliquem actum Deo magis acceptum, quam peccatum veniale diſpliceat*, &c.

Prob. 2. ex traditione, & communi uſu Eccleſiæ, quæ talibus ſignis, & rebus utitur, & ad eorum praxim invitat fideles. Nec enim id faceret, niſi eorum utilitatem noviſſet, aut illa inſtituendi facultatem haberet a Deo.

Prob. 3. ſpecialiter de ſingulis. 1. *de Oratione*: nam dicitur, [1] *Orationes juſtorum exaudiet*. Et, [2] *Qui diligit Deum, poſt orationem audietur*; ſc. promittitur orantibus, quod petitur. Item Chriſtus D. [3] *Petite, & accipietis*. Et, [4] *De omni re, quamcumque petierint, fiet illis*, &c. Et de Oratione Dominica dicit Auguſtinus in Canone: [5] *De quotidianis brevioribus, levibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, oratio fidelium ſatisfacit: eorum eſt enim dicere, Pater noſter*, &c. Delet ergo hæc oratio minima, & quotidiana peccata.

2. De *Unctione*, ſeu *tinctione* ratio ſuadet, quod non adhibetur fruſtra ab Eccleſia in conſecrationibus Epiſcoporum, Abbatum, & Sacerdotum, & aliorum; ergo per illam confertur aliquis gradus gratiæ, & remittuntur venialia. Ad hoc citantur aliqui Canones, ſed mihi non videntur ſatis aperte favere.

3. Idem eſt de panis *benedicti ſumptione*: eſt enim actus religioſus æque, ac quivis alius; & in ejus benedictione orat Eccleſia, *ut omnes ex eo guſtantes inde corporis, & animæ ſanitatem percipiant*.

4. De *Confeſſione* generali, & publica patet, quod ſit actus religioſiſſimus, & magnæ humiliationis, per quam Chriſtianus ſe agnoſcit peccatorē coram Deo, ſanctis, & hominibus, & de peccatis veniam petit; & hanc inſtituit, & approbat Eccleſia ad finem obtinendæ veniæ de peccatis quotidianis.

5 Ob eandem rationem ponitur *Eleemoſyna* inter ſacramentalia, quia eſt opus maxime gratum Deo: & de illa dicitur, quod *peccata redimat*, & quod *ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguat peccatum*.

6. Idem eſt de *Benedictione*, tum ex parte ſubditi, qui

[1] *Prov*. 15. [2] *Eccl*. 3. [3] *Matth*. 7.
[4] & 18. [5] *diſt*. 30. 20.

qui humiliatur coram Prelato ſuo, Epiſcopo, vel Sacerdote; tum ex parte iſtorum, qui benedictionibus ſuis invocant Deum ſuper ſubditos, & ab eo impetrant miſericordiam. Potuit autem Deus concedere Prælatis, ut quibus benedicerent, benedictionem & ipſe, atque indulgentiam largiatur.

7. *Tunſio pectoris* eſt actus externus pœnitentiæ oſtendens internum dolorem de peccatis, & veniæ petitionem: Deus vero utroque actu ſumme delectatur, & gratias largitur.

8. Denique *aſperſio aquæ luſtralis* ſuam ſumit efficaciam ab eadem inſtitutione, & benedictione, de qua dixit Alexander I. in Decret. [1] *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur*: Et Eccleſia in ejus benedictione orat, *ut quidquid in domibus, vel in locis fidelium hæc unda reſperſerit, careat omni immunditia; liberetur à noxa*, &c.

Ex his ergo rationibus, & teſtimoniis, & traditione, ac uſu conſtat, quod in Eccleſia ſunt plura ſacramentalia, ideſt opera, & ſigna ſenſibilia, quibus ex facultate ſibi a Deo conceſſa alligavit aliquam efficaciam, qua peccata leviora deleant ſive quoad pœnam, ſive quoad culpam. Et dicuntur *ſacramentalia*, quia ſunt inſtituta inſtar ſacramentorum, ſed longè minoris dignitatis, & efficaciæ.

Id etiam colligi poteſt ex doctrina Concilii Trid. [2] dicentis, non eſſe neceſſariam confeſſionem venialium, *ſed hæc taceri poſſe citra culpam, quia multis aliis remediis expiari poſſunt*; hæc autem remedia videntur eſſe præcipue hæc ſacramentalia, ſeu opera, quæ tantopere commendat.

Quod autem hanc expiationem efficiant non tam *ex opere operato*, quam *operantis*, videtur probabilius: quia nullibi ſatis conſtat, Deum illa inſtituiſſe ad hanc efficientiam, ſaltem per ſe immediate: alioqui eſſent vere ſacramenta: haberent enim vim ſacramentalem; eiſque conveniret definitio ſacramenti, ut patet.

Confir. Nam in omnium iſtorum uſu requiritur ex parte ſuſcipientis aliquis bonus motus interior, intuitu cujus gratia obtinetur per modum meriti, vel impetra-

[1] *c. Aquam de conſe. c. 20.* [2] *ſeſſ. 14. c. 5.*

petrationis. Aliunde vero videtur aliquam etiam eis efficaciam tribuendam eſſe ex parte ipſorum operum; alioqui non dicerentur magis ſacramentalia, quam quivis alii actus exteriores virtutum, maxime Theologicarum; ergo cum iſta opera ſpecialiter dicantur ſacramentalia, debent habere aliquam ſpecialem ſanctitatem, & efficaciam præ aliis operibus virtutum, ita ut gratiam aliquam remiſſivam operentur, quando ſunt in ſtatu gratiæ, & cum intentione, ut deleant venialia: ſaltem hoc habent ex meritis Eccleſiæ, quæ ad hoc illa conſecrat, petens a Deo, ut qui ea ſibi applicant, veniam aliquam obtineant: ſic Eccleſia, & fideles tales gratias per illa opera obtinent per viam impetrationis. Nec video hanc difficultatem aliter poſſe ſalvari.

Adde, quod hæc eadem ſacramentalia adhibentur ad alia bona impetranda, v. g. ad repellendos dæmones, levanda maleficia, vel impedienda, contra tempeſtates, & temporum injurias, contra ſterilitatem, contra infeſtationes animalium, aeris intemperiem, & infectionem, & peſtilentias, &c. ut patet ex rerum iſtarum benedictionibus, ritibus, & orationibus conſecratoriis.

Poſſunt autem hæc dici aliquo modo ſacramenta, ſc. large, & improprie, quatenus ſunt ſigna ſenſibilia ex parte Dei per Eccleſiam inſtituta; & ſignificant cum aliqua efficacia effectus ſpirituales: ſed longe differunt a ſacramentis, quæ a Deo per Chriſtum immediate ſunt inſtituta ad ſalutem hominis viatoris, & operativa gratiæ ex opere operato.

Patet ergo, quod ſacramentalia ſunt inſtituta immediate ab Eccleſia per facultatem ſibi à Chriſto datam; non autem ab ipſo Chriſto immediate, ut vera ſacramenta.

QUÆSTIO II.

De Sacris Cæremoniis.

CÆremoniæ aliquo modo ſpectant ad ſacramenta: nam adhibentur ut quædam præparatoria, ut cum majori reverentia ſuſcipiantur; vel comitantia, ut rite adminiſtretur; vel ſubſequentia ad uberio-

rem

rem gratiam: & deſcribi poſſunt, *Circumſtantiæ religioſæ ad decentem ſacramenti adminiſtrationem inſtitutæ*.

Quædam ſunt *intrinſeca*, & *ſubſtantiales*, & a ſacramentis ipſis inſeparabiles; & ſunt ipſamet ſigna ſenſibilia, quæ dicimus ſacramenta: quædam *extrinſeca*, quas mox deſcripſimus; & de his diſputamus cum hæreticis, qui eas rejiciunt, velut *humanas inventiones*, *& ſuperſtitioſas*.

CONCLUSIO I.

Licitus, *& utilis eſt cæremoniarum ſacramentalium uſus*, *eaſque potuit Eccleſia inſtituere*. Eſt de fide contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scot. [1] qui agnoſcit *aliquas cæremonias, quibus ſe vult Deus coli ſub præcepto*. Et in Reportatis dicit, [3] quod *cæremonialia Judæorum fuerunt de jure poſitivo tantum ... & etiam multæ noſtræ obſervationes, & oblationes, & ſacrificia*. Et alibi dixerat, quod obſervare cæremonias etiam Judaicas non eſt judaizare, ſi obſerventur, *ut conſona rectæ rationi, & ſtatutæ auctoritate Evangelii, & Eccleſiæ*; ergo agnoſcit cæremonias licitas, & inſtitutas ab Eccleſia.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [3] *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitos aut contemni, aut mutari, vel omitti poſſe pro libito, anathema ſit*. Et confirmari poteſt ex Script. Nam Apoſtolus [4] præcipit, *Omnia honeſte, & ſecundum ordinem fiant*, ſc. ſecundum cæremonias, & ritus debitos: nam aliter non fiunt honeſte, nec ſecundum ordinem.

Prob. 1. ex traditione, & praxi perpetua Eccleſiæ, etiam ab ipſis Apoſtolis. Nam ipſi Apoſtoli, & eorum ſucceſſores Epiſcopi, & Pontifices varios ritus, & cæremonias diſpoſuerunt, quibus majori cum reverentia, & devotione adminiſtrarentur, & reciperentur ſacramenta, & celebrarentur divina: ergo licitus eſt, ac utilis cæremoniarum uſus, & inſtitutio. Prob. ant. ex eodem Apoſtolo. Nam, ut notat Auguſt. [4] circa uſum Euchariſtiæ aliqua tunc præſcribit, & alia ſibi reſer-

[1] 1. *d.* 17. *X.* 30. [2] *Ibid. n.* 4. [3] *ſeſſ.* 7. *can.* 14.
[4] *Cor.* 14. [5] *Ibid. c.* 11. *ſp.* 118.

reſervat diſponenda, cum venerit. *Cætera, cum venero, diſponam. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in Epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat Eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe, quod nulla morum diverſitate variatur*; ergo Paulus auctoritate Apoſtolica ordinavit aliquos ritus circa uſum Euchariſtiæ. Tales etiam, & alios circa idem inſtitutos memorat Juſtinus Martyr: alios pro baptiſmo Cyrillus Jeroſol. &c.

Confir. Nam multas a primis ſæculis habemus cæremonias, quæ non conſtant ex Scriptura, ſed ex pura traditione creduntur inſtitutæ ab ipſo Chriſto, & ab Apoſtolis; ut chriſmatis benedictio, ſumptio Euchariſtiæ a jejunis, aquæ mixtio in calice, ſigna crucis, & alia ab Eccleſia, ut de celebratione Paſchæ aliter, quam a Judæis, de die Dominico loco ſabbati celebrando, &c. Denique regula eſt Auguſtini, [1] *Ut qui ritus non ſunt contra fidem, aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque inſtitui videmus, vel inſtitutos cognoſcimus, laudando, & imitando ſectemur*.

Certe utiles ſunt 1. ad majorem cultum, & venerationem ſacramentorum. Nam cum iſtorum ſubſtantia in paucis verbis, & exiguis rebus conſiſtat, nec eorum virtus, & effectus cadant ſub ſenſum, non adeo æſtimarentur, niſi magnificæ cæremoniæ in iis celebrandis adhiberentur. 2. ad excitandam in cordibus fidelium majorem fidem, ac devotionem; quia per illas cæremonias magis explicatur, & commendatur eorum virtus: & inde 3. augetur eorum efficacia, & majori cum fructu recipiuntur, cum proportione majori illius reverentiæ, & devotionis. Si Sacramentum Euchariſtiæ conficeretur, aut miniſtraretur nude, & ſine ſolemnitate, & ſine veſtibus ſacris, & aliis miſſæ ritibus, vileſceret in animis fidelium, & refrigeſceret devotio. Idem eſt de aliis.

Prob. denique. Nam in his cæremoniis nihil eſt indecens, aut malum; ſed potius iis excitantur fideles ad majorem reverentiam in Deum, & Sacramenta; ergo licitæ, & utiles ſunt.

Prob. 2. p. tum ex Scriptura, dicente Paulo, *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores my-*

[1] *Ep.* 119

myſteriorum Dei. Nam ad miniſtros, & diſpenſatores pertinet determinare modos, & ritus diſpenſandi Sacramenta, ſalva eorum ſubſtantia, & in his, quæ Chriſtus non determinavit, prout ſcilicet illi modi, & ritus conducunt ad majorem gloriam Dei Auctoris eorum, & ad utilitatem ſubditorum; ſed ad utrunque valent cæremoniæ; ergo hanc poteſtatem dedit Deus Eccleſiæ ſuæ, cum illi commiſit Sacramentorum, ac Myſteriorum ſuorum diſpenſationem.

Confir. ex Concilio Tridentino, [1] quod declarat, *Hanc poteſtatem perpetuo in Eccleſia fuiſſe, ut in ſacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum ſacramentorum venerationi pro temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret*.

Objic. 1. cum hæreticis. Deus præcipit obſervanda, & prohibet quidquam illis addere; [2] *Hoc obſervabis, nec addes, aut quidquam detrahes*; ſed Deus non præcipit illas cæremonias; ergo non debent addi ſacramentis.

Reſp. diſt. maj. Addere heterogenea, ſeu aliena, quæ diſtrahant a ſignificatione, & fide, ad quam inſtituta ſunt, conc. alia, quæ in eundem finem tendant, & cultum Dei augeant, neg. maj. & conſ. Nam cæremoniæ non diſtrahunt mentes fidelium a fide, & intelligentiæ myſteriorum, ſed juvant; alioqui non deberemus legere, nec credere aliis libris ſacris *Levitici*, *Numerorum*, *Judicum*, *Prophetarum*, & aliis, qui ſucceſſive ſcripti ſunt.

Inſt. Deus queritur de Judæis, [3] quod *eum colant juxta mandata, & doctrinas hominum*. Et Aug. [4] conqueritur, quod multitudine *cæremoniarum aliqui ita Eccleſiam* (etiam ſuo tempore) *enervaverant, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum*; ergo irrationabilis eſt cæremoniarum inſtitutio.

Reſp. neg. conſ. Nam Deus ibi queritur de mandatis pure humanis, & ex hypochriſi, & contrariis mandatis Dei: dicit enim; *Populus hic labiis me honorat; ſine cauſa colunt me docentes doctrinas hominum*, &c. Cæremonias autem inſtituit Eccleſia ex ſpiritu divino, non humano. Auguſtinus vero queritur de cæremo-

[1] *ſeſſ.* 21. *c.* 2. [2] *Deuter.* 22.
[3] *Matth.* 15. [4] *Ep.* 119.

moniis, quæ a privatis proprio motu, & arbitrio introducebantur, & merito; nec enim hoc licet privatis, ſed ſoli Eccleſiæ reſervatur.

Objic.2. Tot cæremoniarum multitudo ſapit Judaiſmum, & onerat conſcientias, & laqueos iniicit eis; ergo non eſt toleranda.

Reſp. neg. ant. quoad utramque partem. Nam Judæi totam fidem ponebant in ſuis cæremoniis externis; nos vero per externas noſtras excitamur ad internam pietatem; & ſic potius favent libertati ſpirituali, Judaicæ autem erant ſerviles.

Colligis ergo cæremonias ab Eccleſia inſtitutas eſſe valde utiles, & ab ipſo Chriſto, & ejus Apoſtolis originem traxiſſe, ſicut & hanc facultatem, cum dixit Apoſtolis, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Qui vos audit, me audit*, &c. ſcilicet Apoſtolis, & ſucceſſoribus eorum, & Eccleſiæ, quam ipſi repræſentabant, commiſit poteſtatem, ut circa religionem, & cultum, & Sacramenta, quæ inſtituebat, ſtatuerent, quæ utilia judicarent; & in his voluit eis obediendum eſſe in omnibus, quæ ſtatuerent, ſicut ſibi.

Adde, quod in his cæremoniis immiſcentur plures orationes, & alii actus virtutum, per quos augetur virtus ſacramentorum, & gratia per modum impetrationis, & meriti.

Quæres, *an iſtæ cæremoniæ aliquam efficaciam ad gratiam habeant.*

Reſp. nullam habere ex opere operato, bene vero ex opere operantis. Nam ſi cauſarent gratiam ex opere operato, non eſſent cæremoniæ, nec circumſtantiæ ſacramentorum, ſed vera ſacramenta: at multum juvant ex opere operantis, quatenus movent ad ſacramenta cum majori fervore devotionis, & fidei ſuſcipienda; & inde creſcit gratia, quam operantur ſacramenta ex opere operato. Hæc enim creſcit ex meliori diſpoſitione ſuſcipientium, ut diximus.

Et hæc de Sacramentis in genere dicta ſufficiant ad laudem, & gloriam D.O.M. & M. ac S. P. F. ad ſingula in particulari properemus.

TRA-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS XIII.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

POſtquam eſſentiam, & exiſtentiam, cauſas, & effectus Sacramentorum in genere examinavimus, ad ſingularia progredimur, & incipimus à Baptiſmo, qui eſt primus in ordine, & janua cæterorum: tum de Confirmatione agemus, quæ ſicut immediatiùs conferri ſolet, ita & immediatè poſt baptiſmum. De illo in hoc eodem tractatu diſſeremus Deo dante, à quo, & ad quem omnia noſtra.

DISPUTATIO PRIMA.

De exiſtentia, & eſſentia Baptiſmi.

BAptiſmus eſt omnium Dei beneficiorum præclariſſimum, ait Nazianzenus. Hunc prædicare quidem, & laudibus ornare geſtimus; verum pro rei dignitate non poſſumus. Tertullianus

vocat eum *felix aquæ ſacramentum*, quo ablutis delictis priſtinæ cæcitatis in vitam æternam liberamur. Et S. Leo: (1) *Omni homini renaſcenti aqua baptiſmalis eſt inſtar uteri virginalis, eodem ſpiritu replente fontem, qui replevit virginem; & ex illa aqua renaſcimur filii Dei*. Alii ſepulchro Chriſti comparant, ut S. Maximus: (2) *In eo conſepelimur Chriſto, & reſurgimus in vitam novam*. Imò & S. Auguſtinus (3) videtur eum præferre utero Mariæ. De hoc igitur Sacramento hìc agimus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit Baptiſmus.

Baptiſmus ſignificat aliquando *lotionem*, ut cùm dicitur de Juditha, (4) quòd *ſe baptizabat in fonte aquæ*: Et de Phariſæis, quòd *niſi baptizentur, non comedunt*. 2. *Immerſionem* in afflictionibus, & pœnis, ut cùm dicebat Chriſtus, *Baptiſmo habeo baptizari* &c. ſc. loquitur de malis, quæ paſſurus erat; ſc. immergendus erat, & obruendus in aquis afflictionum. 3. ſignificat primum ſacramentum, per quod abluimur à culpa originali, & renaſcimur in vitam Chriſtianam. Eſt enim *principium alterius vitæ, per quod fiunt primitiæ, ſpiritus regeneratio, ſigillum, cuſtodia, & illuminatio mentis*. Et de hoc baptiſmo hìc agitur.

Porrò exiſtentiam ejus non eſt quòd probem; quia de hoc conveniunt omnes; hunc docet Euangelium; profitemur in ſymbolis; & aſſeritur in Conciliis. Reſtat ergo ejus quidditas, & definitio indaganda.

CONCLUSIO I.

Baptiſmus *benè deſcribitur, ſacramentum ablutionis animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente debita cum intentione prolatis*. Ita Scotus, (1) qui licèt aliam deſcriptionem aſſignet, tamen iſtam magis

[1] *l. de bapt.* 1. [2] *ho. de Juda* [3] *ſerm.* 36. *tem.*
[4] *Jud.* 12. *mar.* 7. *mar.* 1. [5] 4. *d.* 3. *q.* 1. *D.* 3.

gis probat, quia rationem ſacramenti directè fundat in ablutione ſola.

Prob. quia ſic clarè explicatur natura hujus ſacramenti per verum genus, & differentiam; & habet alias conditiones definitionis ſine ſuperfluitate, quidquid dicant aliqui Thomiſtæ; ergo &c. Prob. ant. percurrendo ſingulas particulas. Dicitur 1. *ſacramentum*, loco generis. 2. *conſiſtens in ablutione*; & ſic jam differt materialiter ab aliis, quæ conſiſtunt in aliis actionibus, & non in ablutione. 2. *hominis*, quia ſolus homo eſt ſubjectum ſacramentorum, ut diximus: unde ablutio canis cum eadem forma non eſſet baptiſmus. 4. *aliqualiter conſentientis*: nam ſi invitus ablueretur, non eſſet bonus baptiſmus. Debet ergo conſentire vel per ſe, ſi eſt adultus, vel per alios, ut parvuli. 5. *ab alio facta*; quia ſi ſeipſum ablueret, non valeret. 6. *in aqua*; quia non valet in alio liquore. 7. *cum certis verbis*: nam commune eſt omnibus ſacramentis, quòd conſtent rebus, & verbis determinatis pro ſingulis. 8. *cum debita intentione prolatis*; quia ſi per jocum, vel ex prava intentione proferrentur, non fieret ſacramentum. 9. *Ablutio animæ à peccato*, quod ponitur, ut meliùs ſignificetur effectus ejus proprius: nam alia ſacramenta non ſic abluunt animam, nequidem pœnitentia, quæ ſignificat receſſum animæ à peccato potiùs, quàm ablutionem propriam.

Dixi autem, *bene deſcribitur*: nam, ut dictum eſt tract. præced. quia ſacramenta conſtát rebus diverſorum prædicamentorum, nec ſunt quid unum phyſicè, ſed moraliter tantùm, non poſſunt in rigore logico definiri. Poſſet etiam breviùs definiri, ſed non clariùs explicari: ideò per me licet, ut hanc definitionem dicant *comatam* adverſarii.

Objicies. Hæc definitio tribuit duplex fundamentum eidem relationi ſigni ſenſibilis ad ſignificatum idem ſpirituale, quam importat ſacramentum; ergo non eſt legitima. Prob. ant. Nam in hac definitione tam verba, quam ablutio ponũtur directè ut fundamẽtum ſignificationis gratiæ, quam operatur; ergo &c.

Reſp. 1. eandem eſſe difficultatem in omnibus; quia omnia conſtant rebus, & verbis, in quibus fundatur eorum ſignificatio.

Reſp. 2. neg. conſ. tum quia nihil repugnat unam re-

lationem habere duplex fundamentum partiale, quæ ſicut faciunt inter ſe unum aliquod totum, ſic & unum totale fundamentum unius ſignificationis. Ablutio autem, & verba faciunt unum totum ſignum unitate morali, in quo toto fundatur relatio ſignificationis ſacramentalis.

QUÆSTIO II.

De materia Baptiſmi.

EX iis, quæ diximus de materia, & forma ſacramentorum in communi, facile eſt de ſingulis diſcurrere juxta principia ibi poſita. Nam in ſacramentis, quæ in uſu conſiſtunt, duplex eſt materia; *remota*, ſc. res, in qua conficitur ſacramentum, ut aqua in baptiſmo; & *proxima*, ſc. actio per quam res illa applicatur, ut ablutio in eodem baptiſmo.

Circa materiam remotam variè fuit erratum. Flagellantes eam ponebant in ſanguine, quem fundebant ex propria carne per flagella, indeque nomen ſumpſerant Cajani; nec Pauliciani non adhibebant aquam; ſed his verbis Chriſti utebantur, *Ego ſum aqua viva*. Manichæi negabant aquæ omnem virtutem ad abluendas animas, licèt eam adhiberent ex præcepto Chriſti. Seleuciani, & Herminiani non utebantur aqua, putantes id fuiſſe proprium ſoli baptiſmo Joannis, malè intelligentes verba ejus, *Ego baptizo in aqua; ipſe baptizabit vos in Spiritu S. & igne.* Ideò Jacobitæ ferro ignito crucem in fronte, vel genis infantium imprimebant. Lutherus, & Beza docebant poſſe fieri baptiſmum in quolibet liquore madefactivo, v. g. in lacte, vino, cervicia, & quidquid balnei nomine vocari poteſt. Quidam Catholici putarunt, omnes aquas etiam artificiales, & diſtillatas, ſudores, urinas, ſalivam &c. ſufficere. Circa materiam proximam, ſeu ablutionem ſunt etiam variæ opiniones, maximè circa aſperſionem, & immerſionem, & infuſionem.

CONCLUSIO I.

M*Ateria remota baptiſmi eſt omnis, & ſola aqua naturalis.* Eſt de fide contra prędictos hęreticos.

Prob. 1.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Aqua eſt materia remota, quæ applicatur corpori in iſta lotione*, & quidem *aqua naturalis ad diſtinguendam aquam artificialem; quia aquæ illæ, quæ communiter dicuntur artificiales, ſunt corpora quædam mixta, & non dicuntur aquæ niſi æquivocè*, &c.

Prob. 2. ex Script. Nam dicit Chriſtus, [2] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*. Et Paulus de Chriſto dicit, quòd [3] *erat Eccleſiam mundans lavacro aquæ*: Et de Philippo baptizante Eunuchum dicentem, [4] *ecce aquam, quis prohibet me baptizari? Deſcenderunt uterque in aquam Philippus, & Eunuchus, & baptizavit eum*: nec conſtat ex Scriptura hoc ſacramentum fuiſſe unquam in alio liquore, vel materia collatum. Et D. Petrus, [5] *Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut non baptizentur hi?*

Prob. 3. ex Concil. & perpetua traditione Eccleſiæ. Nam inquit Concil. Lateran. ſub Innoc. III. [6] *Sacramentum baptiſmi conſecratur in aqua*. Et Florent. *Materia hujus ſacramenti eſt aqua vera, & naturalis*. Et Trident. *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate baptiſmi, anath. ſit*. Denique talis fuit uſus perpetuus Eccleſiæ, ut patebit diſcurrenti per monumenta omnium ſæculorum.

Alia hujus rei ratio à priori non poteſt dari, præter Dei voluntatem, cui ſic placuit hoc tam neceſſarium ſacramentum in communiſſimo elemento inſtituere.

Congruentias autem non contemnendas, cur ita Deo placuerit, affert Doctor ſubtilis cit. [7] Nam *aqua eſt frigida, fluida, lucida, neceſſaria, & communis; quæ omnes proprietates conveniunt illi humori, in quo debet fieri baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ, ad flectendum rigorem inobedientiæ, ad illuſtrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam ſalutis; & hoc eſt commune omnibus, ſicut lex iſta, cujus hoc ſacramentum eſt initiativum, communis eſt omnibus ad ſalutem*.

Objic. 1. Scriptura diſtinguit baptiſmum Chriſti à baptiſmo Joannis, quòd iſte fiebat in aqua, ille verò in Spiritu Sancto, & igne; ergo baptiſmus Chriſti,

[1] *d.3.q.3. B. & D.2. & 3.* [2] *Jo. 3.*
[3] *Ephes.5.* [4] *Act.8.* [5] *Act.10.*
[6] *Decret. Seſſ.7. can.2.* [7] *Ibid.*

qui eſt noſter, debet fieri in igne, non in aqua.

Reſp. neg. conſ. Nam per illa verba ſignificatur inefficacitas baptiſmi Joannis, qui erat purè materialis in aqua pura, & non verum ſacramentum, ſicut noſter, qui confert gratiam Spiritus S. ſeu charitatem figuratam in igne, qui eſt ſymbolum ejus. Item verba illa continent promiſſionem factam Apoſtolis de Spiritus S. deſcenſu ad eos in linguis igneis *non poſt multos dies*, ſc. brevi poſt Aſcenſionem Chriſti.

Objic. 2. Baptiſmus collatus in aliis materiis valuit; ergo materia baptiſmi non eſt ſola aqua naturalis. Prob. ant. Nam legimus judæum morientem baptizatum fuiſſe in arena fontis defectu aquæ, & mox convaluit. 2. dicitur ſacerdotem circa an. 764. deficiente aqua, & urgente neceſſitate, baptizaſſe infantem vino; & Stephanus Papa III. ſuper hoc facto conſultus reſpondit, quòd *in vino quis, propterea quòd aquam non inveniebat, baptizavit infantem periclitantem, nulla exinde illi adſcribitur culpa: infantes ſic permaneant in baptiſmo; ſi aqua adfuit præſens, ſacerdos ille excommunicetur*; ergo ſaltem in neceſſitate poteſt baptizari in alia materia, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam ex 1. facto ſequitur tantùm, quòd Deus propter fidem Judæi, & ſociorum reddidit ei ſanitatem miraculosè, ut ea recuperata ritè baptizaretur. Ad 2. Papæ reſponſum non decidit de valore talis baptiſmi, ſed de culpa ſacerdotis, ſcilicet quòd nulla eſt ejus culpa, ſi deerat aqua; quia bona fide putaverat melius eſſe adhibere materiam dubiam, quàm infantem mori ſine aliquo remedio, & in ſtatu certo damnationis. Præterea hiſtoriam hanc putant dubiam plures Theologi, ut notat Juenin.

Objic. 3. Aqua baptiſmi figuratur per illam, quæ fluxit ex latere Chriſti; ſed hæc fuit humor cæroſus, non aqua naturalis; ergo baptiſmus valeret in tali aqua, ſc. cæroſa. Prob. maj. ex SS. Patribus Cypriano, Hieron. & Auguſt. [1] *Aqua hæc lavacrum præſtat, & potum*; ergo &c.

Reſp. 1. neg. min. Nam, inquit Doctor, [2] *Innocentius reſpondet, quòd illa aqua, quæ fluxit de latere Salvatoris, non fuit flegma, ſed vera aqua.*

Reſp. 2.

[1] *Diſſer.2.q.3.a.2.* [2] *tr.120.Jo.*

Reſp. 2. neg. conſ. Nec enim figura, & figuratum debet ſemper phyſicè aſſimilari; alioqui poſſet infundi in calicem flegma, aut ſputum pro aqua propter eamdem figuram. 2. quia idem baptiſmus figuratur etiam in aqua maris rubri, & in ea, quam Moyſes eduxit de petra, & in aliis, quæ fuerunt naturales; ergo ex ea figuratione nihil rectè infertur pro hac materia.

Objic. 4. Aquæ artificiales ſunt ejuſdem ſubſtantiæ cum naturali; ergo illæ ſufficere debent, ſaltem iſta deficiente. Prob. ant. habent eadem accidentia; ergo & eandem ſubſtantiam.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. eadem accidentia generice, con. ſpecifica, neg. ant. alioqui vinum album eſſet ejuſdem ſubſtantiæ, ac ſpeciei cum aqua; nam habet eadem accidentia plurima.

Inſt. Illæ aquæ non ſunt corpora mixta, ut vult Scotus; ergo ſunt elementa pura. Prob. ant. ſi eſſent mixta, eſſent craſſiores; ſed ſunt potiùs ſubtiliores, ut patet de aqua vitæ; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & min. Nam ſunt quidem magis penetrativæ, & activæ ob ſpiritus igneos; ſed illa ſubtilitas non venit ex ſimplicitate corporea, qualis eſt in aqua naturali.

Colligis 1. quòd omnis aqua naturalis ſufficit pro baptiſmo ſive fontis, aut putei, aut pluviæ, aut fluminis, aut maris: denique omnis aqua uſualis, quæ ſimpliciter aqua dicitur.

Colligis 2. quòd cerviſia, juſculum decoctum, ſudor, lac, urina, lacrymæ, ſputum, ſaliva, flegma, aqua ex roſis, vel aliis floribus, & herbis diſtillata non eſt materia valida Baptiſmi. Non enim dicuntur aquæ ſimpliciter, ſed æquivocè; & habent qualitates ſpecie diverſas ab elementari, & fiunt per coctionem ignis, qui non habet vim converſivam corporum mixtorum in aquam elementarem.

Colligis 3. aquam lutoſam, & impuram ſufficere, modò non exeat à ſtatu aquæ elementaris, & naturalis. Vide Scotum, qui hæc explicat clarè, & ſolidè.

Major eſt difficultas de aqua ex ſale liquefacto, & reſoluto. Videtur idem dici poſſe de iſta, ac de aqua ex nive, aut glacie: nam ſal eſt aqua condenſata ſo-

lis ardore, ſicut nix, & glacies per frigus: ſed probabilius eſt, ſal eſſe corpus mixtum, quod ſeparatur ab aqua per agens exſiccans; & in ejus ſimilitudinem reſolvitur per agens humectans; ſaltem hæc aqua mihi ſatis dubia eſt.

Porrò materia ordinaria baptiſmi eſt aqua fontis baptiſmalis ab Eccleſia ad hunc uſum benedicta, ut docet, & præcipit Rituale Romanum.

CONCLUSIO II.

Materia proxima baptiſmi eſt ablutio facta ab alio, & recepta in corpore ſuſcipientis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) *Illud, quod dicitur materia, poteſt intelligi proximum ad ſignificandum, vel remotum. Proximum eſt ipſa ablutio viſibilis: ipſa enim cum verbis, tamquam ſignum proximum, ſignificat effectum baptiſmi*, &c. ergo lotio, in qua proximè fundatur ſignificatio gratiæ baptiſmalis cum verbis formæ, includit lotionem, quam recipit infans à baptizante; & non importat ſolam lotionem paſſivam, nec ſolam activam, ſed utramque ſimul, prout recipitur in baptizato à baptizante.

Prob. 2. Illud dicitur materia proxima ſacramenti baptiſmi, in quo immediatè fundatur ratio ſigni ſacramentalis, & in quod immediatè cadit forma: ſed forma baptiſmi cadit immediatè in ablutionem; ergo &c. Prob. min. Nam ſi proferendo verba, non ſimul ablueret, vel infunderet aquam, licèt ipſa tangeret puerum, non verè diceret, *Ego te baptizo*; ergo &c.

Confir. ex Script. Nam Chriſtus præcipit lotionem dicens, *Baptizantes*, id eſt abluentes, quod ſignificat actionem ablutivam.

Confir. 1. Nam aqua exiſtens in vaſe non dicitur lavare illud, niſi ei applicetur per actionem abluentis; ergo idem eſt in propoſito; licèt infans tangeret aquam, & in ea jaceret immerſus, non ſignificaretur eum lavari, ne quidem exterius, niſi per actionem aliquam applicaretur illi aqua.

Objic. 1. Sola aqua benedicta induit rationem ſacramenti:

(1) *Ibid. A. 2.*

menti: nam iſtud prædicatur de illa in recto: ergo ſola aqua benedicta eſt materia proxima baptiſmi.

Reſp. neg. abſolutè ant. & prob. ejus. Nam falſum eſt, aquam illam rectè dici ſacramentum baptiſmi; ſicut nec oleum ſanctum diceretur rectè ſacramentum unctionis, niſi valde materialiter, quia eſt ejus materia remota; ſicut ſi diceres, *homo eſt ſubſtantia*, vel *ſubſtantia eſt homo*.

Objic. 2. Materia proxima Euchariſtiæ non eſt conſecratio, nec manducatio; ergo idem eſt de baptiſmo.

Reſp. neg. conſ. Nam baptiſmi ſacramentum conſiſtit in uſu, Euchariſtia verò in eſſe permanenti; & ideo eſt ſacramentum, licèt à nemine detur, aut ſumatur.

CONCLUSIO III.

Ablutio baptiſmalis validè fit per immerſionem, aut effuſionem, vel aſperſionem, ſaltem in notabili parte corporis; & unica ſufficit. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Cùm oporteat baptizantem abluere baptizatum, quod eſt activè facere corpus contingi ab aqua, & hoc vel per motionem corporis ad aquam, utpote immergendo; vel per motionem aquæ ad corpus, puta perfundendo, vel aſpergendo, neceſſariò requiritur in baptizante virtus motiva, qua aliquo iſtorum modorum activè poſſit abluere alium.* De immerſione non loquitur, quia fortè non erat amplius in uſu apud Latinos tempore Scoti.

Prob. Nam quocumque ex illis tribus modis fiat lotio, ſalvatur quoad ſubſtantiam materia præſcripta à Chriſto: eſt enim ſemper baptizatio ſenſibilis; ergo una ex illis ſufficit, cùm Chriſtus id non determinaverit. Dixit enim, *Baptizantes eos*, &c. Et, *quicumque baptizatus fuerit*, &c.

Confir. Nam conſtat, quòd Apoſtoli aliquando uſi ſunt immerſione; ut cùm Philippus, & Eunuchus [1] *deſcenderunt uterque in aquam*. Et S. Petrus uſus eſt aſperſione, aut effuſione illa die, qua baptizavit quinque hominum millia: & S. Thomas (2) putat S. Laurentium baptizaſſe per aſperſionem. Denique talis eſt Eccleſiæ Latinæ uſus à ſæculo XIII.

I 5 Prob. 2.

[1] *Act.* 8. [2] *3.p.q.66.a.7.*

Prob. 2.p. eadem ratione. Nam Scriptura non præcipit trinam actionem baptizando; ſed in unica ſalvatur totus ſenſus verborum ejus; ergo unica ſufficit.

Confir. ex locis cit. Nam non dicitur de Philippo, & Eunucho, quòd ter deſcenderint in aquam; nec quod ter, aut bis debeant lavari, aut abluti fuerint tot homines, quos D. Petrus una die baptizavit; ergo unica lotio ſufficit.

Objic. Baptiſmus repræſentat ſepulturam, & Reſurrectionem Chriſti: (1) *Conſepulti enim ſumus in illo per baptiſmum;* ſed hæc repræſentatio eſt perfectior per trinam immerſionem; ſicut per tres dies fuit ſepultus; & Reſurrectio per emerſionem; ergo requiritur trina immerſio.

Reſp. diſt. maj. repręſentat ſpiritualiter, & ſecundariò, con. corporaliter, & primariò, ſeu principaliter, neg. maj. & conſ. Repræſentatur myſticè, & ſpiritualiter, quatenus [2] *homo per baptiſmum moritur myſtice, quando moritur peccato, & vivit Deo*, ait Ambroſ.

Inſt. Levis contactus aquæ non eſt vera ablutio baptiſmalis; ſed aſperſio, vel infuſio unica eſt levis contactus aquæ; ergo non ſufficit ad baptiſmum, ſed requiritur immerſio.

Reſp. diſt. maj. levis contactus per guttulam, con. contactus in parte notabili corporis, & per ſenſibilem aſperſionem cum proportione ad ſubjectum, neg. maj. & min. Nam aſperſio, ſeu effuſio, qualis fit ex praxi Eccleſiæ, eſt ſatis notabilis, & ſenſibilis; ut ſignificet gratiam ablutionis interioris.

Objic. 2. Cornelius Papa non approbat baptiſmum Novatiani cujuſdam datum per aſperſionem; ergo hoc modo non valet. Prob. ant. Nam Fabius Antiochenus, qui ſic baptizaverat, conſulit Papam, qui reſpondet, *Si talem baptiſmum percepiſſe dicendum ſit:* ergo de valore dubitavit.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. de valore quoad effectum gratiæ ſanctificantis, con. de valore eſſentiali, neg. ant. & conſ. prob. Nam quia ille petierat baptiſmum in extremis, quem toto tempore vitæ contempſerat, meritò dubitavit Papa, an ſyncerè, & cum debita diſpoſitione in eo ſtatu petierit, & receperit.

Objic. 3.

(1) *Rom. 6.* [2] *de 60. mor.2.*

Objic. 3. con. utramque p. ex can. 24. Apoſtolorum præcipitur immerſio, & quidem trina, ſub pœnam depoſitionis; ergo baptiſmus debet dari per trinam immerſionem; ergo non ſufficit aſperſio, vel infuſio unica.

Reſp. neg. conſ. Nam infirma eſt auctoritas illorum Canonum contra auctoritatem Conciliorum, & praxim Eccleſiæ, tum quia non creduntur eſſe ab Apoſtolis, tum quia diverſe traduntur.

Reſp. 2. neg. eandem conſ. Nam id præcipiebat ille Canon, non quia immerſio una, vel trina eſſet de neceſſitate ſacramenti, ſed quia tunc talis erat uſus Eccleſiæ, a quo non licebat diſcedere propter ſcandalum. Ter immergebat in honorem trium perſonarum divinarum, in quarum nomine baptizatur; *vel per tres immerſiones tres dies Dominicæ ſepulturæ exprimuntur*, ait Concil. Tolet. IV. relatum in Decreto, ubi S. Gregorius approbat unicam (1) *propter unitatem Deitatis*.

Inſt. Pelagius Papa ſcribit ad Gaudentium, trinam immerſionem eſſe præceptam a Deo; ergo neceſſaria eſt immerſio, & quidem trina.

Reſp. neg. ant. Nam id ſcribit de neceſſitate baptizandi in nomine trium perſonarum: *Multi ſunt, qui in nomine ſolum Chriſti, & una etiam merſione ſe aſſerunt baptizatos; Euangelicum vero præceptum nos admonet in nomine Trinitatis, trina etiam merſione ſanctum baptiſma unicuique tribuere*, &c. Vides totam vim hujus doctrinæ tendere in mentionem Trinitatis.

Quæres 1. *Quandonam ceſſaverit apud Latinos conſuetudo immerſionis baptiſmalis*.

Reſp. id contigiſſe fortè ſæculo XIII. quo florebat, & ſcribebat S. Thomas dicens: *Quamvis tutius ſit baptizare per modum immerſionis, quia hoc habet communior uſus*; ergo jam incipiebat uſus baptizandi aliter, quam per immerſionem.

Quæres 2. *Cur ille uſus relictus fuerit*.

Reſp. quia Diaconorum uſu ceſſente, immerſio nimis laborioſa evadebat miniſtris ſenibus, & invalidis. 2. quia erat periculoſa pueris, & adhuc magis oneroſa pudori propter fœminas. Nam toto corpore immergebantur Catechumeni, & prorſus nudi, etiam

(1) *de conſecr.*

fœminæ, ſed iſtarum pudori providebatur, quia ſuum habebant a viris diſtinctum baptiſterium. 2. ſeorſim, & alia hora baptizabantur. 3. ſeipſas exuebant, & induebant, vel id fiebat miniſterio Diaconiſſarum, aut Monialium.

Quæres 3. *An valeret baptiſmus per immerſionem cum periculo vitæ catechumeni, v. g. ſi ex ponte proiiciendus eſſet in flumen, vel puteum, nec aliter poſſet pertingere ad aquam.*

Reſp. negative cum Scoto. [1] *Proiectus de ponte non baptizatur, quia hoc non eſt ordinatum ad vitam, vel lotionem, ſed ad mortem.* Et certe Deus non inſtituit hoc ſacramentum in materia ſic contraria humanitati, & cui annexum eſſet homicidium, qualis eſt iſta projectio, & ſubmerſio.

Confir. Quia talis ſubmerſio non eſt vera lotio, aut ablutio: [2] nec enim id dicitur lavari, quod in flumen projicitur cum certitudine naufragii, & perditionis; ſed in his caſibus puer projiceretur in flumen, vel puteum cum certitudine perditionis; ergo &c.

Dices. Ex Scoto hæc projectio eſſet quidem illicita, quia baptizãs committeret homicidiũ, non quia nullus eſſet baptiſmus, & ita docet Card. Brancatus; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam ex allato textu patet, Scotum dicere talem baptiſmum non valere.

Dices 2. Satius eſt occidere corpus quoad vitam corporalem, quam permittere animam æternæ morti; ſed niſi tunc projiceretur puer, anima relinqueretur morti æternæ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. [3] Nam in eo caſu Deus non vult ſic animam ſalvari, ſed ſuæ providentiæ reſervat aliter providere illi animæ.

Inſt. Non minus liceret ita occidere puerum, quam Samſoni ſeipſum cum hoſtibus opprimere; ſed iſta mors excuſatur in Samſone; ergo in puero illo deberet potius laudari.

Reſp. neg. maj. Nam ideo occiſio excuſatur in Samſone, *quia Spiritus S. latenter id juſſerat, qui per illum miracula faciebat*, ait Auguſt.

Dices 2. Si ipſe ſacerdos ſtatim atque immerſit puerum, & protulit verba Sacramenti moreretur, aut fieret impotens ad extrahendum illum, ita ut ſuffocare-

[1] *d. 4. q. 3. A. 3.* [2] *diſp. 12. n. 34.* (3) *l. cit. 21.*

retur puer, adhuc valeret baptiſmus; ergo & in caſu iſto valeret.

Reſp. neg. conſ. vel diſt. ant. ſi mors ſequeretur indirecte, conc. ſi directe ſequeretur, neg. ant. quia in caſu projectionis mors directe ſequeretur, & per ſe; in caſu vero *objectionis* ſequeretur per accidens, & indirecte.

Quæres 4. *Quanta debeat eſſe aqua, ut lotio ſufficiat?*

Reſp. eam quantitatem aquæ ſufficere, quæ poſſit aliquam partem corporis phyſice, & realiter tingere, & lotio ſit ſenſibilis. Ita docent communiter Theologi.

Quæres 5. *In qua parte corporis debeat fieri lotio, vel aſperſio.*

Reſp. cum Scoto [1] quærente, an poſſet infans baptizari in utero matris, & dicente, quod *ſi nulla pars appareat extra uterum, non valet baptiſmus: Si vero caput apparet, quod eſt pars principalis, poteſt baptizari in illa parte, & in hoc eſt ſimpliciter baptizari ... ſi autem apparet pars minus principalis, v. g. manus, aut pes, illa baptizanda; quia ibi eſt tota anima, licet non omnis ſenſus, ut in capite.* Addit tamen,[2] quod *ſi hoc minus ſufficeret ad hoc, ut eſſet ſimpliciter baptizatus, ſi naſceretur poſtea vivus, eſſet ſub conditione baptizandus.*

QUÆSTIO III.

De forma Baptiſmi.

Circa formam baptiſmi etiam erratum fuit, nec leves fuerunt controverſiæ etiam inter Catholicos. Quidam olim baptizabant *in tribus principiis, tribus filiis, & tribus paracletis*, ut colligitur ex can. 49. Apoſtolorum, & ex Epiſtola Vigilii Papæ:[3] *In una perſona Trinitatis; aut in tribus patribus, aut in tribus filiis, aut in tribus paracletis;* & hos anathematizat hic Pontifex.

2. Marcitæ ſic dicti a Marco diſcipulo Valentini dicebant: *In nomine ignoti patris univerſorum, in veri-*

[1] *d.4.q.3.a.3.* [2] *Ex. de Bapt.*
(3) *Ep. 2. c. 6.*

ritatem matrem omnium, & in Jeſum, qui deſcendit in unionem, & Redemptionem, communionemque poteſtatum.

3. Paulinianiſtæ ſicut perſonas in Trinitate diſtinctas non agnoſcebant, ſic vana, & irrita forma utebantur in baptiſmo; & ideo declaratus eſt nullus in 1. Synodo Nicæna. [1] Idem de Photinianis ſtatuit Concilium Arelatenſe. [2]

4. Cataphrigæ, ſeu Montaniſtæ baptiſmi formam ſic corruperunt, ut ab eis baptizati juſſi ſint *cum omni diligentia catechizari, & baptizari ab Eccleſia Catholica Epiſcopis, & Presbyteris* in Concil. Laod. [3] Idem colligitur ex I. Conſtantinop. [4] *Montaniſtas, quos nunc Phrigas dicimus.... ut Paganos recipimus*, ſc. ut non baptizatos. Creditur eos baptizaſſe *in nomine Patris, & Filii, & Montani*, qui ſe dicebat Spiritum S.

5. Concil. Arelat. [5] loquitur de *Afris, qui propria ſua lege utuntur, ut rebaptizent, dicens: Placuit, ut, ſi ad Eccleſiam aliquis de hac hæreſi venerit, interrogent eum Symbolum; & ſi perviderint eum in Patre, & Filio, & Spiritu S. eſſe baptizatum, manus ei tantum imponatur, ut accipiat Spiritum S.* ſc. non putabantur uti forma debita, qui cenſebantur infecti hæreſi Sabellii, aut Novati, aut Donati, & ſimilium, qui in Africa graſſabantur.

6. Eunomæus non baptizabat in nomine Trinitatis, ſed baptiſmatis legem a Domino, & Apoſtolis evertit, & contrariam ſanxit, dicens, *non oportere ter immergere qui baptizatur, nec invocare Trinitatem, ſed ſemel baptizare in Chriſti mortem*, ait Theodoretus.

7. Lutherus, & Zuinglius baptizant quidem in recta forma verborum; ſed non putant neceſſarium eſſe uti verbis determinatis, nec conſtare ex Scriptura, quod Chriſtus, aut Apoſtoli id juſſerint.

8. Græci ſolent dicere: [6] *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris, & Filii, & S. S.* & tenetur hanc formam eſſe validam. Sed de his ſatis.

CON-

[1] *can.* 19. (2) *can.* 16.
[3] *can.* 8. (4) *can.* 7. [5] *can.* 1.
(6) *L.*4.*c.*3.*hæret.*

CONCLUSIO I.

Forma baptiſmi debet neceſſario ſignificare actum baptizandi eum, qui baptizatur, & perſonas SS. Trinitatis; imo & de neceſſitate præcepti debet ſignificare baptizantem.

Prob. 1. ex Scoto, qui citat Can. [1] *Si quis puerum ter in aqua merſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. & non dixerit, Ego baptizo te, &c. non eſt puer baptizatus... in iſta forma ſunt verba principaliter pertinentia ad eam, aliqua autem non principaliter pertinentia, quia exprimunt actum, miniſtrum, & ſuſcipientem: Miniſtrum enim non eſt ſimpliciter neceſſarium aliquo verbo exprimi, neque pronomine cujuſcumque perſonæ, quia non eſt in verbis Chriſti: alia autem duo, ſc. actum, & ſuſcipientem, neceſſe eſt exprimi.* Habes totam concluſionem ex Doctore. [2]

Prob. 2. ex verbis Chriſti; *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. nam, *baptizantes* importat actionem; *eos* importat ſuſcipientes, & reliqua ſignificant perſonas Trinitatis, non autem perſonam baptizantem, ſaltem explicite: ideo dicimus particulam, *Ego*, non eſſe neceſſariam, niſi ex præcepto Eccleſiæ Romanæ.

Prob. 3. ex Concil. Florent. [3] in Decreto pro Armenis: & ex cap. *Firmiter*: & ex Trident. ubi approbatur baptiſmus, licet datus ab hæreticis, *in nomine Patris*, &c. cum intentione debita: & ex allato cap. *Si quis*, ubi Alex. III. hanc formam præſcribit: & denique ex uſu, & praxi totius Eccleſiæ Romanæ, quæ hac forma utitur, & eam præcipit in Ritualibus.

Prob. ſpecialiter 2. p. Nam Eccleſia approbat formam Græcorum, qui non exprimunt perſonam miniſtri dicentes, *Baptizetur*; & hoc illi ſtatuiſſe dicuntur ad humiliationem ejus, ne ſc. infletur, quaſi auctor principalis hujus ſacramenti, & gratiæ ejus. Apud Latinos ergo expreſſio perſonæ baptizantis per pronomen *Ego*, & verbum in indicativo præſenti, & in prima perſona eſt de præcepto Eccleſiæ.

Ve-

[1] *C. Si quis Ex. de Bapt.* [2] *d. 3. q. 2. E. n. 1. & 6.*
[3] *de SS. Trin.*

Verum eſt tamen, quod hæc verba Græcorum, *Baptizatur*, aut *baptizetur* juncta actioni abluendi æquivalent iſtis; *Baptizatur per hunc actum meum*, &c. [ut notat Scotus] aut *manibus meis* (ut docet Concil. Florent.) nam omnis paſſio eſt correlativa actioni; & ſic vox *baptizatur* connotat actionem baptizandi, & perſonam baptizantem.

CONCLUSIO II.

F*Orma certa baptiſmi eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto cit. ubi refert Decretum Alex. III. quo hæc omnia exprimit.

Prob. 2. ex Script. etiam cit. Nam hæc forma eſt plene conformis verbis Chriſti inſtituentis, & præcipientis baptiſmum: item ex Conciliis, & Ritualibus Eccleſiæ.

Obiic. contra utramque concluſ. 1. Chriſtus nullibi determinat illa verba; ergo non ſunt forma determinata baptiſmi. Prob. ant. Nam Chriſtus nihil aliud determinat, niſi quod baptizetur *in nomine Patris*, &c. & ad hoc ſufficit invocatio Trinitatis; ergo, &c. Prob. ant. Nam licet pro Euchariſtia dixerit, *hoc facite in meam commemorationem*, non ſequitur hæc verba eſſe de forma conſecrationis; & cum dedit poteſtatem ejiciendi dæmonia, dixit, *in nomine meo dæmonia ejicient*, &c. Denique præcipiens baptiſmum dixit: *Docete omnes gentes*, &c. ergo non determinavit verba baptiſmi potius, quam illa; ergo quomodocunque, & quibuſcumque verbis baptizemus, perinde eſt; ſicut in exorciſmis ſufficit, ut jubeantur dæmones in nomine Chriſti exire.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ex perpetua traditione Eccleſiæ, & ex terminis Euangelii præſcribitur illa forma, & præciſe quoad ſubſtantiam.

Inſt. 1. In Diœceſi Claramontana [1] baptizabatur per ſolam ablutionem, omiſſis cæremoniis, & verbis illis; ergo illa forma non fuit ſemper in uſu in tota Eccleſia. Prob. ant. Nam id colligitur ex Petro Epiſcopo Claramontano; ergo, &c.

Reſp.

[1] *Bibl. PP. to. 3.*

Reſp. diſt.ant. baptizabatur invalide, con.valide, neg.ant. & conſ. prob. Nam Petrus ille non dicit, tale baptiſma valuiſſe; ſed de hoc dubitans conſuluit Mauritium Epiſcopum Pariſienſem, qui reſpondit non valere, quia inquit: *Forma baptiſmi tradi, & accipi debet Scripturarum Divinarum auctoritate, & SS. Patrum teſtimonio. Habemus eam in hunc modum, ſc. Ego te baptizo*, &c.

Inſt. 2. Stephanus Tornacenſis cenſuit, baptiſma illud fuiſſe validum, ſaltem in caſu neceſſitatis; & multi antiqui Theologi, ut Præpoſitivus, P. Comeſtor, Hugo Victor, P. Lombardus, &c. dixerunt cum ablutione ſufficere, *in nomine Patris*, &c. ergo non eſt neceſſe dicere iſta, *Ego te baptizo*, ſaltem de neceſſitate ſacramenti. Ant. patet ex relatis Doctoribus apud Fraſſen, & Juenin. Ideo tenent, quod ante Decretum cit. Alex. III. quod S. Raymundus retulit inter Decretales Gregor. IX. circa an. 1241. non erant neceſſaria hæc verba, *Ego te baptizo*, ſubintelligebantur ex actione abluendi.

Reſp. neg. conſ. Nam illæ auctoritates non habent vim contra uſum, & doctrinam Eccleſiæ: & dato, quod illi ſic opinati ſint, de quo non curamus, non faciunt hic regulam, nec fidem contra tot alias auctoritates Conciliorum, & Patrum. Nec valet, quod additur de actu abluendi: nam poſſet fieri in alios fines, etiam cum iiſdem verbis, & eadem invocatione Trinitatis; ergo non ſufficienter ſignificant effectum baptiſmi, niſi dicatur, *Ego te baptizo*.

Confir. hæc reſponſio ex cenſura hujus propoſitionis an. 1690. *Valuit aliquando baptiſmus ſub hac forma collatus, In nomine Patris*, &c. *omiſſis illis, Ego te baptizo*, &c. Nam ex hac cenſura ſequitur, talem baptiſmum numquam valuiſſe.

Objic. 2. In forma Græcorum non exprimitur nec baptizans, nec actio baptizandi, nec ſuſcipiens; ſed tamen baptiſmus ille eſt validus; ergo ad validum baptiſmum non ſunt neceſſaria verba illa, quæ hæc ſignificent. Prob. maj. Nam dicunt vel optativo, *baptizetur*, vel indicativo paſſivo *baptizatur*: & *ſervus Chriſti* non ſignificat proprie ſuſcipientem, qui nondum eſt ſervus Chriſti, niſi in fieri: & denique nihil ibi exprimitur de baptizante, nec de actione; ergo.

Reſp.

Reſp. diſt. maj. non exprimitur directe, & explicite, & formaliter, con. virtualiter, & indirectè, & æquivalenter, neg. maj. & conſ. prob. non enim poteſt dici *baptizetur optative*, aut *imperativè*, niſi connotetur miniſter optans, vel imperans, & ſubjectum, ſeu perſona, cui optatur, & quæ magis determinatur per actionem ſenſibilem ablutionis: & ſic talis forma importat & miniſtrum, & ſubjectum, & actionem. Fateor tamen, quod forma noſtra eſt explicatior, & perfectior, Quod autem dicatur *ſervus Chriſti*, qualis eſt in fieri, & non in facto eſſe, nihil facit ad rem; hoc ipſo quod petit baptiſmum, ſervus eſt in intentione, & ſubjectione voluntaria.

CONCLUSIO III.

INvocatio explicita perſonarum Trinitatis eſt hodie neceſſaria ad valorem baptiſmi: An autem aliquando ſufficiens fuerit implicita ſub nomine Chriſti, probabiliter aſſerit Scotus. 1. p. eſt communiſſima. 2. verò plurimos habet utrimque patronos: pro nobis ſtat S. Thomas. [1]

Prob. 1. p. ex Scoto, [2] qui non vult eas ſignificari, ne quidem ſub vocibus ſignificantibus earum proprietates: ſed vult eas propriis nominibus appellari, ſc. *Patris*, & *Filii*, & *Spiritus S.* non autem *genitoris*, *geniti*, & *ſpirati*. Nam *Chriſtus voluit perſonas vocari nominibus perſonarum, & rationabiliter ... dedit Eccleſiæ nomina ſignificantia perſonas ſub propriis nominibus:..... de nomine Trinitatis patet, quod Chriſtus intellexit iſtas perſonas explicandas.*

Quoad 2. vero p. docet, [3] quod *nomine Chriſti ſignificantur illæ perſonæ implicite, ut in quodam importante perſonas per correſpondentiam effectus ad cauſam .... Hoc enim nomen ſignificat Filium ſecundum naturam humanam, qui unctus eſt, & dat intelligere Patrem, a quo unctus eſt, & Spiritum S. quo unctus eſt. Et tandem de nomine Chriſti patet, quod aliquando licuit... baptizare* (hoc facit pro 1. p.) *an modo eſſet baptizatus, ſi ſic daretur* (baptiſmus) *videtur, quod ſic baptizans peccaret mortaliter; imo omnino non baptizaret.* Ecce mentem Doctoris.

Prob.

[1] *3.p.q.66.a.6.2.* [2] *Ibid.H.9.* [3] *Ibid. G.8.*

Prob. 1. p. ex dictis in præcedenti. Nam illi textus Scripturæ, & Conciliorum, & Canonum docent baptiſmum ita fuiſſe inſtitutum, ut conferatur in nomine trium perſonarum Trinitatis formaliter, & explicite: *Baptizantes in nomine Patris*, &c. ergo, &c.

Prob. 2. p. ex Scriptura. Nam Divus Petrus monet, [1] *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Domini J. C. in remiſſionem peccatorum*. Et iterum juſſit Cornelium, [2] & ſocios baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti. Et illi, qui fuerunt baptizati baptiſmo Joannis, jubente Paulo, baptizati ſunt in nomine Jeſu.

Confir. ex aliis textibus, [3] quibus dicitur, quod *præter nomen Chriſti, non eſt aliud nomen datum ſub ſole, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. Et Philippus [4] baptizans Eunuchum de ſola fide in Chriſtum interrogat; & cum dixiſſet, *Credo Filium Dei eſſe J. Chriſtum*, baptizavit eum. Et ab eodem Samaritani *baptizabantur viri, ac mulieres in nomine J. Chriſti*: dicebatque, quod Prophetæ *teſtimonium perhibent remiſſionem accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum*. Et cum hoc dixiſſet, *Petrus juſſit eos baptizari*, ſc. in illo nomine. Forte ſic Paulus, [5] & ſocii baptizabant, cum arguebat Corinthios dicentes, [6] *Ego ſum Pauli, ego autem Cephæ*; ut enim eos ab his erroribus deterreat ſcribit, *An in nomine Pauli baptizati eſtis?* ergo indicat, quod illius erant, in cuius nomine fuerant baptizati, ſc. Chriſti J. ideo addit, *Nos prædicamus Chriſtum*, &c.

Prob. 2. quia Nicol. I. [7] interrogatus de baptiſmo cujuſdam Judæi reſpondet; *Qui in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Chriſti, ſicut in Apoſtolorum actibus legitur*, [8] *baptizati ſunt (unum quippe idem eſt, ut ait Ambroſius) rebaptizari non debent*; ergo cenſet validum fuiſſe baptiſmum in nomine Chriſti etiam ſuo tempore datum.

Prob. 3. Nam congruum, & probabile eſt, quod in illis naſcentis Eccleſiæ temporibus, in quibus nomen Chriſti propter crucis paſſionem, quæ *Judæis erat ſcandalum, & gentibus ſtultitia*, & apud Judæos, qui

[1] *act.2.Ibid.* [2] *Ibid.19.* [3] *act.2.* [4] *act.8.*
[5] *act.1.* [6] *1.cor.1.*
[7] *d.4.c.24.de conſecr.* [8] *act.19.*

qui in ſola ſua lege ſpem ſalutis ponebant, tunc, inquam, neceſſarium erat nomen Chriſti exaltare, & fidem, & ſpem populorum in illud nomen excitare baptizando; & manus imponendo in nomine illo, ut in eo conferrent eis Spiritum ſanctum, & alia miracula facerent; ergo pro tunc fuit diſpenſatum à Deo ipſo, ut in illo nomine baptizarentur populi.

Dixi autem, quod *hoc probabiliter aſſerit Scotus:* neque enim id certum habeo: contrarium enim docent plurimi, ſc. numquam valuiſſe talem baptiſmum. Unde

Objiciunt 1. Scripturam. Nam cum Paulus à diſcipulis quæreret, *Si Spiritum S. accepiſtis*, illi reſpondent; *ſed neque ſi Spiritus S. eſt audivimus*: replicat Apoſtolus, *In quo ergo baptizati eſtis?* ergo ſupponit baptiſmum non dari tunc ſine nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.

Reſp. neg. conſ. Nam potuit ſic loqui Paulus, non quod baptiſma fuiſſet datum in alio nomine, quam Chriſti; ſed quia baptizandi inſtruebantur in myſteriis fidei, & præcipue Trinitatis: & ideo debuerant ſcire Spiritum S. exiſtere, ſi fuerant baptizati etiam Chriſti baptiſmo.

Inſt. Apoſtoli in ſuis Canonibus [1] præſcribunt formam baptiſmi *in nomine Patris*, &c. ergo non putarunt unquam ſufficere datum in nomine ſolius Chriſti; nec tali forma uſi ſunt.

Reſp. diſt. ant. præſcribunt formam pro univerſali Eccleſia, & præciſa diſpenſatione pro illis primis temporibus, con. abſolute, & indiſpenſabiliter, neg. ant. nec enim id ſequitur ex illo Canone, in quo damnatur baptiſmus datus *in mortem Chriſti*, & jubetur dari *in nomine Patris*, &c.

Inſt. 2. Clemens, & Dionyſius, qui viderunt Apoſtolos, nullam mentionem faciunt de tali baptiſmo; ergo non fuit in uſu tempore Apoſtolorum.

Reſp. neg. conſ. Neque enim Patres narrant omnia, quæ viderunt in Apoſtolis, & maxime illa, quæ putant narrata in actis Apoſtolorum, quos S. Lucas ſcripſit: hic autem hoc factum narrat, ut patet.

Objic. 2. Antiquiſſimi Patres graviter præcipiunt invo-

[1] *Can. 49.*

invocationem trium perſonarum; ergo non putarent baptiſma valere ſine illa. Prob.ant. Nam inquit Tertull. [1] *Angelus baptiſmi arbiter ſuperventuro Spiritui S. vices dirigit ablutione delictorum, quam fides impetrat obliquata in Patre, & Filio, & Spiritu S.* Et Cyprianus: [2] *Ubi poſt reſurrectionem Domini Apoſtoli ad gentes mittuntur in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. baptizari gentibus jubentur.* Imo expreſſe reprobat baptiſmum datum in nomine J. Chriſti, *cum ipſe Chriſtus jubeat gentes baptizari in plena, & adunata Trinitate*; ergo ex Patribus antiquis baptiſmus in nomine Chriſti numquam valuit.

Reſp.neg. conſ. Nam Patres illi, & alii loquuntur de baptiſmo regulariter, ut dari debet, non autem ut extraordinarie, & ex diſpenſatione divina dato, aut dando in aliquibus circumſtantiis, v.g. propter Judæos, ut eis nomen J. C. commendetur. *Forma tradita communiter ſemper manet*, inquit Doctor, [3] *niſi per formæ inſtitutorem pro aliquo tempore fiat aliqua diſpenſatio, ſed forma non fuit diſpenſative tradita, niſi pro tempore aliquo, quo fuit ratio diſpenſandi, ſc. in primitiva Eccleſia, ut nomen Chriſti divulgaretur.* Idem docet S. Thomas.

Objic.3. ex SS. Pontificibus. Pelagius dicit, *baptiſmum datum in nomine Domini, aut in nomine Chriſti nullum eſſe.* Et Zacharias confirmat Decretum Concilii Anglicani dicens: *Si immerſus in fonte baptiſmatis quis fuit ſine invocatione Trinitatis, perfectus non eſt*; ergo ille ſemper fuit invalidus.

Reſp. neg. conſ. Nam illi loquuntur de baptiſmo communiter, & generaliter dando extra caſum diſpenſationis: Sic non faciunt contra nos.

Reſp.2. illis opponi reſponſum Nicolai I. citatum, quod aliter docet.

Colliges autem 1. quod jam baptiſmus in nomine Chriſti non valeret, quia non eſſet in forma præſcripta, nec adeſſet diſpenſatio, propter quam olim valuit.

2. Formam ordinariam eſſe ſupradictam, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Et ſingulæ voces habent ſuum locum, & ſignificatum juxta 1. concluſionem. *Ego*, deſignat miniſtrum: *Te*, notat ſuſcipientem:

[1] *l.2.bapt.* [2] *Ep. ad Jubaia.* [3] *Ibid.I.*

fundit, ſupplet vicem ablutionis per aquam, & in eo abluitur. Sic triplex dicitur baptiſmus, *fluminis*, *flaminis*, & *ſanguinis*; & quæritur, an ſint vera baptiſmata tam in ratione ſacramenti, quam quoad effectum.

Conſtat etiam, Joannem in ſuo deſerto prædicaſſe, & contuliſſe baptiſmum quendam, unde cognomen Baptiſtæ habet; & quæritur, an ille baptiſmus fuerit verum ſacramentum quoad inſtitutionem, & efficaciam.

CONCLUSIO.

Licet baptiſma flaminis, & ſanguinis deleant peccata originale, & actualia, & cauſent gratiam ſanctificantem; non tamen ſunt proprie ſacramenta, & baptiſmata, ſed ſolus baptiſmus fluminis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam quærens, an baptizati baptiſmo *flaminis* teneantur ſuſcipere baptiſmum, reſpondet, quod *quantuntumcumque juſtificati tenentur ad ſuſceptionem baptiſmi*. Unde ſequitur, quod de mente Scoti 1. per baptiſmum *flaminis* homo juſtificatur. 2. quod eſt aliquo ſenſu baptiſmus, ſed non ſacramentalis, nec proprie. & 3. quod ſolus baptiſmus *fluminis* eſt verus, & proprius baptiſmus, & ſacramentum. Et pro baptiſmo *ſanguinis* docet ibidem, quod *pro juſtificatis per martyrium completum* (ut baptizati baptiſmo ſanguinis) *non tenentur ad baptiſmum fluminis: ſi vero baptiſmus ſanguinis non ſit completus, ut in illis, qui non moriuntur per martyrium, ſed nobiſcum reſtant viatores . . . . tales, inquam, qui ſic juſtificantur, & baptizantur baptiſmo ſanguinis, tenentur ad baptiſmum fluminis*. Idem docet in ſcript. Oxonienſi. [2]

Prob. 2. ex dicendis de efficacia utriuſque hujus baptiſmi ad ſupplendum defectum baptiſmi *fluminis*.

Prob. 2. p. etiam ex dictis de eſſentia ſacramentorum in communi. Nam in neutro iſtorum reperitur materia, nec forma, nec inſtitutio ſacramentorum; nec imprimunt characterem baptiſmalem; alioqui non

[1] *Repor.d.4.q.6.n.4.*
[2] *Ibid.C.14.*

non deberent iterari; nec data occaſioue tenerentur homines baptizari, poſtquam ſemel fuiſſent per alterutrum juſtificati; quod falſum eſt.

Prob. 3. p. 1. quia unus Deus, una fides, unum baptiſma. 2. Solus iſte eſt ſub præcepto, & ex inſtitutione divina, & ſolus operatur ex opere operato: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. 3. Solus iſte habet eſſentiam, & conditiones ſacramenti, ut patet; ergo iſte ſolus eſt verum ſacramentum. Hinc ſequitur, quod baptiſmus proprius, & ſacramentum eſt vere unum.

Objic. 1. con. 2. p. Baptiſmi flaminis, & ſanguinis habent eundem effectum cum baptiſmo fluminis; ergo &c. Prob. ant. cauſant eandem gratiam ſanctificantem, & remittunt originale cum aliis peccatis; ergo ſunt ſacramenta æque, ac ille.

Reſp. 1. neg. ant. non enim cauſant characterem, neque etiam gratiam ex opere operato, nec eaſdem gratias actuales, ſaltem per ſe.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam licet cauſent ſimiles gratias, non cauſant eodem modo, nec habent alias conditiones veri ſacramenti, &c.

Inſt. Dicuntur baptiſmata; ergo talia ſunt de facto.

Reſp. diſt. ant. dicuntur analogice, & improprie, con. univoce, & proprie, neg. ant. Nam ſic dicuntur, quia per accidens, & in caſu impoſſibilitatis veri baptiſmi ſupplent defectum ejus ex privilegio, & clementia Dei.

CONCLUSIO II.

B*Aptiſma Joannis non fuit verum ſacramentum, nec cauſabat gratiam ex opere operato*. Eſt communis, & de fide contra quoſdam hæreticos, inter quos Petilianus, qui differentiam hujus baptiſmi a noſtro ponebat in materia, quaſi Chriſtus baptizaſſet in igne, & Joannes in aqua. Et Calvinus utrique tribuit eandem efficaciam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poteſt intelligi dupliciter Joannem baptizaſſe 1. in forma Baptiſmi Chriſti... & tunc non diceretur proprie baptiſmus Joannis; ſicut nunc nõ dicitur baptiſmus Petri, vel Pauli. 2. alio modo poteſt intel-*

[1] 4. *inſtit. c.* 15. *n.* 7. *d.* 2. *q.* 2. *A.* 2.

intelligi baptizaſſe non in forma baptiſmi Chriſti, ſed vel in aliqua forma propria, ſc. in nomine Chriſti venturi, vel ſine aliqua forma .... iſte baptiſmus Joannis erat ſicut diſpoſitio merè præparativa ad baptiſmum Chriſti; ergo ex Scoto baptiſma Joannis non fuit ſacramentum verum.

Prob. 2. ex Script. (1) Nam ipſe Joannes fatetur, *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam; qui autem poſt me venturus eſt .... ipſe baptizabit in Spiritu S.* &c. Et Chriſtus (2) petens à Phariſæis, *baptiſmus Joannis unde erat? à cœlo, an ex hominibus?* illi non auſi ſunt reſpondere, quòd eſſet è Cœlo, quia non credebant, ſed maluerunt dicere, *neſcimus*; ſed non evaſiſſent improperium infidelitatis, ſi Chriſtus ipſe prætendiſſet illum eſſe de Cœlo; ergo, &c.

Prob. 3. Verum ſacramentum conſtat rebus, & certis verbis præſcriptis à Deo, & eſt ſignum efficax gratiæ; ſed nihil tale conſtat de illo baptiſmo; ergo &c. Prob. min. Nam conſtat ſolum, quòd ſic baptizans prædicabat Joannes pœnitentiam, & Chriſtum venturum: (3) *Baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata ſua*. Nec quidquam habetur de forma ulla verborum; imo fatetur Joannes, quòd non cauſabat gratiam per ſe; non baptizabat in Spiritu S. ſed in aqua; ergo &c.

Prob. 2. p. ex eodem textu. (4) Nam ſi cauſaſſet per ſe gratiam, Joannes ipſe non ita loquutus fuiſſet de ſuo baptiſmo, ſed fuiſſet ejuſdem efficaciæ cum baptiſmo Chriſti; uterque fuiſſet in Spiritu S. ergo ille non cauſabat per ſe gratiam.

Confir. Nam ille baptiſmus dicitur pœnitentiæ; ergo vel nihil cauſabat, niſi in virtute pœnitentiæ, vel ſolùm inducebat ad pœnitentiam.

Prob. 2. ex Patribus, qui baptiſmum illum vocant præparationem ad baptiſmum Chriſti. *Nihil cœleſte præſtabat*, inquit Tertull. *ſed cœleſtibus præminiſtrabat, pœnitentiæ ſc. præpoſitus, quæ eſt in hominis poteſtate, & opus operantis*. Unde *qui Joannis baptiſma habebant, non acceperant Spiritum S. quem nequidem auditu noverant: ergo non erat cœleſte, quod cœleſtia non exhibebat*, &c. Et S. Chryſoſt. cui Calvinus pro

 teſta-

(1) *Matth.* 5. (2) *Matth.* 21. (3) *Mar.* 1.
(4) *de bapt. c.* 10.

teſtatur non credere, citat locum ex Luca: (1) *Venit Joannes in Regionem finitimam Jordanis prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorū; quamquam remiſſionem hoc baptiſma non habebat, ſed hoc munus illius baptiſmatis erat, quod poſtea inſtituit Chriſtus. Et Joannes quidem prædicavit baptiſmum pœnitentiæ; & non ait, Remiſſionis, ſed ut crederent advenientem poſt eum.* Et Auguſt. (2) *Non renaſcebantur, qui baptizabantur baptiſmo Joannis;* ergo, &c.

Prob. denique ex Concil. Trid. (3) *Si quis dixerit baptiſmum Joannis habuiſſe eamdem vim cum baptiſmo Chriſti, Anath. ſit:* ſed ſi cauſaſſet gratiam ex opere operato, habuiſſet eandem vim cum baptiſmo Chriſti, ut patet: ergo, &c.

Objic. In baptiſmo Joannis eſt idem ſignum, & miniſterium cum baptiſmo Chriſti; ergo & eadem ſignificatio, & efficacia. Prob. ant. Erat eadem materia, ſc. aqua, & ablutio; & ſignificabat ablutionem interiorem, quæ fit per gratiam; ergo erat idem ſignum ſenſibile, idem miniſterium, ſc. ablutio, & eadem ſignificatio, ſeu efficacitas.

Reſp. diſt. utrumque ant. idem ſignum &c. materialiter, & extrinſecè, con. formaliter, & in modo operandi, & quoad ſignificationem, & in forma, neg. ant. quia non conſtat de ulla forma talis baptiſmi; nec eadem erat ſignificatio: non enim ſignificabat remiſſionem ex opere operato, ſed mediante pœnitentia, ad quam excitabat; baptiſmus verò Chriſti operatur remiſſionem per ſe, & ex opere operato. Nā dicitur (4) *baptiſma in remiſſionem peccatorum.*

Inſt. Imò baptiſma Joannis erat in remiſſionem peccatorum; ergo cauſabat gratiam; quia peccata non remittuntur ſine gratia.

Reſp. diſt. ant. in remiſſionem, mediante pœnitentia virtute, conc. ex vi talis ablutionis, ſeu operis, neg. ant. Nam dum manibus abluebat, ore prædicabat pœnitentiam; (5) *Erat baptizans, & prædicans pœnitentiam*, cujus operibus poterant juſtificari, non autem per ablutionem illam externam.

Objic.

(1) *Luc.3.Ho.10.n.5.Math.*
(2) *Enchir.49.* (3) *Seſſ.7.can.1.*
(4) *Symb. Nic.* (5) *Mar.1.*

Objic. 2. Ille baptiſmus non erat fruſtra, & illum dabat Joannes ex miſſione Dei; ergo operabatur gratiam aliquam. Patet ant. Nam Joannes dicit ſe miſſum à Deo ad baptizandum; ergo, &c. Prob. conſ. Nam ſi nihil operabatur, erat inutilis.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam, inquit Doctor, *erat diſpoſitio præparativa ad baptiſmum Chriſti, ut per illam ablutionem inclinarentur homines ad ſuſcipiendam ablutionem ſibi ſalutarem, nec eſſet ipſis moleſtum* jam *ad ſimile excitatis*.

Objic. 3. Baptiſmus ille mediabat inter circumciſionem, & baptiſmum Chriſti; ergo licèt fuerit minoris efficaciæ, quàm iſte, majorem habuit, quàm illa; ſed illa fuit ſacramentum, & cauſabat gratiam; ergo & baptiſmus Joannis.

Reſp. diſt. ant. mediabat in ratione figuræ, ac temporis, con. in ratione virtutis, & efficaciæ, neg. ant. & conſ. mediabat enim quoad tempus, quia circumciſio ad finem tendebat, & baptiſmus mox inſtituendus erat, ſed non in ratione ſacramenti; & quidem materialiter magis repræſentabat Chriſti baptiſmum, ſed non formaliter, nec ſacramentaliter.

Inſt. Dum baptizat Joannes, aperti ſunt cœli, & deſcendit Spiritus S. quod numquam fecit circumciſio; ergo ille baptiſmus fuit efficacior circumciſione.

Reſp. diſt. ant. aperti ſunt Cœli propter Chriſtum ſe humiliantem in tali baptiſmo, con. propter illum baptiſmum præciſè, neg. ant. alioqui ſuperaret etiam baptiſmum Chriſti, de quo non legitur illud miraculum.

Quæres, *an ille baptiſmus fuiſſet inſtitutus à Deo*.

Reſp. illum dici poſſe à Deo, quatenus Joannes illum dabat ex inſpiratione divina; ſed non videtur ſic inſtitutus expreſsè, & directè, ſicut noſtra ſacramenta.

Patet 1. p. ex ipſo Joanne dicente: [1] *Qui miſit me baptizare*, ſc. Deus. 2. verò, quia nullibi conſtat de tali inſtitutione in ratione ſacramenti, nec de forma ulla præſcripta, & determinata ejus, ſicut legitur de baptiſmo Chriſti, & aliis ſacramentis.

Confir. ex Tertulliano. [2] Nam inquit: *Cùm Chriſtus peteret à Phariſæis, an baptiſmus Joannis cœleſtis eſſet, an terrenus: de quo non valuerunt illi conſtan-*

[1] *Jo. 1.* [2] *l. de bapt.*

ter reſpondere, utpote non intelligentes, quia non credentes. Nos porrò, quantula fide ſumus, tantulo intellectu poſſumus æſtimare divinum quidem eum baptiſmum fuiſſe, mandatum tamen poteſtate; quod & Joannem à Domino miſſum legimus in hoc munus, cæterùm humanum conditione; nihil enim cœleſte præſtabat. Quod ſi pœnitentia humanum eſt, & baptiſmus ipſius ejuſdem conditionis fuerit, neceſſum eſt.

Differunt ergo hi baptiſmi 1. ex Auctore, ſc. ille inſtitutus erat à Joanne inſpirante Deo, hic à Chriſto immediatè; unde ille dicitur Joannis, iſte Chriſti. 2. ex effectu, iſte gratiam confert, & characterem imprimit; ille neutrum de ſe operabatur. 2. ex forma: nam ille in ſola aqua dabatur ſine forma verborum determinata, niſi forte daretur in nomine Chriſti venturi; iſte in forma determinata ab ipſo Chriſto. 4. ex ſubjecto: nam ille dabatur ſolis adultis, qui ſoli ſunt capaces pœnitentiæ, ad quam excitabat, & circumciſis, quibus erat remiſſum originale; iſte etiam pueris, & gentilibus, quos ſanctificat ab originali. 5. denique ex ſignificato: nam ille præfigurabat iſtum, ut diſpoſitio, & præparatorium ejuſdem: conveniebant autem in ſola materia, & ablutione ex aqua.

QUÆSTIO V.

De inſtitutione baptiſmi, quando contigerit, & quando inceperit eſſe de præcepto.

QUærimus 1. an baptiſmus fuerit inſtitutus ante, vel poſt mortem, & Reſurrectionem Chriſti. 2. ex quo tempore fuerit neceſſarius ex præcepto.

CONCLUSIO I.

P*Robabilius eſt Chriſtum inſtituiſſe ſuum baptiſmum ante mortem ſuam, & circa initium ſuæ prædicationis.*

Prob. 1. ex Scoto: (1) *Quando primò fuit inſtitutus, dubium eſt 1. non quidem quando Chriſtus baptizatur à Joanne; quia ille non fuit baptiſmus Chriſti, id. in for-*

(1) *d.3.q.4.A.2.Matth.ult.Jo.3.*

forma Chriſti, ſed Joannis. Tamen Chriſtus dedicavit tunc aquam, ut materiam idoneam ſuo baptiſmo. 2. *nec etiam in colloquio cum Nicodemo, Niſi quis renatus fuerit, &c. quia non eſt veriſimile tam neceſſarium ſacramentum in conclavi, & coram perſona privata inſtitui, quæ non debuit eſſe præco inſtitutionis illius.* 3. *nec differebatur inſtitui uſque ad tempus Aſcenſionis, cùm dixit, Docete omnes gentes baptizantes eos, &c. Nam diſcipuli ante aſcenſionem baptizabant baptiſmo Chriſti. Nam diſcipuli Joannis querebantur coram illo: Rabbi, cui teſtimonium perhibuiſti, ecce ipſe baptizat, & omnes veniunt ad eum; ergo tempus illius inſtitutionis fuit ante tempus mortis, & aſcenſionis, quo diſcipuli ejus baptizabant, licèt præcisè hora inſtitutionis ejus non legatur in Euangelio.*

Prob. 1. p. Nam, præter rationem allatam Scoti, & textus illos Scripturæ, adeſt alius ex Luca, qui dicit de Apoſtolis, quòd Chriſtus [1] *miſit eos ante faciem ſuam in omnem locum, quò erat ipſe venturus*: & hoc (inquit S. Bonaventura) *ad prædicandum, & baptizandum, quia hoc ordine fit introitus in Eccleſiam*, ſcilicet per ſuſceptionem fidei, & baptiſmi.

Confir. 1. ex Aug. dicente, quòd Chriſtus baptizabat non ſuis manibus, nec per ſe immediatè, ſed per Apoſtolos; *Nam diſcipuli præbebant miniſterium corporis, præbebat ille adjutorium majeſtatis*; ergo ante mortem inſtituerat baptiſmum, & baptizabat.

Confir. 2. Nam inſtante morte inſtituit Euchariſtiam, & Apoſtolos ordinavit ſacerdotes dicens, [2] *Hoc facite* &c. ergo jam erant baptizati, quia baptiſmus eſt janua ſacramentorum. Nam, inquit idem Auguſt. [3] *Quomodo poterant diſcipuli ſumere Euchariſtiam nondum baptizati?* Et idem probat ex alio textu, [4] quo Chriſtus dicit Petrum jam lotum, ſeu baptizatum. *Quomodo Petro volenti, ut totum ſe lavaret, Chriſtus reſpondet; qui lotus eſt ſemel, non oportet eum iterum lavari? ubi intelligitur, quòd jam Petrus erat baptizatus.* Idem S. Doctor putat Judam baptizaſſe validè. Nam inquit: *Cùm tantùm diſtaret inter Petrum, & Judam, nihil tamen diſtabat inter baptiſmum, qui dabatur per Petrum, & qui dabatur*

[1] *Luc.* 10. [2] *tr.* 5. *& 6. in Jo.*
[3] *Ep.* 108. [4] *de unct. Eccle.*

per Judam; ergo tam Petrus, quàm Judas baptizabat ante mortem Chriſti.

Prob. 2. p. rationibus Doctoris. Non enim poteſt aſſignari aliud tempus juxta textum Euangelii; ergo probabilius dicitur iſtud, ſc. circa initium prædicationis ſuæ. Prob. ant. 1. quia non ante ſuſceptum baptiſmum Joannis; quia nondum ſanctificaverat aquas, nec adhuc approbaverat figuram, & præparatorium ſui baptiſmi, nec cœperat prædicare, nec inchoaverat ſtructuram Eccleſiæ, nec carceratus fuerat Joannes; ergo non priùs inſtitutus eſt baptiſmus Chriſti, quàm circa initium prædicationis. Prob. ant. 1. quia antequam Chriſtus iret ad Joannem, iſte prædicebat ejus adventum, & futuritionem baptiſmi ejus longè efficacioris ſuo: *Parate viam Domini .... venit fortior me ... ipſe baptizabit in Spiritu S.* Et dum baptizat Chriſtum, *aperti ſunt Cœli ſuper eum*, & declaratur Filius Dei; nec antea cœperat prædicare, nec habere diſcipulos, (1) qui ſunt *congregati in omni tempore, quo intravit inter nos I. incipiens à baptiſmate Joannis*, &c.

2. Non in ipſo tempore, quo baptizatur à Joanne, ut volunt aliqui: nam de hoc nihil conſtat in Euangelio; nec ipſe baptizatus eſt in forma ſui baptiſmi, ſed Joannis; nec ibi agebat perſonam legislatoris, ſed privati, & quaſi ſubditi, & quaſi pœnitentis, licèt tunc cogitaret de ſuo, & ad hoc ſanctificaret aquas.

3. Reſtat, ut paulò poſt ſuſceptum baptiſma à Joanne, & poſt jejunium quadrageſimale in deſerto, cùm ſeceſſiſſet in terram Zabulon, & habitaſſet in Capharnaum maritima, & exinde cœpiſſet prædicare juxta mare Galileæ, ubi vocavit Petrum, & Andream, & alios, cum quibus peragrabat regiones prædicans, (2) & *veniens in Judæam baptizabat*; & tunc *nondum miſſus erat Joannes in carcerem ....* cujus diſcipuli querebantur, quòd Jeſus (3) *baptizabat, & omnes veniebant ad eum*: ergo Chriſtus inſtituit baptiſmum ſuum, & baptizabat cum diſcipulis ſuis ante carcerationem Joannis, & ante ſuſceptum ab eo baptiſmum; ergo & circa initium prædicationis ſuæ; nec poteſt aliud tempus talis inſtitutionis aſſignari probabilius juxta textum Euangelii.

Dices,

[1] *Act.* 1. [2] *Matth.*4. [3] *Jo.* 3.

Dices poſſe aſſignari tempus colloquii cum Nicodemo, ubi docet baptiſmi hujus neceſſitatem dicens; *Niſi quis renatus fuerit* &c.

Contra. Nam, ait Doctor, *Illud colloquium habuit in conclavi, & privatim cum viro privato, qui non deſtinabatur miniſterio promulgationis Evangelii. Non eſt autem veriſimile tam neceſſarium ſacramentum pro omnibus in conclavi coram privata perſona inſtitutum fuiſſe.*

Objic. 1. Tunc inſtituit Chriſtus baptiſmum, quando juſſit illum prædicari; ſed hoc fecit poſt reſurrectionem, & aſcenſurus in Cœlum; ergo non antè inſtituerat. Prob. min. tunc enim dixit: (1) *Euntes docete omnes gentes baptizantes* &c.

Reſp. diſt. min. poſt reſurrectionem explicitè quoad gentes, con. abſolutè, & indeterminatè, neg. min. & conſ. prob. Nam illa miſſio, & juſſio fuit explicita quoad alias nationes, quia antea dixerat, *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt de Iſrael*, ut ibi per ſeipſum prædicaret.

Inſt. Per baptiſmum datur Spiritus S. ſed Spiritus S. non fuit datus niſi poſt aſcenſionem; ergo nec baptiſmus fuit inſtitutus ante aſcenſionem. Prob. min. quia ante aſcenſionem (2) *nondum Spiritus S. erat datus, quia Chriſtus nondum erat glorificatus*. Et ad Apoſtolos, [3] *Vos autem baptizabimini Spiritu S. non poſt multos hos dies*; ergo &c.

Reſp. diſt. mai. & min. datus modo inviſibili, con. maj. & neg. min. modo viſibili, & in linguis igneis, & pro aliis donis ſpectantibus ad munus Apoſtolicum, neg. min. & conſ. Nam quoad gratiam ſanctificantem jamdiù illum acceperant Apoſtoli, non autem ſolemniter, & viſibiliter, ut in die Pentecoſtes.

Objic. 2. Ante aſcenſionem non legitur, Chriſtum miſiſſe Apoſtolos ad baptizandum, ſed ſolùm dediſſe illis (4) *poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & ut languores curarent; & miſit illos prædicare*; ergo nec antea inſtituerat baptiſmum.

Reſp. diſt. ant. ad baptizandas gentes omnes, con. abſolutè, & in Iſrael, neg. ant. Nam diù ante legimus, quod cum Apoſtolis, & per illos baptizabat;

 ſed

(1) *Matth.* 28. (2) *Jo.* 7. [3] *Act.* 1.
[4] *Luc.* 9.

ſed in illo loco fit mentio de novis donis, & poteſtatibus concernentibus munus Apoſtolicum. Nam antea legitur, quòd J. (1) *non baptizaret, ſed diſcipuli ejus*.

Objic. 3. Patres docent, quòd baptiſmus non erat inſtitutus ante reſurrectionem; ergo, &c. Prob. ant. Nam inquit Tertull. (2) *Ante reſurrectionem Apoſtoli tingebant, ut Joannes ante Præcurſor, eodem baptiſmo Joannis, ne quis alio putet; quia nec alius extat, niſi poſtea Chriſti, qui tunc utique à diſcentibus dari non poterat, utpote nondum adimpleta gloria Domini, nec inſtructa efficacia lavacri per paſſionem, & reſurrectionem*. Et Chryſoſt. [3] *Utrumque baptiſma & Joannis, & diſcipulorum ſimiliter expers ſpiritus erat.* Et S. Leo ad Epiſcopos Siciliæ ſcribit, [4] quòd *Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis ſuis poteſtatem, & formam tradidit baptizandi*; ergo ex Patribus baptiſmus non fuit inſtitutus ante reſurrectionem.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nec enim ad præſentem quæſtionem ſic locuti ſunt illi Patres, ſed aliud agentes; præterquam quòd iſtis opponuntur alii Patres, qui cenſent contrarium, ut Auguſtinus citatus. Et certè quis credet Chriſtum, & Apoſtolos ejus baptizaſſe baptiſmo Joannis?

Inſt. Effectus non præcedit cauſam; ſed paſſio eſt cauſa efficaciæ baptiſmi; ergo debuit præcedere inſtitutionem baptiſmi. Prob. min. tum ex Script. [5] *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus*: tum quia certum eſt, omnia ſacramenta vim ſuam habere ex meritis mortis Chriſti; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. ex meritis præſentibus, vel prævifis, con. ex præſentibus ſolis, neg. min. & conſ. prob. Nam ſicut circumciſio habuit vim ſuam ex prævifis illis meritis, ita & baptiſmus, qui conferebatur ante mortem ejus. Idem eſt de omnibus gratiis datis ab initio mundi.

Objic. con. 2. p. Patres docent, quòd in baptiſmo paſſivo Chriſti à Joanne vim acceperunt aquæ ad abluendas animas; ergo ibi inſtitutus eſt baptiſmus Chriſti. Prob. ant. Nam inquit Ambroſ. *Baptizatus eſt*

[1] *Jo.* 3. & 4. [2] *de bap. c.* 11. [3] *hom.* 20.
[4] *Ep.* 4. *c.* 3. [5] *Rom.* 6.

eſt Dominus, non mundari volens, ſed mundare aquas, ut abluta per carnem Chriſti, quæ peccatum non novit, baptiſmatis jus haberent. Idem docent Nazianz. Hilarius, & alii; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. vim, id. deſignationem in materiam baptiſmi, & ſic eam ſanctitatem extrinſecam, & denominativam, con. vim intrinſecam, & effectivam, neg. ant. & conſ. Nam Patres non poſſunt loqui de hac ſanctitate, & virtute; alioqui omnis aqua jam ſanctificaret, & etiam extra baptiſmum etiam phyſice; quia tetigit phyſice carnem Chriſti; ſed conſequens eſt abſurdum, & falſum; ergo &c.

CONCLUSIO II.

Baptiſmus a tempore ſuæ inſtitutionis uſque ad promulgationem Euangelii fuit de conſilio, & utilis; ſed poſt promulgationem fuit de neceſſitate præcepti.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Dico, quod in baptiſmo non eſt diſtinguere niſi duo tempora: 1. quo erat ſub conſilio; & 2. quo erat ſub præcepto: 1. duravit a principio, ex quo prædicabatur Euangelium, ut baptiſmus per Chriſtum, vel per Apoſtolos uſque ad prædicationem ſolemnem authenticam ejuſdem poſt aſcenſionem Chriſti. 2. tempus, ut credo, incepit die Pentecoſtes in Jeruſalem; quia uſque ad illum diem Apoſtoli non prædicaverunt publice .... inde autem ad alias civitates* &c. Dixerat autem, [2] quod, *ſi ante paſſionem aliquis Judæus ad prædicationem Chriſti, vel Petri parvulum ſuum baptizaſſet, & non circumcidiſſet, ſi parvulus fuiſſet mortuus, ſalvus fuiſſet, quia recepit gratiam in baptiſmo: a prima enim inſtitutione baptiſmus contulit gratiam*: ergo baptiſmus a die ſuæ inſtitutionis fuit de conſilio, & utilis.

Prob. 2. Nam ex eo die fuit verum ſacramentum æque, ac poſt ſolemnem ejus publicationem, & nunc; ergo ex vi, & ex die ſuæ inſtitutionis habuit efficaciam gratiæ, & utilitatem.

Confir. Nam qui ante paſſionem, & aſcenſionem fuerunt baptizati, non debuerunt iterum baptizari; ergo ex tunc baptiſmus habuit efficaciam; alioqui debuiſſent iterum baptizari. Quod autem tunc fuerit

K 5 tan-

[1] *Ibid. H. 11.* [2] *Ibid. F. 8.*

tantum de conſilio patet, quia tunc adhuc vigebat lex circumciſionis, quia non fuit evacuata, niſi per mortem Chriſti, & promulgationem ſolemnem novæ legis. In morte Chriſtus clamavit, *conſummatum eſt*. Nulla autem lex obligat, niſi ſit rite promulgata. Hinc

Prob. 2. p. Nam lex præceptiva incipit obligare, quando rite eſt promulgata; ſed poſt Pentecoſten lex de baptiſmo fuit rite promulgata, ſc. cum Euangelio, in quo dicitur, *Niſi quis renatus fuerit* &c. ergo ex tunc fuit de neceſſitate præcepti.

Dico, *præcepti*, & non *medii* pro iis, quibus remiſſum erat originale, v. g. pro circumciſis, quibus per illud ſacramentum fuerat remiſſum.

Objic. 1. Tam ante mortem, & Pentecoſten dictum erat, *Niſi quis renatus fuerit* &c. quam poſt; ergo tam ante mortem baptiſmus erat de præcepto.

Reſp. diſt. ant. dictum erat pro tempore alio brevi futuro, ſc. pro tempore promulgationis Euangelii, & evacuationis legis Moſaicæ, con. pro ipſo tempore præſenti, quo præceptum dabatur, neg. ant. Nam Chriſtus id non dixit ad aſtruendam neceſſitatem baptiſmi pro tempore illo præſenti, ſed pro illo, quod erat determinaturus.

Objic. 1. Pro eo tempore obligavit præceptum baptiſmi, quo ceſſavit lex circumciſionis; ſed hæc ceſſavit in prædicatione Joannis, quæ fuit ante mortem Chriſti; ergo ante mortem Chriſti baptiſmus erat de præcepto. Prob. min. [1] *Lex, & Propheta uſque ad Joannem prophetaverunt*, & baptiſmus etiam tunc erat in uſu; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam ille locus probat ſolum, quod Prophetæ prædixerunt ventura uſque ad Chriſtum, qui contemporaneus erat Joannis; & iſte oſtendit præſentem, quem illi prædixerunt futurum: & tunc baptiſmus erat quidem in uſu ex conſilio, non ex præcepto.

Objic. con. 2. p. In morte Chriſti ſynagoga, & tota lex mortua eſt, & emerſit Eccleſia de latere ejus; ergo ex tunc obligare cœpit lex baptiſmi, & ante Pentecoſten. Prob. conſ. Nam pro tempore inter mortem illam, & Pentecoſten mundus non fuit ſine lege,

[1] *Matth.* 11.

ge, vel ſacramento, & remedio peccati; ſed non poterat adeſſe aliud, quam baptiſmus extincta circumciſionis lege; ergo &c. Certè pro tunc circumciſio, vel baptiſmus obligabat.

Reſp. diſt. ant. & maj. mortua eſt lex quoad obligationem, & quoad neceſſitatem, con. quoad utilitatem, neg. ant. & maj. Nam uſque ad promulgationem ſolemnem Euangelii licita, & utilis erat tam circumciſio, quam baptiſmus in remedium peccati.

Inſt. Per mortem Chriſti conſummatum eſt novum teſtamentum: nam, ex Auguſtino, *per mortem teſtatoris incipit valere teſtamentum*; ergo ſtatim poſt mortem Chriſti lex baptiſmi cœpit obligare.

Reſp. diſt. ant. conſummatum fuit ad obligandum pro tempore promulgationis, con. ante promulgationem, neg. ant. Nam in humanis teſtamenta ſunt conſummata per mortem teſtatorum, ſed non obligant, niſi publicata pro tempore ſtatuto per leges.

Inſt. 2. ex Apoſtolo. [1] *Chriſtus dicendo novum veteravit prius: quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt:* ergo vetus teſtamentum ſtatim mortuum eſt poſt novi pronuntiationem, & mortem teſtatoris Chriſti; ergo nulla reſponſio.

Reſp. neg. conſ. imò ille textus facit pro nobis: non enim dicit, quòd abſolutè interiit; ſed quòd *ſenuit, & propè interiit*: ergo non penitus interiit ſtatim quoad omnem utilitatem, donec ſolemniter publicatum fuerit novum.

QUÆSTIO IV.

De neceſſitate Baptiſmi, an, & quibus ſit neceſſarius.

MOx dicebamus, baptiſmum aliquando cœpiſſe eſſe neceſſarium ex præcepto, ſcil. poſt ſolemnem Euangelii publicationem. Jam magis ex profeſſo examinamus illam neceſſitatem, qualis, & quanta ſit. An medii, ita ut ſine illo ſalus haberi non poſſit? An præcepti, ita ut ceſſante præcepto poſſemus ſalvari ſine baptiſmo? Neceſſitatem medii negabant Pelagiani, qui peccatum originale non agno-

[1] *Heb.* 14.

ſcebant, nec alium effectum baptiſmo tribuebant, quàm jus quoddam ad regni cœleſtis aſſecutionem. Sed peiores erant Manichæi, qui ſic ejus utilitatem negabant, ut aquas ipſas, ſicut & alia corporalia dicerent eſſe à diabolo. VValdenſes inutilem illum dicebant; Calvinus, & alii non tribuunt illi niſi neceſſitatem præcepti.

CONCLUSIO.

B*Aptiſmi ſacramentum in re, vel in voto eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, & medii.* Eſt de fide contra dictos hæreticos.

Prob. 1. de neceſſitate præcepti ex Scoto: [1] *Promulgatio hujus ſacramenti fuit duplex: una per modum conſilii; alia per modum præcepti .... debuit autem aliquando ſequi promulgatio per modum præcepti.* Et dicit, [2] quod cœpit eſſe de præcepto à die Pentecoſtes in Jeruſalem, ut diximus ſupra: & quoad parvulos tenet oppoſitum Pelagii, *quia cùm ſecundum ſcripturam, & fidem parvuli contrahant originale peccatum, ad ejus deletionem, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, ſunt baptizandi.* Et citat Auguſtinum [3] dicentem: *Firmiſſimè tene, parvulos, qui ſine ſacramento baptiſmi de hoc ſæculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos;* ergo reſpectu adultorum fuit poſt Pentecoſten de neceſſitate præcepti, & pro parvulis poſt evacuatam circumciſionem eſt de neceſſitate medii.

Prob. 2. ex Script. & Concil. Nam Chriſtus abſolutè dixit: [4] *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non poteſt introire in regnum Dei,* quod cit. Concil. [5] Florent. dicens; *Niſi ex aqua, & Spiritu Sancto renaſcimur, non poſſumus in regnum cœlorum introire.* Et Trident. [6] *Si quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt non neceſſarium ad ſalutem, Anath. ſit.* Item, [7] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit:* ergo etiam adultis non ſufficit fides ſola ad ſalutem, ſed neceſſarius eſt baptiſmus, ſaltem in voto, ſi haberi non poſſit in re. Et idem

(1) *Ibid. D. E.* [2] *d. 4. q. 1. A. 2.* [3] *de Fid. ad Pe.*
[4] *Jo. 2.* [5] *decr. unun.*
[6] *Seſſ. 7. can. 5.* [7] *Matth. 28.*

idem Conc. [1] *Poſt Euangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri.... non poteſt juſtificatio*. Idem habetur ex Concil. Milevitano, & Carthag. teſte Auguſtino.[2]

Dices pro hæreticis, nomen *aquæ* ſumi metaphoricè pro gratia ipſa Spiritus S. vel pro illa, *quæ fluxit ex latere Chriſti, & ſignificat ejus paſſionem, aut mortificationem carnis*, ait Zuinglius.

Contra. Id dicere non deberent hæretici alias zelantiſſimi pro ſenſu litterali, etiam quando rationabiliter non convenit textui Scripturæ; ſed illis textibus non diſconvenit ſenſus litteralis de aqua vera; ergo de illa debent intelligi,& nô in ſenſu metaphorico; & vanæ ſunt illæ cavillationes.

Prob. 3. Nam ex perpetua traditione conſtat, cum ſumma diligentia proviſum fuiſſe parvulis, & Catechumenis periclitantibus de vita, ut ſine mora baptizentur; ergo credidit ſemper Eccleſia hoc medium eſſe abſolute neceſſarium parvulis, & adultis ſaltem in voto, ſi actu non poſſit haberi.

Prob. ex Patribus. Nam inquit Tertull. [3] *Præſcribitur nemini ſine baptiſmo competere ſalutem, ex illa maxime pronuntiatione Domini, qui ait: Niſi ex aqua quis renatus erit, non habet vitam*. Et Ambroſ. [4] in eumdem locum, *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua præventum neceſſitate*. Et ſic de aliis. Ratio petitur ex Dei voluntate, qui ad remiſſionem originalis ſic ſtatuit, ut patet ex Scriptura, & traditione cit.

Objic. pro Pelagianis; quia non datur peccatum originale; ergo ruit fundamêtum neceſſitatis baptiſmi.

Reſp. neg. ant. cujus falſitas patet ex tract. de hoc peccato.

Inſt. Saltem filii fidelium non habent illud peccatum; ergo nec illam neceſſitatem. Prob. ant. Nam [5] *Sanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem: alioqui filii veſtri immundi eſſent, nunc autem ſancti ſunt*; ergo filii fidelium naſcuntur ſine peccato.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam, ut alibi dictum eſt, illa ſanctitas filiorum reſpondet ſanctitati mulieris infidelis, quam dicit ſanctificari per virum fidelem ſe.

[1] *ſeſſ.* 6. *c.* 4. [2] *Ep.* 90. *&* 62. [3] *de Bapt.* 12. [4] *ibid. c.* 3. [5] 1. *Cor.* 7.

ſc. ſanctitate externa, & legali in facie Eccleſiæ legitimantis matrimonium, & filios inde genitos.

Objic. 2. Chriſtus dicit: [1] *Sinite parvulos venire ad me; talium eſt enim Regnum cœlorum*; ergo parvuli ſine baptiſmo ſalvari poſſunt.

Reſp. neg. conſ. Nam illi parvuli ſunt adulti humiles, ut patet ex ipſo textu. *Qui ſunt parvuli, niſi humiles* (ait Auguſt.) *parvuli malitia carentes, non ſenſu, iſtis revelantur myſteria divina*.

Objic. 3. Si ex illo textu probaretur neceſſitas baptiſmi, idem eſſet de Euchariſtia; ſed conſ. eſt falſum per nos; ergo, &c. Prob. maj. Nam univerſaliter dictum eſt, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam*; ergo ſi prior ille textus comprehendit parvulos, ita & iſte; ergo eadem pro iſtis erit neceſſitas Euchariſtiæ.

Reſp. neg maj. & ant. quia cum parvuli non ſint capaces illius manducationis, hic ſecundus locus non poteſt illis convenire: ſunt autem capaces baptiſmi, ut videbimus, in re, vel in voto. Nam adulti, qui credunt, & conteruntur, poſſunt juſtificari, & ſalvari, ſi habeant ſaltem affectum ſuſcipiendi baptiſmum, quãvis illum non poſſint actu ſuſcipere propter aliquam impoſſibilitatem, & ceſſante eorum culpa, ut docet Trident. cit. [2] Item excipitur caſus martyrii, in quo pueri, & adulti baptizantur in ſuo ſanguine.

CONCLUSIO II.

Poſt ſufficientem promulgationem Euangelii quilibet adultus ſufficienter inſtructus tenetur ſuſcipere baptiſmum quam primum poteſt. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [3] *Poſt baptiſmum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercumque juſtificatus, qui non implevit illud præceptum, cum quo Deus non diſpenſavit ſpecialiter, ut non teneretur ad illud, tenetur ad baptiſmum affectu, & pro loco, & tempore, ſi manet nobiſcum viator, quouſque poteſt commode recipere in effectu*: nam dicens, *quouſque poteſt, & pro loco, & tempore*, ſatis indicat id fieri debere quam primum.

Prob. 2. ex Patribus; ut cum Chryſoſt. invehitur in eos, qui differunt baptiſmum uſque in finem vitæ ſub ſpe

[1] *Matth. 19.* [2] *ſeſſ. 6. c. 4.* [3] *d. 4. q. 6. A.*

ſpe illũ tunc recipiendi cũ remiſſione peccatorum, dicens, quod illi *circa diem mortis diſceſſerunt vacui: Deus enim propter hoc baptiſma tribuit, ut ſolvat peccata, non ut addat*. Periculoſa ergo eſt dilatio, & mala.

Prob. 3. rationibus Scoti; quia non tantum probant abſolutam neceſſitatem iſtam indeterminate pro aliquo tempore vitæ hujus, ſed etiam pro quam primum poteſt; ergo, &c. Prob. ant. 1. quia qui ſine gravi cauſa nimium differunt, negligunt adſcribi in familiam Chriſti, in quam admittuntur per baptiſmum, & negligunt etiam remedium neceſſarium, & obedientiam præcepti in re graviſſima; ergo peccant graviter.

2. *Quia quilibet viator tenetur eſſe membrum Eccleſiæ militantis... quantum in ſe eſt ... & in aliis membris communicare ... & eos non ſcandalizare ... Quando autem non acciperet ſacramentum, per quod fit membrum Eccleſiæ .... non eſſet aptus ad communicandum cum aliis membris ... & ſcandalizaret etiam alia membra, quæ haberent occaſionem judicandi ipſum contemnere ſacramentum*: ſed hæ rationes urgent ad ſuſcipiendum baptiſmum, quam cito fieri poteſt; ergo, &c.

3. Quia qui differt ſuſcipere illum, privat ſe ſummis bonis, quæ tam facile poſſet habere, & illa negligit; ſed illa negligentia in re tanti momenti non poteſt eſſe ſine gravi peccato; nec ſine ſcandalo: privat enim ſe auxiliis gratiæ, & ad minus augmento charitatis; & exponit ſe periculo moriendi ſine illo ſacramento, & cadendi in graviora peccata, quæ vitaret per illa auxilia; quod poſſet Deus permittere ex juſto judicio propter illam negligentiam. Nam inquit Auguſt. *Hac diverſione percutitur peccator, ut, cum moritur, obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei*.

Denique ſi homo non tenetur baptizari quam primum poteſt, nullum aliud tempus certum poteſt aſſignari, in quo teneatur implere hoc præceptum.

Hoc etiam probari poteſt ex dictis de præcepto charitatis, & fidei, & ſpei.

Objic. 1. Non magis tenetur Catechumenus ad baptizari, quam peccator ad confiteri; ſed iſte non tenetur quam primum confiteri; ergo, &c. Prob. min. Nam præceptum Eccleſiæ non obligat ad confeſſionem, niſi ſemel in anno; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. neg. maj. Nam, ut patet ex rationibus allatis, longe major eſt neceſſitas baptiſmi, quam confeſſionis; iſta ſuppleri poteſt per contritionem perfectam cum voto confitendi ſuo tempore, non autem baptiſmus in caſu concluſionis: duplici titulo tenetur baptizari, ſc. pro remiſſione originalis, & aliorum peccatorum; & ut fiat membrum Eccleſiæ, & capax aliorum ſacramentorum.

Reſp.2. incertam mihi eſſe minorem, de quo dicemus ſuo loco, Deo dante.

Objic.2. Poſſet quis differre baptiſmum uſque ad finem vitæ, ut moreretur cum majori gratia, ſc. cum gratia baptiſmali, quæ remitteret culpam, & pœnam; ergo non peccaret differendo.

Reſp.neg.ant. Nam qui ſic vellet, temere ageret, ſicut qui differunt pœnitentiam in illud tempus. Sanctus Petrus [1] neutram dilationem permittebat: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum.*

Objic.3. Non tenemur quam primum implere alia præcepta affirmativa; ſed iſtud eſt affirmativum; ergo, &c

Reſp. neg. maj. Nam tenemur credere, & amare Deum, quam primum proponitur illa obligatio: ita eſt a fortiori de baptiſmo recipiendo.

De parvulis certum eſt, quod ex præcepto, & uſu Eccleſiæ baptizantur, quam primum fieri poteſt poſt nativitatem, quod patet ex Concilio Conſtantienſi: *Propter periculum mortis, quod poteſt ſæpe contingere, cum ipſis non poſſit alio remedio ſubveniri, quam per ſacramentum hujuſmodi .... Admonet* [Synodus] *non eſſe per dies, vel aliud tempus, juxta quorumdam obſervantiam, ſacrum baptiſma differendum*: [imo ſi urgeat periculum vitæ] *mox ſine ulla dilatione baptizentur, etiam a laico*; ergo, &c.

QUÆ-

[1] *Act.* 1.

QUÆSTIO VII.

An & quomodo ſuppleri poſſit baptiſmus tam in adultis, quam in parvulis.

BAptiſmi neceſſitas magis patebit ex hujus quæſiti reſolutione. Jam diximus diſtingui triplicem baptiſmum *flaminis*, *fluminis*, & *ſanguinis*: primus eſt pro adultis, qui in caſu neceſſitatis non potentes recipere baptiſmum, juſtificationis gratiam recipiunt mediante contritione perfecta cum voto ſuſcipiendi baptiſmum. 2. eſt pro utriſque, dum in pari neceſſitate, & pro fide martyrium patiuntur, & ſic baptizantur in proprio ſanguine. 3. eſt verus baptiſmus, de quo dictum eſt, quod fit in aqua vera. Quærimus hic, an vere ſuppleri poſſit baptiſmus fluminis per baptiſmum flaminis, aut ſanguinis.

De pueris jam certum eſt, quod cum non ſint capaces actuum fidei, ſpei, charitatis, nec pœnitentiæ, baptiſmus flaminis illis prodeſſe non poteſt: reſtat dubium de martyrio, ſeu baptiſmo ſanguinis.

CONCLUSIO I.

QUando neceſſitas impedit ſuſceptionem baptiſmi fluminis in adultis, effectus ejus haberi poteſt per baptiſmum flaminis, aut ſanguinis.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. in præced. Nam ibi docet, quod *quilibet, etiam juſtificatus, qui non implevit præceptum, tenetur ad baptiſmum affectu*, &c. Et pro Martyrio dicit, quod, *ſi baptiſmus ſanguinis eſt completus, qui ſic baptizatus moritur ... non obligatur ad præceptum*, ſc. baptiſmi fluminis; ergo per illum affectum cum aliis requiſitis ad baptiſmum flaminis, & per martyrium perfectum ſuppletur baptiſmus fluminis quoad gratiam, & præceptum.

Prob. 2. de baptiſmo flaminis ex Conc. Trid. (2) dicente, *Sacramenta novæ legis eſſe neceſſaria, & ſine illis, aut eorum voto non poſſe homines ſanari, aut juſtificationis gratiam adipiſci*: ergo ſentit hominem poſſe conſequi gratiam juſtificationis cum voto ſacramen-

[1] *ibid. A. & C. 2. & 4.* [2] *ſeſſ. 7. c. 4.*

menti hujus. Et idem docet de ſacramento pœnitentiæ [1] mediante contritione.

Prob.3. ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [2] *Invenio, non tantum paſſionem pro nomine Chriſti id, quod deerat, ſupplere, ſed etiam fidem, converſionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt.*

Prob.4. quia Deus impoſſibilia non jubet; ergo cum novit pœnitentiam, & bonam voluntatem obediendi huic præcepto, non denegat gratiam baptiſmi, ſuppoſitis illis diſpoſitionibus cum impoſſibilitate inculpabili.

Dico, *inculpabili*; nam de illo, qui ex longa, & culpabili negligentia incurreret eam impoſſibilitatem, nollem aſſerere illum habiturum talem gratiam; nec etiam vellem id negare, modo ſyncere doleret de hac negligentia, ne videar limites præſcribere divinæ clementiæ. Dicerem, quod Auguſtinus dicit de ſera pœnitentia: *Pœnitentiam dare poſſum, non ſecuritatem.*

Prob. 2. p. de Martyrio ex Script. [3] *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et, [4] *Qui perdiderit animam ſuam propter me, ſalvam faciet eam.* 2. ex Patribus: nam inquit Auguſt. [5] *Quicumque, non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi lavarentur ſacro fonte baptiſmatis. Qui enim dixit, niſi quis renatus fuerit, &c. non minus generaliter dixit, qui me confeſſus fuerit*, &c. Et S. Cyprian. [6] *Numquid vis baptiſmi poteſt eſſe maior, aut potior, quam confeſſio, quam paſſio?* Item ex Conſtitut. Apoſtol. S. Clementis: (7) loquor de vero martyrio.

Dixi, *quando neceſſitas impedit ſuſceptionem baptiſmi*: nam in hoc ſolo caſu diſpenſatur homo ab hoc præcepto generali: unde ſi martyr ſupervivat ſuis pœnis, tenetur baptizari.

Objic. 1. Præceptum baptiſmi eſt abſolutiſſimum, & ſine exceptione: *Niſi quis renatus fuerit*, &c. ergo nullo medio poteſt ſuppleri.

Reſp.

[1] *ſeſſ.* 14. *c.* 4. [2] 4. *cont. Donat.* [3] *Matth.* 10.
[4] *Luc.* 12. [5] 13. *Civ.* 7. [6] *Ep.* 37.
[7] *lib.* 5. *cap.* 5.

Reſp.neg.conſ. Nam, ut dicebam, Deus impoſſibilia non jubet: imo videtur aliquando contentus ſola fide, quod maxime verum erit in caſu impoſſibilitatis. Dicit enim: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*; ergo videtur in aliquo caſu contentus ſola fide.

Objic. 2. Si martyrium ſuppleret baptiſmum, eſſet nobis liberum eligere; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c. maj. patet ex Cypriano cit. qui tribuit majorem vim martyrio, & ſic melius eſſet. Prob. min. tum quia præceptum non admittit hanc optionem, *Niſi quis renatus*, &c. tum quia ſic homo poſſet negligere baptiſmum expectans occaſionem martyrii.

Reſp.neg. maj.& diſt.prob. melius eſſet, cæteris paribus, & in caſu neceſſitatis, conc. abſolute, & ſi baptiſmus ſit poſſibilis, neg. ant.Nam prius ſunt implenda opera præcepta, quale eſt iſtud; martyrium verò non eſt præceptum abſolute.

Objic.3. Nulla lex ſtatuit martyrium pro medio ſalutis; ergo non poteſt ſupplere defectum baptiſmi, quem lex præcipit ut medium ſalutis. Prob.ant. 1. non lex naturæ, quia potius dictat bonum vitæ præferendum aliis omnibus. 2. non lex poſitiva; quia nullibi legitur; ergo, &c.

Reſp. neg.ant. & prob.eius. Nam 1. lex naturæ dictat credendum Deo loquenti, & eum ſuper omnia diligendum; ergo & dictat fidem, & charitatem in Deum præferendas eſſe propriæ vitæ. 2. lex poſitiva dicit, [1] *certandum eſſe pro juſtitia uſque ad mortem*. Et Chriſtus dicit: [2] *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum*, & non aliter.Et, *Qui perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam*. E contra, *qui invenerit animam ſuam, perdet eam*. Marcus addit: [3] *Propter me, & Euangelium meum*. Et, *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam*.

CONCLUSIO II.

In caſu etiam neceſſitatis baptiſmus ſuppleri poteſt in pueris per martyrium ipſis illatum in odium fidei. Eſt communis.

Prob.

[1] *Eccle.*4. [2] *Matth.*10. [3] *Mar.*8.

Prob.1.ex Scoto.[1] *Si quis perſequitur matrem gravidam, eadem de cauſa perſequitur parvulum in utero eius; ergo ſi mater occiditur pro juſtitia, ſimiliter & parvulus; ſi autem parvulus occideretur extra uterum, haberet baptiſmum ſanguinis, ſi pro juſtitia, vel fide occideretur, etiam non baptizatus*. Et S. Thomas dicit, [2] quod *effuſio ſanguinis propter Chriſtum vicem gerit baptiſmatis*. Citatur etiam S. Bonaventura, [3] & id aperte docet de SS. Innocentibus.

Prob.2.ex Patribus. Nam inquit Bernard. *Merito Eccleſiam præſumere non ſolum parvulis baptizatis in ſua fide ſalutem, ſed etiam interfectis pro Chriſto infantibus coronam martyrii*.

Prob.3. Nam pueri ſunt capaces baptiſmi; ergo & martyrii; ergo & iſtud poteſt movere Deum ad eos ſanctificandos.

Confir.1.exemplo SS.Innocentium, qui *à bimatu, & infra* occiſi ſunt pro Chriſto: non enim eſt improbabile, quod in illis centum quadraginta quatuor millibus aliqui nondum fuerant circumciſi, aut nondum acceperant remedium peccati originalis; & tamen nullus eorum excluditur ex numero ſanctorum; ergo idem dici poteſt nunc pro baptiſmo,& de ſimilibus, & in pari caſu.

Confir.2. quia merito præſumitur de divina miſericordia, quod tales parvulos non relinquit ſine remedio ſalutis, nec dedignatur in eis ſacrificium.

Prob.denique ex ſenſu communi Doctorum, qui in ea ſunt ſententia,præſertim Card. Brancatus,Hiqueus, & Erinx inter Scotiſtas.

Quidam putant eos ſalvari ex merito, & applicatione fidei parentum; ſed hæc opinio reiicitur communiter.

Objic.1. Martyrium non cauſat gratiam, niſi ex opere operantis, ſeu intuitu alicuius virtutis, per quam imperatur, aut cui conjungitur; ſed infantes non ſunt capaces ullius meriti; ergo nec veri martyrii.

Reſp.diſt.maj.in adultis,conc.in pueris, neg.maj.& conſ. Nam Eccleſia canit de Innocentibus, quod *præconium confeſſi ſunt non loquendo, ſed moriendo*. Et vocat eos *flores martyrum*.

Inſt.

[1] *d.4.q.3.n.2.* [2] *2.2.q.124.a.1.*
[3] *p.2.n.39.*

Inſt. Martyrium eſt actus charitatis, & fortitudinis, & fidei, ſaltem imperative, aut alterius virtutis propter Deum; ſed nihil horum poteſt eſſe in pueris; ergo nec martyrium.

Reſp. ut ſupra, diſt. maj. in adultis, prout eſt voluntarie quæſitum, vel acceptatum, conc. præciſe, & in ſe, neg. maj. Nam in infantibus nihil eſt aliud, quam mors tolerata pro Dei gloria, vel illata in odium fidei, ac religionis; & tale poteſt eſſe in pueris; & tale fuit in ſanctis Innocentibus.

Objic. 2. Fides eſt ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem, & quidem magis, quam baptiſmus, nec poteſt ſuppleri; ſed hæc non poteſt eſſe in pueris, nec ſuppleri per martyrium; ergo nec baptiſmus. Prob. maj. ex D. Bernardo: [1] *Vide ne forte id docuerit Salvator, cum diceret: qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvabitur, &c. nimirum ſolam fidem interdum ſufficere ad ſalutem, & ſine ipſa ſufficere nihil*; ergo.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. in adultis, & ratione utentibus, conc. in pueris, neg. ant. & conſ. Nam apud Bernardum tres ſunt claſſes martyrum. In 1. ſunt illi, qui affectu, & effectu mortem paſſi ſunt propter Deum. In 2. qui ſolo affectu, & deſiderio, non effectu, ut docet Eccleſia de S. Martino, & Seraphico Patriarcha. In 3. qui ſolo opere, & effectu paſſi ſunt, ut Innocentes, & pueri, de quibus loquimur.

Objic. 3. Ideo pueris in caſu neceſſitatis prodeſſet martyrium, quia ſupponitur non adeſſe aliud medium ſalutis; ſed hoc falſum eſt; ergo, &c. Prob. min. Nam poteſt eis applicari fides parentum, aut propinquorum; ergo, &c. Prob. antec. iſtud remedium ſufficiebat in lege naturæ, & in lege ſcripta; ergo multo magis in lege gratiæ.

Reſp. neg. min. & 1. ant. & diſt. 2. ſufficiebat fides externa cum aliquo ſigno ſacramentali, conc. ſola fides interna, neg. ant. tunc pueri juſtificabantur mediante aliqua proteſtatione externa fidei, quæ loco erat ſacramenti, non autem ſola fide externa.

Sequitur ergo 1. votum baptiſmi, cum iſte haberi non poteſt in effectu, ſupplere illum quoad effectum gratiæ, ſi illud votum ſit conjunctum cum contritione; quia, ut peccata (maxime perſonalia) remit-

tan-

[1] *Ep.* 77.

tantur, debent retractari, & diſplicere, & odiri, ut docet Conc. Trid. [1]

2. Sequitur, quod per martyrium ſuppleat baptiſmum in adulto, requiritur 1. ejus conſenſus, & acceptatio mortis pro Chriſto dicente; [2] *Qui perdiderit animam ſuam propter me*, &c. 2. requiritur impotentia recipiendi baptiſmum: nam inquit Auguſt. *Poteſt quis ſalvari baptiſmo non percepto*. 3. fides, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo*, ita ut ſubeatur martyrium ex motivo fidei, vel charitatis, aut alterius virtutis cum reſpectu ad Deum: hoc enim importat vox, *propter me*. 4. ut, ſi habeat peccatum, pœniteat: nam aliter in tali caſu ne ipſe quidem baptiſmus valeret, ut patet ex Concilio cit.

3. Sequitur, quod virtus ſupplendi baptiſmum in adultis, & pueris venit ex pura Dei voluntate, & privilegio; de quo conſtat ex verbis Chriſti mox citatis, & ſenſu Eccleſiæ.

CONCLUSIO III.

IN *caſibus impoſſibilitatis baptiſmi martyriū operatur gratiam ex opere operato*. Eſt communior, maxime inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui dicit in ſcripto Oxonienſi, quod *ſi baptiſmus ſanguinis ſit completus*, *quia* (ille homo) *moritur*, *& non remanet nobiſcum viator*, *non eſt obligatus ad præceptum viatoris*, ſc. baptiſmi; ergo juſtificatus eſt, & recepit gratiam ex vi martyrii: addit Maſtrius, quod ſi *martyr moritur*, *ſtatim evolat in Cælum*; ſed hoc non invenio in textu. At in Reportatis [4] ſupponit hominem poſſe modo juſtificari per martyrium, *Hoc dico pro juſtificatis per martyrium completum*; ergo gratia illa habetur per opus martyrii.

Prob. 2. ex Script. cit. [5] in qua Chriſtus promittit vitam æternam illi, qui perdiderit animam ſuam propter ipſum; & quod confitebitur coram Patre ſuo eum, qui ipſum confeſſus fuerit coram hominibus. Nam hæc non minus poſitive, & generaliter dicuntur pro martyrio ibi ſignificato, quam pro baptiſmo. [6] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Et,

Niſi

[1] *ſeſſ. 6. c. 6.* [2] *Mar. 8.* [3] *d. 4. q. 6. C. 4.*
[4] *ibid. n. 2.* [5] *Mar. 8.* [6] *Matth. 10.*

Niſi quis renatus fuerit, &c. ſed ex his poſterioribus locis infertur efficacia baptiſmi ex opere operato; ergo & ex illis.

Prob. 3. ex præcedenti. Nam martyrium juſtificat pueros ex opere operato, & adultos. Ant. patet: nam pueri non ſunt capaces operandi, ſeu meriti. Prob. conſ. Martyrium non eſt minoris efficaciæ in adultis, in quibus conjungitur cum actibus virtutum, quam in parvulis, in quibus ſolitarie agit ſine diſpoſitione ex parte ipſorum.

Prob. 4. ex Patribus. Nam, inquit Cypr. [1] *Nunquid poteſt baptiſmus major eſſe, aut potior, quam confeſſio, aut paſſio?* Et S. Proſper: *Qui non percepto regenerationis lavacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte baptiſmatis*; ſed hæc ablutio juſtificat ex opere operato; ergo & iſta mors. Idem infertur ex Ambroſio agnoſcente *baptiſma paſſionis, quo etiam ſanguine ſuo unuſquiſque mundatur*.

Prob. 5. Nam ſi Martyrium non daret gratiam ex ſe, ſed ex ſolo merito Catechumeni v. g. ex vi charitatis, baptiſmus ſanguinis non differret a baptiſmo fluminis; ſed hoc eſt contra omnes; ergo, &c. Prob. maj. Nam ex eadem charitate, & principio haberet vim ſuam; ergo non differrent.

Objic. 1. Martyrium ſine charitate non prodeſt: [2] *Si tradidero corpus meum ... & charitatem non habeam, nihil mihi prodeſt*; ergo Martyrium habet efficaciam a charitate, & non a ſeipſo.

Reſp. neg. conſ. Nam Apoſtolus ibi non loquitur de charitate antecedente perfecta, quæ ex ſe juſtificat, ſed de comitante, ſaltem inchoata, aut negativa, ita ut nihil adſit contrarium; ut ſi quis cum odio proximi, vel aliquo mundano reſpectu exponeret ſe morti.

Objic. 2. Martyrium non eſt verum ſacramentum per nos; ergo non dat gratiam ex opere operato; quia talis efficacia eſt propria ſolis ſacramentis.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam de ratione ſacramenti eſt non ſolum, ut Deus det gratiam ex ſpeciali privilegio intuitu illius operis, ſed præterea, ut illud

opus

[1] *Ep. 37. ſent.*
[2] 1. *Cor.* 13.

opus fuerit inſtitutum velut actio ſacra, & religioſa, ordinata ad cultum Dei. Primum convenit martyrio, non ſecundum. Imo ex parte miniſtri, ſeu tyranni, & tortoris tendit ad Dei contemptum.

Inſt. Ut adultus juſtificetur per martyrium, debet habere votum ſacramenti, & iſtud recipere, ſi ſupervivat; ergo hæc gratia datur intuitu ſacramenti in voto, & non martyrii; ergo ex opere operantis, ſeu deſiderantis ſacramentum.

Reſp. diſt. ant. habere votum ex obedientia in legem, conc. ex defectu virtutis martyrii, neg. ant. & conſ. ſi martyr moriens advertat ad præceptum baptiſmi, debet velle baptizari, ſi poſſet, quia eſt ſubjectus legi baptiſmi, ſed ſi non advertat ad eam obligationem, nec eliciat actum volendi baptiſmum, adhuc accipiet gratiam intuitu martyrii.

Objic. 3. Si opus martyrii operaretur gratiam, ſicut baptiſmus, ita eſſet de illius voto: nam votum baptiſmi juſtificat, & actus internus dat totum valorem externo; ſed conſ. eſt falſum; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam deſiderium efficax martyrii ex ſyncera charitate eſt quidem actus optimus, & meritorius, & poſſet impetrare gratiam non ſecundum ſe, ſed ratione charitatis; quia Deus non ita ſtatuit pro tali actu. Ad prob. patet, quod baptiſmus in voto non cauſat gratiam ex opere operato, ſed operantis, ut diximus. Item falſum eſt, quod opus externum nihil addat meriti ad internum; alioqui ſacramenta in opere externo in actu nihil magis efficerent, quam in affectu.

Inſt. Hæreticus, aut peccator non juſtificatur per martyrium, niſi dimittat hæreſim, & peccatum per ſacramentum pœnitentiæ, ſaltem in voto; ergo martyrium nō juſtificat ex opere operato. Nam omnis adultus debet juſtificari per baptiſmum, aut pœnitentiam.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam adultus peccator non juſtificatur per votum ſacramenti ſine contritione perfecta; ſed ſicut ſacramentum in re juſtificat mediante attritione, ita & martyrium, modo adſit votum eorundem ſacramentorum; quia per illam ſufficienter dimittitur peccatum, ut diximus ex S. Bonaventura.

Inſt. 2. Martyrium cauſat gratiam in ſupplementum

tum baptiſmi, aut pœnitentiæ ſacramentalis; ſed hæc ſacramenta non ſupplentur per ſolam attritionem, ut patet de voto illorum; ergo Martyrium dat gratiam cum ſola attritione; ergo neque ex opere operato. Prob. min. Nam ſi inſtante morte martyri poſſet baptizari, aut confiteri, ad id teneretur: alioqui martyrium neutrum ſuppleret; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quando illa non poſſunt haberi, & neceſſaria ſunt, con. quando poſſunt haberi, aut non ſunt neceſſaria, & ita ut ceſſante illa neceſſitate nihil operentur ex ſe, neg. maj. & diſt.min. non ſupplentur extra martyrium, con. in martyrio, neg. min. Martyrium in eo qui habet gratiam, cauſat augmentum ejus per ſe, & non ſupplet ullum ſacramentum. Similiter attritio non ſufficit ad juſtificationem, niſi in ſacramento, aut martyrio, quod ſupplet unum ex illis ſacramentis, ſi ſint neceſſaria, nec poſſint haberi.

Objic. 4. Si martyrium juſtificaret ex opere operato, id faceret vel ante mortem, vel in ipſa morte; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ante mortem, quia tunc non eſt completum: 2.non in morte, quia pro illo inſtanti homo non eſt; ergo &c.

Reſp. 1. hoc argumentum, ſi quid valet, urgere in ipſis Sacramentis, & maximè pro illis,qui eis tribuunt efficientiam phyſicam, ut Thomiſtæ.

Reſp. 2. neg. min. Nam cùm efficientia hæc ſit moralis, & pendeat à Deo, qui intuitu operis juſtificat martyrem, ſufficit eum ſcire quo momento id velit facere. Fortè id facit poſt acceptum lethale vulnus, ut volunt aliqui; vel in ultimo inſtanti phyſico præcedente ipſam mortem.Utrumque videt Deus diſtinctiſſimè, & in utroque poteſt dare gratiam.

Objic. 5. Martyria Machabæorum, & Joannis Baptiſtæ, & Innocentium fuerunt vera martyria; ſed hæc non dabant gratiam ex opere operato; ergo nec noſtra. Prob. ant. hanc vim tribuimus noſtris ex promiſſione Chriſti; ſed talis promiſſio tunc non extabat; ergo &c.

Reſp. neg.1. min.& diſt.2. non extabat ex ore Chriſti, & formaliter, con. virtualiter ex aliis oraculis, neg. min. Nam ex ipſis hiſtoriis ſacris ſatis colligitur efficacia talis mortis acceptatæ pro lege,& gloria Dei.

Conſtat igitur, quòd, ut dicemus, inſtante morte

martyrii, ſi adultus habet peccatum mortale, debet conteri, aut ſaltem atteri ſupernaturaliter de illo; & hæc attritio ſufficit cum martyrio, alioqui non poſſet dici de iſto, quod cauſet gratiam ex opere operato; quia illam cauſaret charitas imperans contritionem. Sed tamen quia tutior eſt via contritionis, & perfectior, & maximè urget tunc præceptum charitatis, tenetur homo, quantum poteſt, excitare ſe ad illam; & tunc erit contritio perfecta.

De pueris nihil addendum. Nam ſuppoſito, quòd illis profit martyrium ad ſupplendum baptiſmum, id facere non poteſt, niſi ex opere operato.

DISPUTATIO II.

De ſubjecto, & miniſtro Baptiſmi.

EXPLICATA natura baptiſmi quoad omnia intrinſeca ejus conſtitutiva, & proprietates, ad ea, quæ circa illum ſunt, progredimur, & primò occurrunt ſuſcipientes, & miniſtri.

QUÆSTIO I.

Quis, & qualis ſit ſuſcipiens Baptiſmum.

JAm conſtat, quòd de via ordinaria ſolus viator eſt ſubjectum ſacramentorum, & per conſequens baptiſmi: ſed videndum de pueris, an ſint capaces illius, & de diſpoſitionibus requiſitis ex parte ſuſcipientium, ut valeat.

CONCLUSIO I.

Solus homo viator eſt capax recipiendi hoc ſacramentum, & hoc ſive puer, ſive adultus. Eſt de fide contra Anabaptiſtas nolentes pueros poſſe baptizari ante uſum rationis; quod etiam videtur docuiſſe Tertullianus.

Prob. 1. p. ex dictis de ſubjecto Sacramentorum. Nam id commune eſt omnibus, ut ſint inſtituta *in ſalutem hominis viatoris*, inquit Scotus cit. [1] qui etiam

[1] *l. de bapt.*

etiam definit baptiſmum eſſe *ablutionem hominis aliqualiter conſentientis*; ſed non abluuntur mortui, quippè qui non ſunt capaces ablutionis, nec effectuum ejus, cùm ſint in termino; ergo ſolus viator eſt ſubjectum baptiſmi.

Prob. 2. p. de parvulis, (nam de adultis nemo dubitat) & 1. ex Scoto: [1] *Sicut creditum eſt parvulo in baptiſmo originale dimitti; ita creditum eſt gratiam ſibi infundi*. Et ſupra dixerat, *Cùm ſecundum ſcripturam, & fidem parvuli contrahant originale peccatum, ad ejus deletionem, quæ neceſſaria eſt ad ſalutem, ſunt baptizandi*.

Prob. 2. ex Conciliis Milevit. II. Carthagin. V. Gerundenſi Can. V. Braccarenſi II. Can. VII. Viennen. & Lateran. ſub Innoc. III. [2] ubi dicitur: *Sacramentum baptiſmi tam parvulis, quàm adultis in forma Eccleſiæ à quocumque collatum proficit ad ſalutem*. Et Trident. [3] *Si quis dixerit, parvulos, eò quòd actum credendi non habent, ſuſcepto baptiſmo inter fideles computandos non eſſe .... Anath. ſit*.

Prob. 3. ex Script. qua conſtat aliquando ab Apoſtolis [4] integras familias baptizatas: nam ibi ſine dubio erant aliquot parvuli; ergo &c. Prob. ant. Nam id narratur de Lydia, & ejus domo, de cuſtode carceris Pauli, [5] & de domo Stephanæ; ergo &c.

Prob. 4. ex Patribus. Irenæus enim dicit, [6] *Salvari omnes, qui naſcantur in Chriſto, infantes, pueros, juvenes, &c.* Et Origenes: *Eccleſia ab Apoſtolis traditionem etiam parvulis dare baptiſmum didicit*. Et Auguſt. [7] *Quod traditum tenet univerſitas Eccleſiæ, cùm parvuli infantes baptizantur, qui certè non poſſunt credere ad juſtitiam; & tamen nullus chriſtianorum dixerit eos inaniter baptizari*. Et ſic de aliis.

Prob. 5. Nam in lege ſcripta parvuli circumcidebantur; & in lege naturæ non erant ſine remedio, ergo multò minùs eſſe debent in lege gratiæ: ſed baptiſmus ſucceſſit illis remediis, ut docet Innoc. III. cit. [8] ergo debet dari tam parvulis, quam adultis.

Objic. 1. con. 2. p. ex Script. illi ſoli debent baptizari,

[1] *d.4.q.2. & q.1. A.2.*
[2] *Can.2.c. firmiter, & c.majores.*
[3] *Seſſ.7.can.13.* [4] *Act.13.* [5] *1. Cor.1.*
[6] *l.2.c.3.* [7] *4.bapt.23.* [8] *cap.major.*

zari, qui poſſunt doceri, & credere: *Docete omnes gentes baptizantes eos*. Et, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit* &c. ſed infantes non poſſunt doceri, nec credere; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam illi textus jubent doceri, & credere omnes, qui ſunt capaces doctrinæ, & fidei; ſed non prohibetur, baptizari infantes ſuo tempore docendos, & credituros. *Secundum communem uſum loquendi, non ad actum, ſed aptitudinem*, ait Innoc. III. cit. &, ut loquitur Doctor, *parvuli etſi non poſſunt habere actum credendi, poſſunt tamen habere habitum*.

Reſp. 2. quòd credunt per patrinos, quod poteſt ſufficere pro illis: nam ſicut baptiſmus debet remittere ſolum originale, quod aliena voluntate contraxerunt; ita ſufficit Deo ut credant aliena fide. *Ad verba aliena ſanantur*, (ait Auguſt.) *qui ad factum alienum vulnerantur .... Conſpiratione quadam communicat ſpiritus. Credit in altero* (puer) *qui peccavit in alieno*.

Objic. 2. Per baptiſmum tenentur ad obſervantiam legis Euangelicæ; ſed pueri non ſunt capaces obligationis, nec obſervantiæ; ergo nec baptiſmi.

Reſp. diſt. maj. ad obſervantiam pro tempore capacitatis, con. pro tempore ipſo baptiſmi, neg. maj. & conſ. obligatio contrahitur de præſenti pro futuro, in quo aderit capacitas; & ſi tunc non fecerint, punientur ab Eccleſia.

Objic. 3. ex Patribus. Tertull. [1] applicat baptizandis verba Chriſti: *Sinite parvulos venire*: & addit: *Veniant, dum adoleſcunt; veniant, dum diſcunt: dum, quo veniant, docentur, fiant Chriſtiani, dum Chriſtum noſſe poterunt*: quod non poteſt dici de infantibus. Et Nazianz. [2] volebat expectari triennium. *Ita ſentio, & triennio expecto, aut aliquanto brevioris, vel longioris temporis ſpatio, quando & myſtici quidam audire, & reſpondere poſſunt*. Et Fidus Epiſcopus volebat expectari ſaltem octavum diem, ſicut pro circumciſione; ergo non baptizandi ſunt pueri, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam Eccleſia non admiſit ſententiam nec Fidi, nec Nazianzeni, nec Tertulliani, ſed ſem-

[1] *Ser. 14. de Apoc. 11.*
[2] *L. de Bapt.*

ſemper admiſit infantes, & hodie non licet differre ultra 3. diem conformiter ad doctrinam Concilii Trident.

Inſt. Multi uſque ad ſenectutem differebant, & quidem piiſſimi; ergo ſaltem non expedit baptizare infantes.

Reſp. neg. conſ. Nam illa praxis parum duravit, & pauciſſimos habuit ſequaces. Olim perditi homines ſic differebant, ut cupiditatibus laxarent habenas, ſperantes in extremis omnia ſcelera in hoc lavacro abluturos: alii ex pietate ſcrupuloſa, ne characterem aliquo crimine fœdarent: alii ut majori cum diſpoſitione, & fervore ſuſciperent; ſed tandem invaluit alia praxis Eccleſiæ.

Inſt. 2. Chriſtus ipſe non infans, ſed adultus voluit baptizari, & 30. ætatis anno; ergo ita & debent Chriſtiani.

Reſp. neg. conſ. quia Chriſtus non egebat baptiſmo ullo, ſicut nos.

CONCLUSIO II.

S*Emel validè baptizatus non poteſt validè, nec licitè iterum baptizari*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto: *Tenetur ab omnibus pro certo, quòd non licet iterare baptiſmum, & etiamſi iteretur de facto, quòd non habet effectum; & hoc dicunt authoritates ſanctorum.*

Prob. 2. ex Concil. Florent. [1] in decreto Eugenii, & Trident. [2] *Si quis dixerit verum, & ritè collatum baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, cùm ad pœnitentiam convertitur, Anath. ſit*. Certè ſi unquam liceret, aut deberet iterari, maximè in illo caſu, in quo ille fidem promiſſam in baptiſmo, & receptam abjecit. Et SS. Canones: [3] *Rebaptizare hæreticum, qui hoc ſanctitatis ſignum recepit, omninò peccatum eſt; Catholicum verò immaniſſimum ſcelus eſt*; habetur ex Auguſt. & ex D. Clemente in conſtitutionibus Apoſtolicis: denique ex pœnis canonicis contra rebaptizantes.

Prob. 3. multis congruentiis, 1. quia datur præ-

[1] *d.6.q.7.A.1.* [2] *Seſſ.7.can.11.*
[3] *d.4.conſecr.q.1.c.35.*

cipuè propter peccatum originale, quod non iteratur. 2. cùm per baptiſmum remittantur etiam alia peccata quoad culpam, & pœnam, daretur occaſio peccandi, ſi ſæpiùs poſſet iterari. 3. ſicut ſemel naſcimur corporaliter, ita & ſpiritualiter. 4. propter characteris indelebilitatem: nam ubi ſemel ſignati ſumus, hoc ſufficit; & ſic de aliis: ſed maxima ratio petitur ex voluntate Chriſti ſic ſtatuentis per Eccleſiam.

Dixi, *ſemel validè baptizatus*; nam ſi invalidus fuiſſet, aut poſt exactum examen de ejus valore dubitaretur, poſſet, & deberet dari ſub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. Quod magis patebit ex dicendis de baptizatis ab Hæreticis.

Objic. 1. Nullibi prohibetur iteratio baptiſmi; ergo gratis dicitur prohiberi; quia Chriſtus hoc non tacuiſſet.

Reſp. neg. conſ. Nam ſufficit, quòd Eccleſia id ſtatuat ex parte Chriſti, ut depoſitaria voluntatis ejus; Unde Stephanus Papa occaſione rebaptizationis ſcribebat ad S. Cyprianum: *Nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*; ergo cenſet talem eſſe traditionem Apoſtolicam.

Inſt. Illud eſt præceptum Eccleſiaſticum, & humanum, non divinum; ergo non invalidat baptiſmum iteratum; quia eſſentialia ſacramentorum pendent à ſolo Deo.

Reſp. neg. ant. Nam Eccleſia declarat quidem hoc præceptum, ſed illud habet à Chriſto.

Pœnæ autem rebaptizantium ſunt 1. peccatum; quia exponunt ſacramentum nullitati; in hoc autem eſt enormiſſima irreverentia. 2. irregularitas, ut conſtat ex Concil. Lateran. Cap. *Ex litterarum tuarum tenore*: ubi acolythus, qui ſolum inſervierat rebaptizationi, declaratur irregularis, quantò magis ſacerdos?

Quæres, *An infantes in utero matris poſſint baptizari*.

Reſp. cum Scoto, [1] ſi puer quoad omnes partes eſt in utero, tunc non poteſt baptizari; quia baptiſmus eſt ablutio in aqua; ſed infans in utero non poteſt lavari, nec tangi ab aqua; ergo &c. Deinde regenera-

[1] *Ibid. q. 3. A. 3.*

generatio, & 2. nativitas ſupponit generationem, & primam nativitatem. Si verò appareat pars principalis, ut caput, tunc poteſt baptizari in illa parte; & ſic eſſet ſimpliciter baptizatus; quia non eſt veriſimile, quod illa tria millia hominum, qui baptizati ſunt in die Pentecoſtes fuerunt abluti toto corpore. 3. ſi appareret pars minùs principalis, v. g. manus, pes, &c. illa eſt baptizanda; ſed caſu, quo id non ſufficeret, deberet poſtea baptizari ſub conditione, modo infans naſceretur vivus. Ita docent SS. Canones Extr. de Baptiſmo Can. *De quibus*.

QUÆSTIO II.

De diſpoſitionibus requiſitis ad ſuſcipiendum Baptiſmum, maximè in Adultis.

AGimus præcipuè de Adultis baptizandis: nam de pueris nihil ſpeciale occurrit, cùm ſint incapaces omnis actus moralis; & in hoc ſacramento ferè paſſivè ſe habent, quantum eſt de ſe. De adultis verò quæritur, quid in eis requiratur, ut baptizentur validè, & licitè, & fructuoſe, ita ut recipiant gratiam ſanctificantem, vel augmentum ejus.

Non immoror in his, quæ ab initio exigebantur in Catechumenis, antequam baptizarentur, & maximè in venientibus ex Paganiſmo. Hi ceſſante mortis periculo per plures annos probabantur, tum ut peccare dediſcerent; tum ut Chriſtianæ Religionis elementa docerentur, ut in bonis operibus exercerentur.

Tres erant Catechumenorum claſſes, ſeu gradus. 1. *Audientium*, qui audiebant catechiſmos, conciones, lectiones ſcripturarum, & cæteras inſtructiones ad fidem; ſed in Eccleſiam tempore ſacrificii non ferebantur, ſicut nec Ethnici. 2. *Orantium*, ſeu propriè *Catechumenorum*, quibus imponebantur manus, & docebantur quidem præcipua utriuſque teſtamenti capita, non tamen myſteria ſub cortice litteræ latentia. 3. *Competentium*, quibus altiſſima fidei principia, Symbolum, & Trinitatis, atque Incarnationis myſteria, oratio Dominica, & quæ ad ſacramenta Baptiſmi, Confirmationis, & Euchariſtiæ ſpectant, tradebantur, & tandem iſti per jejunia, & ma-

erationes purificabantur, & exercebantur. Curſus harum claſſium ſeu graduum intra biennium perficiebatur, niſi aliquod grave peccatum intercidiſſet curſum; quia tunc longior pœnitentia exigebatur. Hæc autem antiqua diſciplina ceſſavit, maximè quia pauci à Gentiliſmo ad fidem veniunt.

Notandum præterea, quòd nomine *Adulti* intelligimus hominem ratione utentem, cujuſcumque ſit ætatis. Nam de puero 50. annorum, ſeu de amente idem eſt, ac de recens nato quoad privationem uſus rationis; & non major diſpoſitio requiritur in uno, quàm in alio, & æqualis eſt capacitas in utroque.

CONCLUSIO I.

IN adulto ad validam receptionem baptiſmi ſacramenti requiritur intentio, & conſenſus, ſaltem internus, & virtualis, aut interpretativus. Hæc ſequitur ex tr. ſuperiori.

Prob. 1. ex Scoto (1) dicente, quòd *diſſentiens ſimpliciter non baptizatur validè; quia Deus dicit per ſapientem; Fili præbe mihi cor tuum, nolens aliquem omninò invitum adſcribi familiæ ſuæ; ſuſcipiens autem baptiſmum adſcribitur per hoc familiæ Chriſti .... ſi autem diſſentiat ſecundum quid;* (quia nollet baptizari, ſi poſſet aliter vitare mala imminentia ſibi, ſi non baptizetur; ſicut mercator nollet projicere merces, ſi aliter poſſet vitare naufragium) *ſed ſimpliciter conſentiat ..... in ablutionem juxta intentionem Eccleſiæ, ille ſimpliciter recipit ſacramentum, qui ſimpliciter eſt volens, licèt nolens ſecundum quid .... ſi autem non conſentiat tantùm negativè,* (quatenus non diſſentiat poſitivè) *dico, quod recipit ſacramentum, ſi conſentit virtualiter. Numquid ille, qui tantùm negativè conſentit, negativè etiam non diſſentit, quia nec actum, nec habitum oppoſitum habet? De 1. poſſet, dici, quòd talis judicatur habitualiter conſentiens, quia aliquando habuit actualem conſenſum non interveniente diſſenſu; & talis, licèt non utens ratione, recipit ſacramentum.* Et tandem dicit, quòd *ſi quis eſſet omninò non conſentiens, nec diſſentiens tam actualiter, quàm habitualiter, & tamen utens ratione non eſſet*

(1) *d. 4. q. 4. C. D. E. F. G. H. a. n. 4.*

eſſet capax baptiſmi ; quia ex quo utitur ratione , oportet , quòd habeat devotionem aliquam ad ſacramentum , ſi debeat valere ſibi : aliter enim videretur illud contemnere . Habes ergo totius quæſtionis deciſionem quoad punctum de conſenſu ex parte ſuſcipientis , & maximè de conſenſu habituali, ſeu interpretativo .

Idem docet infrà: (1) *Fictus, ſi oſtendit* (exterius) *ſe velle recipere eam ablutionem eo modo , quo Eccleſia intendit eam conferre, & tamen oppoſitum habet in animo, ille non recipit ſacramentum* (ut patet q. præcedenti) *quia ſimpliciter eſt nolens reſpectu ablutionis ſacramentalis* ; ergo ex Scoto ad validam baptiſmi ſuſceptionem in adulto requiritur aliquis ejus conſenſus , & intentio , ſaltem virtualis .

Alias rationes vide in tract. præcedenti ; nam illæ faciunt pro ſingulis .

Objic. 1. Baptiſmus datus dormienti eſt verum ſacramentum; ſed dormiens non conſentit;ergo conſenſus non requiritur in recipiente baptiſmum .

Reſp. diſt. maj. ſi dormiens aliquando petiit , & voluit,nec retractavit,conc.ſi numquam voluit,neg. maj. & diſt. min. non conſentit actu, & formaliter, con.habitualiter,& interpretativè, neg.min. Nam illa voluntas præterita quoad hoc remanet moraliter , & interpretativè , quod ſufficit .

Inſt. Ad pœnam ſufficit pura omiſſio actus debiti ; ergo & ad beneficium baptiſmi ſufficit pura negatio conſenſus , & diſſenſus poſitivi , ſeu ſufficit conſenſus purè negativus .

Reſp. neg. conſ. Nam ad malum ſufficit quicumque defectus , ut eſt omiſſio pura actus debiti ; ſed ad bonum , ut eſt ſacramenti valor , requiritur cauſa integra , & maximè conſenſus .

Objic. 2. Non fit injuria illis , quibus invitis fit bene ; ergo poſſunt baptizari inviti ; nam illis fit bene . Prob.ant. ex Auguſt. *Multa bona præſtantur invitis , quando eorum conſulitur utilitati* ; *quia ipſi ſibimet inveniuntur inimici* .

Confir. ex Euangelio , ubi *pauperes , & debiles . . . compelluntur intrare in convivium* ; ergo , &c.

Reſp. diſt. ant. & 2. conſ. ſi beneficia nullam imponunt obligationem beneficiatis, con. ſi imponunt,neg.

(1) q. 5. A. 2.

ant. & conſ. non enim poſſunt obligari inviti. Ex vi autem baptiſmi obligamur ad ſervandam legem Euangelii, & præcepta Eccleſiæ, cui ſubjicimur.

Inſt. Baptiſmus datur contra originale; ſed hoc contrahitur invitè; ergo nihil vetat remedium dari invitis.

Reſp. diſt. min. invitè, id. non propria voluntate, ſed aliena, con. propriè, & poſitivè contra voluntatem noſtram, neg. min. Ideò pueris prodeſt baptiſmus, licet ab eis non volitus propria voluntate; ſed aliud eſt de adultis.

Inſt. 2. Infirmo applicantur remedia corporalia etiam nolenti; ergo à fortiori iſtud ſpirituale.

Reſpond. neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia infirmo illi nulla imponitur obligatio, benè verò baptizatis.

CONCLUSIO II.

Ad validam receptionem baptiſmi ut ſacramenti, & ita ut iterari non debeat, ſufficit in ſuſcipiente conſenſus aliquis verus in adultis: ut autem recipiatur licitè, & fructuosè requiritur in eis fides, ſpes, charitas aliqualis, & odium aliquod peccati, ſeu pœnitentia. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) ubi dicit: *De illo, qui oſtenderet ſe eſſe diſpoſitum ad recipiendum ſacramentum, & tamen non eſſet diſpoſitus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale ....de quo nullo modo atteritur, vel conteritur... dico, quòd tunc nullo modo recipit gratiam;* ergo ex Scoto ille, qui caret fide, aut pœnitentia, aut aliqua diſpoſitione requiſita ad gratiam, adhuc validè baptizatur, modò velit ſyncerè baptizari, licèt infructuosè quod gratiam ſanctificantem.

Prob. 2. ex tr. ſuper. de ſacramentorum effectu recedente fictione. Nam inde ſequitur, baptiſmum poſſe eſſe validum, & informem; ſed ille caſus contingit, quando recipitur à volente, ſed non diſpoſito ad gratiam; ergo illa receptio baptiſmi eſt valida, licèt infructuoſa. Alias rationes vide ibi; non enim vacat eas hic repetere.

Prob.

[1] *q. 5. A. B. C. n. 2. 3. 4.*

Prob. 2. p. ſc. de diſpoſitionibus 1. ex Concil. Trident.[1] docente diſpoſitiones ad gratiam juſtificantem, quæ ſunt, *ut moveantur in Deum credentes .... & erigantur in ſpem, fidentes Deum propitium ſibi fore propter Chriſtum; illumque diligere incipiant ...... & propterea moveantur adverſus peccata per odium aliquod, & pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet* &c. ergo illi actus ſunt diſpoſitiones neceſſarię in ſuſcipiente ad gratiam baptiſmi; ſi tamen habent peccatum aliquod perſonale; alioqui non eſſet neceſſarius actus pœnitentiæ, bene verò alii.

Prob. 2. de fide. Nam Chriſtus ipſe dixit: [2] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui non crediderit, condemnabitur*. Et Apoſtolus: (3) *Omnes filii Dei eſtis per fidem*. Et, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Denique niſi fides eſſet neceſſaria ad baptiſmum in adultis, fruſtra præciperet Chriſtus eos doceri, ut baptizentur. Vide plura ubi de neceſſitate fidei. Huc facit, quod contigit inter Philippum, & Eunuchum: nam cum dixiſſet; [4] *Quid prohibet me baptizari?* Reſpondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet*; ergo non licet baptizare adultos, niſi credant.

Prob. 3. de pœnitentia. Nam dicebat Petrus: (5) *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*. Et Auguſt. dicit, (6) *nullum hominem accepturum vitam æternam, qui non a malis ſuis fuerit per pœnitentiam, fidemque converſus, & per ſacramentum fidei, & pœnitentiæ, id. per baptiſmum liberatus.... nulli profuit baptiſmus, qui peccavit, & propterea catechumenos doceri, ut pœniteant*.

Objic. 1. Fides illa eſſet ſupernaturalis, aut naturalis; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non naturalis: nam homo non poteſt diſponere ſe ad gratiam ex puris naturalibus; hoc enim ſapit pelagianiſmum. 2. non ſupernaturalis; nam Catechumenus non credit, niſi ex motivo humano, ſc. ex verbis Parochi; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam debet eſſe ſupernaturalis: & diſt. ant. ex motivo humano immediatè, con. mediatè, & ultimatè, neg. ant. Parochus, & Eccleſia proponit

[1] *Seſſ. 6. c. 6.* [2] *Matth. 28.*
[3] *2. Gal. 4.* [4] *Act. 8. 37.*
[5] *Act. 2.* [6] *de fi. ad Pet. 30.*

quidem credenda, ſed proprie non creditur propter illam, ſed propter Deum revelantem per illam, ut diximus in tr. de fide.

Inſt. In aliis ſacramentis non requiritur fides in ſuſcipiente; ergo nec in iſto.

Reſp. neg. ant. Nam ex Trident.(1) non diſponimur ad juſtificationem per ullum ſacramentum, niſi *credamus impium per gratiam Dei juſtificari per redemptionem, quæ eſt a Chriſto J.* Et hoc patebit infra de ſingulis.

Inſt. 2. Impoſſibile eſt Catechumenos advertere ad illud motivum ultimatum fidei, ſc. ad revelationem divinam; moventur ex ſola authoritate Parochi; ergo illa fides non poteſt eſſe niſi humana. Prob. ant. Nam ipſi fideles vix attendunt ad illud motivum ultimum; imo & ipſi Theologi in hoc laborant; ergo &c.

Reſp. neg. utrumque ant. Nam Parochus, & quivis alius catechiſta tenetur populos docere non ſolum credenda, ſed etiam vera motiva credendi, quæ non eſt doctoris auctoritas, ſed Dei veracitas illa revelans; alioqui non bene docerent.

Objic. con. 2. p. Per nos baptiſmus juſtificat ex opere operato; ergo non requiritur pœnitentia, quæ eſt opus operantis, & per ſe iuſtificat.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. pœnitentia juſtificat, ſi eſt contritio perfecta, con. ſi eſt attritio, neg. ant. nam illa pœnitentia, quam requirit Concilium in adulto baptizando non debet eſſe neceſſario perfecta ex charitate; ſed ſufficit attritio ſupernaturalis. Qui autem exigunt contritionem perfectam, videant quid reſponderint.

Objic. 2. ex Scoto [2] *Ad juſtificationem in baptiſmo non requiritur, niſi voluntaria ſuſceptio ejus, & ſine fictione. In hoc modo juſtificationis ſolum requiritur opus externum cum amotione impedimenti interioris;* ergo ex Scoto non requiritur pœnitentia in baptiſmo.

Reſp. neg. conſ. Nam, ex Scoto, voluntas ſuſcipientis debet eſſe *ſine actu, vel voluntate peccati mortalis, & cum amotione interioris impedimenti*: Voluntas autem, nec actus peccati, nec impedimentum interius tolluntur ſine pœnitentia; ergo potius contrarium docet Scotus.

Dixi

[1] *Ibid.* [2] *d.* 14. *q.* 4. *D.*

Dixi in concluſione, requiri in adulto *odium aliquod peccati, ſeu pœnitentiam aliquam*: nam ſuppono, quod adultus non eſt ſine aliquo peccato perſonali præter originale; & nolui determinare, qualis debeat eſſe illa pœnitentia, an contritio perfecta ex charitate, an ſufficiat attritio, quia de hoc ſpecialiter agendum.

QUÆSTIO III.

An pœnitentia in adultis requiſita ad baptiſmum debeat eſſe contritio perfecta.

DE hac diſpoſitione ſpecialiter diſputamus, quia hodie magis controvertitur. Quidam ex zelo ſeverioris diſciplinæ exigunt in omnibus actibus noſtris charitatem divinam, & maxime ad juſtificationem obtinendam in ſacramentis baptiſmi, & pœnitentiæ, & a fortiori extra ſacramentum; ita ut attritio quantumcumque ſupernaturalis non ſufficiat cum ullo ſacramento. De hac controverſia, quæ hodie famoſa eſt, tractatum ſpecialem pro ſacramento pœnitentiæ dedimus alias ſatis diffuſum. Jam breviter id examinamus de Baptiſmo; & iterum redibit ſermo, ubi de pœnitentia.

Duo ſunt præcipui actus pœnitentiæ, *Contritio perfecta*, & *imperfecta*, Quamvis enim uterque actus ſit perfectus in ſua ſpecie; tamen prior dicitur *contritio perfecta* in comparatione ad 2. ex nobilitate motivi ſui. Nam *contritio perfecta eſt dolor de peccato conceptus ex motivo puræ charitatis in Deum propter ſe, & ſuper omnia dilectum*; & ſolet dici abſolute, & ſimpliciter *Contritio*, quæ de mente Concilii (1) juſtificat peccatorem, antequam ſacramentum ullum actu recipiat, modo includat propoſitum recipiendi baptiſmum (pro Catechumeno) aut pœnitentiæ ſacramentum (pro peccatore baptizato.) [2] *Imperfecta*, quæ *attritio* dicitur, *eſt dolor de peccato conceptus ex conſideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, modo excludat omnem voluntatem peccandi, & ſit cum ſpe veniæ*, ut loquitur Concilium.

[1] *Seſſ.* 14. *c.* 4. [2] *Ibid.*

Charitas actualis, & vera, qua Deus ſuper omnia diligitur propter ſeipſum, eſt incompatibilis cum peccato mortali, ut diximus alias: & ut loquitur Auguſt. [1] *dividit inter filios regni æterni, & perditionis æternæ*, ſc. inter juſtos, & peccatores. Unde damnantur plures propoſitiones Michaelis Baii, qui putabat, veram charitatem ſtare poſſe cum peccato mortali, & reatu ejus: ut ſunt 31. 32. 33. 70. & 71. inter damnatas a tribus Summis Pontificibus; in hac ultima dicebat, [2] *Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & voto ſuſcipiendi ſacramentum conjuncta, non dimittitur crimen, extra caſum martyrii, ſine actuali receptione ſacramenti.*

CONCLUSIO.

IN *adultis ad receptionem baptiſmi cum gratia juſtificante, ſufficit attritio ſupernaturalis.* Eſt communis contra prædictos Theologos, qui exigunt contritionem perfectam.

Prob. 1. ex Scoto docente, illum non eſſe diſpoſitum ad gratiam, [3] *qui habet peccatum mortale in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur ... vel qui habet ſeptem mortalia, & venit ad baptiſmum de ſex attritus, ſeptimum autem actu tacet, vel de eo nullo modo atteritur.* Quod ſæpius repetit quoad attritionem: & infra dicit, quod [4] *parum attritus etiam attritione, quæ non habeat rationem meriti ad remiſſionem peccati, volens tamen recipere ſacramentum pœnitentiæ* (idem eſt de baptiſmo) *ſicut diſpenſatur in Eccleſia ... recipiet effectum ſacramenti ... ſed tantum per attritionem, tamquam per præviam diſpoſitionem* &c. ergo ex Scoto ſufficit attritio cum ſacramento ad gratiā baptiſmi recipiendā.

Prob. 2. ex Concil. Trident. tum quia inter diſpoſitiones neceſſarias ad juſtificationem in baptiſmo requirit tantum, ut ſuſcipientes *incipiant diligere Deum tanquam omnis juſtitiæ fontem, & propterea moveantur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem, hoc eſt per eam pœnitentiam, quam ante baptiſmum agi oportet*: ſed ibi nulla fit mentio de contritio-

[1] 13. *Trin.* 18. [2] *propoſ.* 71.
[3] *d.* 4 *q.* 5. *A.* & *C. n.* 2. & 4. [4] *d.* 14 *q.* 4. *E.*

tione perfecta, nec de vero ejus motivo, quod eſt pura charitas: ergo &c. Prob.min.Si quid indicaret contritionem, aut motivum puræ charitatis, maxime illud initium dilectionis cum odio illo peccati; ſed hæc non indicant contritionem ex pura charitate; ergo &c. Prob.min.Pura charitas, quæ facit contritionem perfectam, eſt amor Dei ſuper omnia, & propter ſe; ſed talis non eſt illa dilectio Dei [1] *ut omnis juſtitiæ fontis*; nam ſub hoc motivo peccator reſpicit potius ſeipſum ut juſtitiam quærentem, & ſperantem ex illo fonte; ergo &c.

Confir.quia Concilium, non obſtante illa dilectione, & pœnitentia, tribuit efficaciam gratiæ ſoli Sacramento, velut cauſæ inſtrumentali: ſed hoc non diceret vere, ſi iam peccator haberet gratiam per ſuam contritionem; nam, ex eodem Concilio, vera, & perfecta contritio juſtificat, antequam Sacramentum actu ſuſcipiatur: ergo de mente Concilii pœnitentia prærequiſita ad baptiſmi receptionem non eſt contritio perfecta.

Prob. 3. ex eodem. [2] Non requiritur perfectior pœnitentia ad baptiſmi Sacramentum, quam pœnitentiæ; ſed in iſto ſufficit attritio; ergo & ad illud. Prob. min. Nam attritione peccator [3] *viam ſibi ad juſtitiam parat, & ad juſtitiam in ſacramento impetrandam diſponit*. Et definit eam attritionem *eſſe verum, & utilem dolorem, & præparare ad gratiam*: ergo &c.

Confir. Contritio, quæ fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum neceſſaria, *eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*; ſed hæc definitio tam cõvenit attritioni, quam contritioni perfectæ; ergo illa ſufficit ad ſacramentum pœnitentiæ cum fructu recipiendum; ergo & ad baptiſmum, ſi adſint aliæ conditiones.

Prob.4.Sacramentum baptiſmi, ſicut & alia, cauſat gratiam ſuam ex opere operato; ſed id non poſſet unquam facere, ſi neceſſario deberet præcedere contritio; ergo non eſt neceſſaria. Prob. min. Nam contritio deberet juſtificaſſe hominem, antequam poſſet baptizari; ſed illa juſtificatio, quæ deberet ſemper præ-

[1] *ſ.* 32. c. 4. [2] *Ibid.* [3] *can.* 5.

credere, non haberetur niſi ex opere operantis; imo nec baptiſmus recipi poſſet, niſi cum ejus actu, ſeu cum opere juſtificante; ergo &c.

Plura vide in opere gallico de attritione ſufficienti, p.1.& infra in tr. de pœnit.

Objic. 1. Peccator non poteſt juſtificari per ullum Sacramentum, niſi avertatur a creatura, & convertatur ad Deum, ſicut peccavit convertendo ſe a Deo ad creaturam; ſed illa converſio ad Deum eſſe non poteſt ſine perfecta contritione, ſeu ſine vero amore Dei propter ſe; ergo nec juſtificari per baptiſmum.

Reſp.diſt.maj. niſi convertatur ad Deum aliqua vera converſione ex aliquo motivo ſupernaturali, v. g. ſpei, aut timoris, aut charitatis, con. ex ſolo motivo puræ charitatis, neg. maj. & min. Nam poteſt peccator averti a peccato ob illius turpitudinem, ob privationem gratiæ, & gloriæ, ob incurſum pœnæ æternæ, aut ex aliquali dilectione Dei, quæ non ſit pura charitas, ſed imperetur a virtute ſpei, aut gratitudinis, aut juſtitiæ, & per illam convertitur ad Deum, ſed converſione minus perfecta, quam quæ fit per charitatem puram.

Inſt. Concilium [1] ubique ſupponit, quod ad juſtificationem requiritur dilectio Dei,& pœnitentia ex auxilio gratiæ; ſed hi actus formant veram contritionem ex pura charitate; ergo &c. Prob. maj. *Si quis dixerit, hominem ſine Spiritu S. auxilio poſſe credere, aut diligere, aut pœnitere ſicut oportet, ut juſtificationis gratiam conſequatur, Anath. ſit.* ergo ad juſtificationem etiam in ſacramento baptiſmi obtinendam requiritur contritio.

Reſp. diſt. maj. aliqualis dilectio, conc. dilectio ex pura charitate,neg. maj. Contrarium enim conſtat ex dictis ejuſdem Concilii. Dilectio autem ex aliis motivis, v.g.timoris, gratitudinis, juſtitiæ, ſpei &c. pendet etiam ab auxilio gratiæ, ut diſponat ad juſtificationem. Et inde negatur etiam minor: [2] nam iſti actus non formant veram contritionem, de qua loquimur. Docet, quod contritio illa imperfecta ex illis motivis *ad juſtitiam in ſacramento impetrandam diſponit*.

Objic.2.Scotus docet,quod *per actum, qui eſt contritio, deletur peccatum, ut per diſpoſitionem omnino proximam*:

[1] *Seſſ.6.can.3.* [2] *Seſſ.14.c.4. & can.5.*

mam; ergo ex Scoto contritio perfecta ex charitate eſt diſpoſitio neceſſaria ad deletionẽ peccati in baptiſmo.

Reſp. neg. conſ. Nec enim id cogitavit Doctor: ibi tantum loquitur de ordine prioritatis, & poſterioritatis, quem habent inter ſe contritio, & deletio peccati, & infuſio gratiæ ſanctificantis, ut patet legenti.

Reſpondet inſtantiæ, [1] quod contritio ut contritio ſequitur deletionem peccati; & agit de juſtificatione extra Sacramentum, de qua non eſt quæſtio. Imo quidam non melius intelligentes eum, quam auctores huius objectionis, putant eum velle, quod per attritionem naturalem, & ex nobis diſponimur ad illam gratiam; quod ſapit pelagianiſmum, ut alias notavimus. De mente autem ejus circa præſentem quæſtionem ſatis conſtat ex textibus ſupra citatis; & plura dicemus, ubi de pœnitentia diximus in præfato opere tom. II.

Igitur contritio perfecta eſt quidem optima ad gratiam juſtificationis, nihil enim magis opponitur peccato, quam Charitas, quæ juſtificat per ſeipſam; etiam extra Sacramentum actuale. Licet enim qui vult juſtificari debeat eſſe paratus implere omnia præcepta, & per conſequens recipere ſacramenta, quæ præcipiuntur, ſicut & facere alia requiſita, v. g. ſatisfactionem: tamen præcipua vis ſanctificandi eſt in ipſa contritione, & charitate; & qui ſic juſtificantur, debent poſtea, & ſuo tempore recipere baptiſmum, aut pœnitentiam; alioqui peccarent mortaliter omittendo, ut docet Scotus. *Adultus primam gratiam delentem originale poteſt habere duplici via: 1. ex bono motu diſponente ad illam de congruo*, (qualis eſt contritio perfecta) *vel ex ſuſceptione voluntaria baptiſmi, & ſine fictione, hoc eſt cum intentione ſuſcipiendi quod confert Eccleſia, & ſine actu, vel voluntate peccati mortalis. Hic actus, & voluntas excluditur per attritionem*, quæ non juſtificat per ſe, *ſed per opus externum ſacramenti:* unde concludit, quod *qui non habet talem actum* (ſc. contritionem) *qui ſufficiat ad meritum de congruo, ſed tantum habet voluntatem ſuſcipiendi ſacramentum Eccleſiæ, & ſine obice peccati mortalis in actu, vel voluntate habitualiter inhærentis, recipit non ex merito, ſed ex pacto divino effectum hu-*

[1] *Ibid. n. 16.*

hujus ſacramenti. Et ſic parum attritus etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remiſſionem peccati ... in ultimo inſtanti prolationis verborum, in quo ſc. eſt vis hujus ſacramenti, effectum ſacramenti recipit. Ecce mentem Scoti, & germanam Eccleſiæ doctrinam.

QUÆSTIO IV.

An infantes infidelium poſſint invitis parentibus baptizari, & an qui ſanctificantur in utero matris, teneantur poſt nativitatem baptizari.

Quæſtio procedit maxime de filiis Ethnicorum, & Judæorum, qui fidem Chriſti non habent, nec habere volunt; item de filiis eorum, qui defecerunt a fide per Apoſtaſiam, & tranſierunt ad Paganiſmum, aut Mahometiſmum, aut Judaiſmum, an ſc. filii iſtorum poſſint baptizari ipſis invitis. Quoad 2. p. titulus clarus eſt, an ſc. ſi quis naſceretur cum gratia ſanctificante accepta in utero matris, adhuc poſt nativitatem deberet baptizari, quod pertinet ad quæſtionem de neceſſitate baptiſmi.

De Apoſtatis, & filiis eorum non eſt dubium. Nam cum illi aliquando baptizati fuerint, & facti ſint ſubditi Eccleſiæ, & indelebiliter characterizati, ipſi non ſolum cogi poſſunt ad obſervantiam legum Euangelii, & Eccleſię, & per conſequens ad baptizandos filios ſuos, ſed etiam iſti poſſunt illis invitis baptizari, ſicut & ab eis auferri. Idem eſt a fortiori de hæreticis, qui & ipſi valide baptizati ſunt.

Infideles alii ſunt ſubditi principibus Chriſtianis, alii non. Rurſus inter priores alii ſunt ſubditi ſubjectione ſervili, ut mancipia; alii ſubiectione pure civili, ut cives magiſtratibus; & de utriſque varie cenſent aliqui: nam de iſtis majus eſt dubium, & multi negant pueros eorum debere baptizari ipſis invitis, bene vero filios priorum. Ego tamen non puto diſtinguendum. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Parvuli infidelium principibus chriſtianis ſubditorum poſſunt valide, & licite baptizari invitis parentibus

rent'bus, modo abſit periculum occiſionis eorum à parentibus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. *Dico, quod ſi princeps hoc faceret cum cautela bona, ſc. ne parentes pueri cognoſcentes hoc futurum occiderent pueros ſuos, & quod baptizatos faceret religiosè educari, bene fieret. Imo quod plus eſt, crederem religioſe fieri, ſi ipſi parentes cogerentur minis, & terroribus ad recipiendum baptiſmum, & ad conſervandum poſtea ſuſceptum;* ergo ex Scoto valide, & licitè baptizantur infantes infidelium &c.

Prob. 2. de validitate. Nam patet, quod in tali baptiſmo adſunt omnia requiſita ad valorem; ergo &c. Prob. ant. Si quid deeſſet, maxime conſenſus parentum, vel offerentium; ſed ille defectus non impedit; ergo &c. Nam in pueris non requiritur proprius conſenſus; ergo nec aliorum. Prob. maj. adeſt enim materia, & forma, & recta intentio ex parte miniſtri; & ex parte pueri nihil aliud requiritur, quam quod vivat, & poſſit ablui; ergo &c.

Confir. 1. Nam conſenſus parentum nullibi reperitur præſcriptus, ſed ex uſu, & praxi Eccleſiæ talis baptiſmus reperitur approbatus, nec unquam legitur rebaptizaſſe ſic baptizatos.

Confir. 2. ex Auguſtino, qui de infante dicit: [1] *Ut poſſit regenerari per officium voluntatis alienæ, cum offertur conſecrandus, hoc facit unus ſpiritus, ex quo regeneratur oblatus: non enim ſcriptum eſt; niſi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, vel offerentium, vel miniſtrantium fide; ſed, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S.* &c. ergo valor baptiſmi pro pueris non pendet a conſenſu parentum.

Prob. 2. p. de licitate. Nam parentum dominium in filios non prævalet divino; ſed Deus vult filios illos baptizari; quia vult illorum, ſicut & omnium ſalutem; nec ulla fit eis injuria; ergo poſſunt, imo debent baptizari.

Dices, hoc nimis probare; quia non ſolum id fieri poſſet principis auctoritate, ſed etiam ex privatorum arbitrio; quia iſti hoc facerent ex juſſu divino æque, ac princeps.

Contra. Nam princeps ſpecialem habet poteſtatem a Deo, & vim directivam, & coactivam in ſubditos ad obſer-

[1] *Ep. 32. Bonif.*

obſervandas leges divinas, & humanas; & tenetur zelare Dei cultum, & religionem, & impedire contemptum eius: *Dei enim miniſter eſt in bonum*; ergo id non ſpectat ad privatos, ſed ad principem.

Prob. 2. Nam ex præcepto charitatis æque,ac juſtitiæ poteſt, imo debet princeps impedire injuſtitias, & oppreſſiones in ſubditis; ſed nulla major, & iniquior oppreſſio fieri poteſt pueris a parentibus, quam cum iſti impediunt eorum ſalutem æternam, quæ omnino pendet ab eorum baptiſmo; ergo ex charitate, & juſtitia poteſt, imo debet princeps impedire iniquam reſiſtentiã parentũ infideliũ,ne filii eorũ baptizentur.

Objic. 1. Baptiſmus ille eſſet injurioſus parentibus; quia datur illis invitis, qui habent jus naturale in filios ſuos; ergo non valet; quia opus ſacramentale debet eſſe honeſtum, & ſanctum.

Reſp.neg. ant.Non enim fit injuria parentibus, cum obeditur Deo, cui tam parentes ipſi quam filii eorum ſubduntur altiori jure: neg.etiam conſ. Nam illa injuria parentum, ſi quæ eſſet,non ſufficeret ad invalidandum ſacramentum aliunde optimum, & ſummè neceſſarium ad ſalutem filiorum. Imo iſti in eo caſu debent ab eis auferri, ne occidantur corporaliter.

Objic. 2. Adultus non rite baptizatur invitus, & contra propriam voluntatem; ergo nec pueri contra voluntatem parentum. Prob.conſ. Pueri tam pendent a voluntate parentum, quam adulti ſunt liberi quoad hoc; ergo &c.

Reſp.neg.conſ. & rationem eius. Nam in his, quæ ſpectant ad bonum ſupernaturale, magis pendent à Deo, & ab jis, quos Deus in hunc finem conſtituit ſuper illos,& ipſos parentes, ut conſtituit Princeps, & Magiſtratus.

Objic.3.Deus non vult voluntatem ſuam de ſalvandis pueris impleri cum violatione legis naturæ; ſed baptizando pueros invitis parentibus, violatur lex naturæ: nam hæc ſubjicit pueros omnimodæ diſpoſitioni parentum; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam potius reſiſtentia parentum violat legem naturæ, quæ ſicut vetat parentibus occidere corporaliter filios, & jubet obedire Deo filiorum ſaluti providendo; à fortiori vetat eos ſpiritualiter occidere, & impedire ſalutem illorum æternam,

& ma-

& maxime contra voluntatem Dei. Et hæc faciunt parentes, qui nolunt filios ſuos baptizari.

Inſt. Non conſtat de illa voluntate Dei contraria voluntati parentum circa proprios filios; imo conſtat de oppoſito; ergo gratis hoc reſpondetur. Prob. ant. Deus non ſalvat, niſi volentem voluntate ſaltem aliena, ſi non habet propriam, juxta illud, [1] *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Et de puero dicit Auguſt. *Voluntate aliena ſanatur qui ad factum alienum vulneratur. Fit interrogatio, credis in Chriſtum? Reſpondetur, credit pro non loquente, pro ſilente, flente, & flendo quodammodo ut ſubveniatur orante reſpondetur; & valet:* ſed non poteſt ſic reſponderi valide, niſi a parentibus; ergo nec licite, nec valide baptizantur.

Reſp. neg. ant. Nam hoc præceptum implicite continetur in verbis Chriſti: *Niſi quis renatus fuerit* &c. Et Apoſtoli, [1] *Deus vult omnes ſalvos fieri*, ſicut eſt Deus omnium; neg. etiam min. prob. Nam Eccleſia, & princeps jubens eos baptizari reſpondet pro illis. *Reſpondere cenſetur Eccleſia, quæ in ſanctis eſt, & tota ſingulos parit*, ait idem Auguſt.

Igitur baptizantur pueri Ethnicorum, Judæorum, & multo magis Hæreticorum, & Schiſmaticorum invitis parentibus, & quidem valide, & licite, modo adſint alia requiſita ex parte ſacramenti.

Objic. 2. Si pueri baptizarentur invitis parentibus, vel eſſent ab eis auferendi, vel exponeretur Sacramentum profanationi; ſed neutrum fieri poteſt; ergo nec illud. Prob. min. 1. ſi auferantur e parentibus, fit iſtis injuria, & violatur lex naturæ. 2. ſi non auferantur, non permittent eos doceri, nec obedire legibus chriſtianis; ſed potius cogent idololatrare, aut judaizare; & ſic profanabitur baptiſmus; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam poterunt ab eis auferri, ſi adſit periculum occiſionis, aut perverſionis: & id poſſunt principes, & magiſtratus ob rationes allatas: poterunt vero relinqui ſub ſpe, quod cum adoleverint, poterunt diſcedere a parentibus, ut liberius ſerviant Deo ſecundum leges chriſtianas.

Inſt. Deus non vult quemquam invitum trahi ad ſalutem; ſed illi infantes cenſentur inviti baptizari, cum parentes diſſentiunt; ergo iſtis invitis non ſunt ba-

[1] *Ser. 24. de ver. Apoſt.* [2] *Epi. 23. cit.*

baptizandi. Prob. maj. Nam fides non ſalvat, niſi *per dilectionem operetur*, quæ eſt libera; & vileſceret Religio Chriſtiana, ſi ad eam per vim traherentur homines. Unde Apoſtoli mittuntur non ut milites, ſed ut doctores, non armati, ſed ſine baculo, & pera, & ut oves inter lupos. Ideo ait Chryſoſt. [1] *Peragrarunt univerſum orbem oves ſimul cum lupis, & vulneratæ a beſtiis non ſunt oves, ſed magis lupi ad ovium manſuetudinem ſunt converſi*; ergo nulli ſunt cogendi ad baptiſmum.

Reſp. neg. maj. Nam ſervi patris familias jubentur *exire in vicos, & plateas, ut cæcos, & claudos, & pauperes compellant intrare*. Unde Auguſt. [2] *Putas, neminem poſſe cogi, cum legas patrem familias dixiſſe ſervis; quoſcumque inveneritis, cogite intrare, ut impleatur domus Domini*. Ad prob. neg. ant. Nam inde potius commendatur divina bonitas, dum ad ſalutem vocat etiam invitos, licet de facto non ſalvet niſi volentes, ſi ſint capaces volendi. Indidem commendatur legis chriſtianæ charitas, & ſanctitas, quæ omnes amplectitur, & tradit ad Deum, ut patet ex eadem Parabola.

Reſp. 2. neg. min. Nam puerorum voluntas, quamdiu ſunt incapaces arbitrii, magis pendet a Deo, & miniſtris ejus in his, quæ ſpectant ad ſalutem quoad ſupernaturalia, quam a ſuis parentibus, quamdiu reſiſtunt legi divinæ.

Objic. 5. ex Concil. Tolet. IV. prohibetur de Judæis, *nemini deinceps ad credendum vim inferre*: & improbat nimium zelum Regis Siſenandi, ſeu Siſubi, qui Judæos ſibi ſubditos cogebat baptizari; ergo non licet illis invitis baptizare filios eorum.

Reſp. neg. conſ. Non enim loquitur Concilium de pueris, ſed de adultis, qui ad id cogi non debent. Imo nec abſolute improbat factum illius Regis, quem vocat *religioſiſſimum principem*, ſed ſolum quia id non faciebat cum ſufficienti cautela, ne parentes occiderent, aut aliter nocerent pueris in odium fidei, & adultos averterent a fide.

Objic. denique. Si liceret pueros ſic baptizare, ad hoc tenerentur principes ſub peccato; ſed conſ. eſt tal-

[1] *Ser. 3. Pentec.*
[2] *Ep. 48. ad Vincen.*

falſum, non enim conſtat de tali obligatione, nec debet aſſeri ſine gravi fundamento. Imo praxis eſt contraria pro Judæis, & Ethnicis, quos tolerant principes, & ipſe Papa in libertate: ergo &c. Prob. maj. Nam lex charitatis, & juramentum protegendi fidem id videntur exigere.

Reſp. diſt. maj. niſi inde imminerent graviora mala, conc. ſi hæc immineant, neg. maj. & conſ. Nam illi principes, qui hac poteſtate non utuntur, habent urgentiores rationes, quæ vergant in majus bonum Reipub. Chriſtianæ, & ob quas judicant id non expedire: ſicut & alia coguntur permittere, quæ ex ſe ſunt mala, ut meretricium.

Dixi 1. *de filiis infidelium ſubditorum principibus chriſtianis*; nullam enim in alios habent juriſdictionē.

Dixi 2. *modo abſit periculum occiſionis puerorum*; Nam ſi timeretur, ne parentes ex odio in fidem, & ad vitandum baptiſmum filiorum eos occiderent, abſtinendum eſſet ab illa praxi; alioqui procuraretur mors pueris ſine fructu ſpirituali, & pueri fruſtrarentur utroque bono utriuſque vitæ.

3. Limitant alii, ut hoc non liceat niſi caſu, quo periclitaretur vita pueri: nam extra tale periculum poſſet expectari, donec adoleſceret. Sed hæc ratio non urget: nam melius eſſet illud tempus prævenire, ut per gratias baptiſmales juvaretur anima baptizati, ut fidem acceptam ſervaret, & ſecurius percurreret tempus pueritiæ inter tot pericula vitæ, & ſalutis, quibus obnoxia eſt illa ætas.

CONCLUSIO II.

Qui eſſent ſanctificati in utero matrum, adhuc poſt promulgationem Evangelii deberent baptizari. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Poſt promulgatum Evangelium per modum præcepti quilibet qualitercumque juſtificatus, qui non implevit præceptum illud, cum quo Deus non diſpenſavit ſpecialiter, ut non teneretur ad illud, tenetur ad baptiſmum in affectu, & pro loco, & tempore effectu, ſi manet nobiſcum viator, quouſque poteſt commode, in effectu... quia lex univerſaliter* pro-

[1] *d.4.q.6.A.2.*

promulgata omnes obligat .... tale fuit præceptum de baptiſmo ſuſcipiendo, Niſi quis renatus fuerit &c.

Prob. 2. ex eodem. Nam *quilibet viator tenetur eſſe membrum Eccleſiæ militantis non ſolum in ſcientia divina, ſed quoad notitiam aliorum, quibus tenetur communicare*; ſed qui non reciperet baptiſmum, non fieret membrum Eccleſiæ, nec ut talis agnoſceretur; nec enim agnoſcimus chriſtianum, niſi quem ſcimus eſſe baptizatum; ergo &c.

Prob. 3. quia homo, quantumcumque juſtus, non poteſt ſine peccato contemnere magnam gratiam, quam poteſt actu facile acquirere; ſed per baptiſmum poteſt ille ſanctus acquirere magnum augmentum gratiæ actu facillimo, ſc. gratiam baptiſmalem, & auxilia illi annexa; quid enim facilius, quam ablutio illa ſacra? ergo &c.

Prob. 4. Nam qui ſanctificabantur in utero materno, ut Jeremias, & Joannes, adhuc circumcidebantur, & ipſe Chriſtus D. voluit circumcidi, non ad augmentum gratiæ, quæ non poterat augeri, ſed ad exemplum. Et Apoſtoli poſt juſtificationem adhuc baptizati ſunt, & ipſa B. V. Deipara, ut creditur: & ideo forte dixit Chriſtus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet*; ergo &c.

Objic. 1. Ille baptiſmus eſſet illis fruſtra; non enim utilis eſſet pro ullo peccato, nequidem originali; ergo &c.

Reſp. neg. ant. licet enim per ſe inſtitutus ſit contra originale, adhuc confert magnam gratiam juſtificatis.

Inſt. Eſſet ſignum falſum; ergo &c. Prob. ant. Ablutio exterior ſignificat interiorem a peccato; ſed hanc non cauſaret, ſaltem ex opere operato, quia non adeſſet macula: ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. Nam ex opere operato cauſaret gratiam, quæ de ſe eſt ablutiva animæ, & abſterſiva peccati, ſi adſit.

Objic. 2. Homo ſanctificatus poſſet hoc ſcire per revelationem divinam: ſed in hoc caſu non teneretur baptizari: & maxime ſi ſciret gratiam ſuam eſſe ſummam: ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam licet non egeret baptiſmo ad augmentum gratiæ, ut contigit Chriſto, in quo erat ſumma, adhuc deberet baptizari ex obedientia,

& in

& in conformitatem cum aliis membris Eccleſiæ, & ne ex negligentia tanti ſacramenti excideret ab illa gratia.

QUÆSTIO V.

Quis ſit Miniſter Baptiſmi.

MIniſter alius eſt *ordinarius*, qui ex officio deſtinatur ab Eccleſia ad hoc miniſterium: alius *extraordinarius*, qui exercet ex delegatione, & in quibuſdam caſibus tantùm.

Rurſus collatio baptiſmi alia eſt *ſolemnis*, quæ fit cum cæremoniis, & ſolemnitatibus ab Eccleſia ſtatutis; alia *privata*, quæ in caſibus neceſſitatis fit ſine illis cæremoniis. Item quæſtio procedit de adminiſtratione tam *valida*, in qua ſervantur ſubſtantialia, ſed omittuntur accidentalia, aut mutantur, quàm *licita*, in qua ſervantur utraque tam ex parte dantis, quàm recipientis. De his omnibus hìc quæritur per reſpectum ad miniſtrum.

CONCLUSIO.

QUilibet homo viator, & rationis compos, qui poteſt abluere, & proferre verba ſacramentalia, eſt miniſter extraordinarius baptiſmi, & licitè baptizat in caſu neceſſitatis, & ſine ſolemnitate: ordinarius autem, & cum ſolemnitatibus eſt ſolus Epiſcopus, aut Parochus, vel ab eis delegatus. Eſt de fide quoad 1. par. contra Calviniſtas, dicente Beza, quòd baptiſma collatum à privatis perſonis præter miniſtros, *non pluris eſt faciendum, quàm id, quod Regis, aut Reip. nomine privatus quiſpiam proprio nomine pro libitio gereret, aut quàm fabula;* additque ſe præferre baptiſmum à diabolo collatum illi, quem fœmina, aut privatus aliquis conferret. Imò & contra aliquos Theologos antiquos, qui mordicus voluerunt invalidum eſſe baptiſmum ab hæreticis collatum, ut Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus ſub finem ſecundi ſæculi, Cyprian. & alii Epiſcopi Africani circa medium, Firmilianus Epiſcopus Cæſareæ in Cappadocia, aliique Aſiatici circa idem tempus, Baſilius, qui negabat valere baptiſmum extra Eccleſiam datum, ſaltem quoad

hereticos; tolerabat autē datum apud *Paraſynagogas*, ideſt congregationes, quæ ex Presbyteris rebellibus, vel Epiſcopis, vel indocta plebe conſtabant. Idem docebat Optatus Milevitanus de Hæreticis, ſed admittebat datum à Schiſmaticis. Idem Cyrillus Hieroſolym. (1) de Hæreticis, *Soli Hæretici rebaptizantur*, ajebat, *ſiquidem prior ille non erat baptiſmus*. Illis autem fortiter ſeſe oppoſuit Stephanus Papa I. qui cum Cypriano acriter dimicavit, reprobans definitionem Concilii Carthaginenſis de rebaptizatione, minatus excommunicare Epiſcopos Orientales rebaptizantes, niſi reſipiſcant.

Prob. 1. ex Scoto, (2) qui tria requirit in miniſtro baptiſmi. 1. *virtutem motricem, qua poſſit activè abluere alium. 2. ut poſſit loqui, & proferre verba, in quibus eſt forma. 3. ut poſſit habere uſum rationis, ut intendat facere, quod facit Eccleſia*: Et concludit, quòd *nullum ſuppoſitum naturæ intellectualis excluditur à poſſe baptizare, niſi propter aliquem illorum trium defectuum, vel propter plures, & omnes ſimul*.

Prob. 1. p. ex Conc. Lateran. (3) *Sacramentum baptiſmi tum parvulis, tum adultis in forma Eccleſiæ à quocumque ritè collatum proficit ad ſalutem*. Et Florent. (4) *Miniſter hujus ſacramenti eſt ſacerdos, cui competit ex officio baptizare. In cauſa autem neceſſitatis non ſolum Sacerdos, & Diaconus, ſed etiam laicus, & mulier, imò etiam paganus, & hæreticus poteſt baptizare, dummodo ſervet formam Eccleſiæ, & facere intendat, quod intendit Eccleſia*. Et talis eſt praxis Eccleſiæ, quæ fidei eſt Magiſtra. Unde non rebaptizati ſunt, quos Athanaſius puer baptizaverat; quia interrogatus, quo animo id feciſſet, reſpondit ſe voluiſſe facere, quod faciebant ſacerdotes in Eccleſia, ut ſcribit Rufinus. Et cap. *Romanus*, ex Iſidoro: (5) *Romanus Pontifex non judicat hominem, qui baptizat, ſed Spiritum Dei ſubminiſtrare gratiam baptiſmi, licèt paganus ſit, qui baptizat*. Et Nicol. I. ad conſult. Bulgar. ibidem relatus: *A quodam Judæo neſcitis, an Chriſtiano, an pagano, multos in patria veſtra baptizatos aſſeritis, & quid de his ſit agendum conſulitis. Hi profecto,*

[1] *præfat. catech.* [2] *d.6.q.1.A.2.*
[3] *c. firmit.* [4] *decr. Eugen.*
[5] *lib.10.c.14.*

fecto, ſi in nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt. . . . conſtat eos non eſſe denuò baptizandos. Quoad hæreticos autem conſtat ex tractu ſuperiori.

Confir. Nam Apoſtoli ante inſtitutionem Euchariſtiæ non erant ſacerdotes, & baptizabant: Et Ananias, qui baptizavit Paulum, non putatur fuiſſe ſacerdos; ergo, &c.

Prob. 2. p. de Epiſcopis, & Sacerdotibus quoad miniſterium ordinarium. Nam ex Conciliis citatis, & ex Script. conſtat, quòd Chriſtus hoc miniſterium commiſit Apoſtolis, & Diſcipulis, quibus Epiſcopi, & Parochi ſucceſſerunt: *Docete omnes gentes baptizantes*, &c. Item ex traditione. Nam in primis ſæculis ferè ſoli Epiſcopi baptizabant, ut colligitur ex Theodoreto, [1] & Paulino in vita S. Ambroſii, qui in tantum laborabat, *ut quod implere ſolitus erat circa baptizandos, quinque poſtea Epiſcopi à tempore, quo deceſſit, vix implerent.* Presbyteri autem, & Diaconi baptizabant de mandato Epiſcopi, ut colligitur ex Tertull. [2] *Dandi quidem habent jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi, non autem ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt.* Et ex Hieron. [3] *Inde venit, ut ſine Chriſmate, & Epiſcopi juſſione neque Presbyteri, neque Diaconi jus habeant baptizandi.*

Igitur hoc miniſterium delegabatur etiam Diaconis, ſed directè ſpectabat ad Epiſcopos. Unde in Actis Apoſtolorum [4] Philippus Diaconus, *poſtquam evangelizavit regnum Dei in nomine J. C. baptizabantur, qui credebant*; & baptizavit Eunuchum Reginæ Candacis.

Prob. 2. ex Scoto cit. [5] *Congruum eſt inter homines viatores, ſacerdotem baptizare. . . . quia per baptiſmum recipitur baptizatus in collegium militantis Eccleſiæ: ſed receptio in collegio pertinet ad præſidentem, & habentem auctoritatem in collegio* (qualis eſt Epiſcopus, & Sacerdos) *ergo quantò magis aliquis habet auctoritatem in Eccleſia, tantò magis ad eum pertinet baptizare. Unde magis competeret Epiſcopo, quam ſimplici Sacerdoti, ſi ſufficere poſſent Epiſcopi, ſed propter pau-*

M 2 *cita-*

[1] *lib.1.hiſtor.c.27.* [2] *de Bapt.27.*
[3] *cont.Luciſ.n.20.* [4] *Act.8.* [5] *ibid.D.3.*

citatem Epiſcoporum, & pluralitatem baptizandorum regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus.

Dico, *regulariter*; nam in caſu neceſſitatis quilibet viator id poteſt, ut dicebamus.

Denique tota concluſio patet ex praxi communi Eccleſiæ.

Objic. 1. cont. 1. p. Ex S. Iſidoro conſtat, baptiſmum à ſolis ſacerdotibus tradi. Deinde ſolius ſacerdotis eſt dimittere peccata; ergo & baptizare: quia per baptiſmum dimittuntur peccata.

Reſp. ex Scoto, [1] diſt. ant. dimittere peccata juridicè, & per modum judicii, conc. ſacramentaliter, & purè abſque judicio, neg. ant. quoad utramque par. & quidem in caſu neceſſitatis, & extraordinariè; nam ordinariè ſoli ſacerdotes baptizant per modum ſimplicis ablutionis ſacramentalis.

Objic. 2. Non legitur in Scriptura, quòd ullus laicus baptizaverit; ergo, &c. Prob. ant. Nam multi putant Apoſtolos ante paſſionem non baptizaſſe baptiſmo Chriſti, ſed Joannis; & Ananiam, cùm baptizavit Paulum, jam fuiſſe ſacerdotem cum aliis diſcipulis; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. Nam licèt non haberemus ex Scriptura, quod dicebamus de Apoſtolis, & Anania: non minùs vera eſſet concluſio quoad hoc: nam ſufficit praxis Eccleſiæ.

Reſp. 2. neg. utrumque ant. Nam gratis negatur, Apoſtolos ante paſſionem dediſſe baptiſmum Chriſti, & gratis aſſeritur, Ananiam fuiſſe ſacerdotem, quando baptizavit Paulum.

Objic. 3. Chriſtus eos ſolos commiſit ad baptizandum, quos miſit ad *docendas gentes, baptizantes*, &c. ſed utrumque commiſit ſolis Apoſtolis, quibus ſuccedunt Epiſcopi, & ſacerdotes, non verò laici; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. commiſit primariò, & immediatè ut miniſtros ordinarios, conc. ſecundariò, mediatè, & ut extraordinarios, ſeu abſolutè, & ſimpliciter cum excluſione aliorum inſtante neceſſitate, neg. maj. Nam licèt immediatè, & primariò id commiſerit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, velut ordinariis miniſtris, non tamen excluſit alios in caſibus neceſſitatis: *Quia*, inquit Doctor, *congruebat divinæ providentiæ*,

[1] *Ibid. H.*

tiæ, ut ſacramentum, quod voluit eſſe omnibus neceſſarium, redderet facillimæ executionis tam quoad miniſtros, quàm quoad materiam; & ideò vult in caſu neceſſitatis, quod illud poſſit à quovis viatore conferri.

Objic. 4. Tertullianus, [1] & alii Patres nolunt, id licere hominibus, quibus Deus non permiſit docere. Et Concilium Eliberitanum videtur velle, ut miniſter non ſacerdos ſervaverit integram gratiam baptiſmalem, & ut non ſit bigamus; ergo excluduntur ab hoc miniſterio peccatores, pœnitentes, & bigami.

Reſp. diſt. ant. ad miniſterium ſolemne, & ordinarium, conc. ad privatum, & extraordinarium in caſibus neceſſitatis, neg. ant. non enim de his caſibus loquuntur Patres, nec illud Concilium, ſed tantùm de miniſtro ordinario, & ſolemni, aut ſaltem in caſibus, in quibus adſunt alii aptiores. Nam cùm plures adſunt, præferri debent ſanctiores, peritiores, & viri fœminis, niſi pudori parturientium ſit conſulendum; quia tunc alia mulier eſſet præferenda viris.

Objic. cont. 2. par. Diaconi deſtinabantur ad baptizandum; ergo erant miniſtri ordinarii æquè, ac Epiſcopi, & Presbyteri. Prob. ant. ex Script. de Philippo Diacono, qui præſentibus Apoſtolis baptizabat in Samaria; & per eoſdem regebantur minores Eccleſiæ in villulis, & pagis, ut notat Hieronymus. Et ex eorum ordinatione, ubi dicitur: *Diaconum oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*; ergo Diaconi ſunt miniſtri ordinarii baptiſmi.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam id intelligendum in abſentia, & defectu presbyteri, & in caſibus neceſſitatis: nam tunc Diaconi præferendi ſunt laicis; & in eo caſu regebant villulas, & pagos quoad aliqua miniſteria.

Objic. 2. Ipſis Parochis non licebat olim baptizare, niſi jubente, vel abſente Epiſcopo; ergo non ſunt miniſtri ordinarii baptiſmi.

Reſp. neg. conſ. quantum ad præſens. Olim quidem in urbibus, & præſente Epiſcopo id ita fiebat uſque ad

[1] *lib. de bapt.*

ad quintum circiter ſæculum; ſed ab eo tempore miniſterium iſtud relictum eſt Parochis, qui ubique illud exercent, niſi in caſibus extraordinariis, in quibus id ſibi reſervant Epiſcopi, quos primariò *poſuit Deus regere Eccleſiam Dei* per ſe, aut per presbyteros, vel alios.

CONCLUSIO II.

N*Emo poteſt ſeipſum baptizare*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam id patet ex figura, auctoritate, & ratione congrua. Figura eſt, quia Chriſtus ideo non à ſe, ſed à Joanne baptizari voluit. Auctoritas, quia Chriſtus dixit: ite, baptizate omnes gentes. Ratio, quia baptiſmus eſt quædam ſpiritualis generatio*, &c. ſicut alius eſt, qui gignit, & alius, qui gignitur, ita in ſacramentali generatione.

Prob. 2. ex dictis tract. ſuperiori de miniſtro ſacramentorum: & patet ex cap. *Debitum*, ubi dicitur de Judæo, qui ſeipſum baptizaverat in mortis articulo, ſeipſum immergendo, & dicendo, *ego me baptizo*; & reſpondet Papa, [2] quòd, *cùm inter baptizantem, & baptizatum debeat eſſe diſcretio ..... ille Judæus debet eſſe ab alio baptizandus de novo, ut oſtendatur, quòd alius eſt, qui baptizatur, & alius, qui baptizat*; ergo, &c.

Objic. 1. Sacerdos ſibi miniſtrat Euchariſtiam; ergo poteſt aliquis ſibi miniſtrare baptiſmum, & alia ſacramenta.

Reſp. neg. conſ. Nam ſumptio Euchariſtiæ non eſt ſacramentum, ſed receptio ſacramenti; quippe ſacramentum iſtud non conſiſtit in uſu, ſed eſt quid permanens; non ita baptiſmus.

Objic. 2. Innocentius citatus in illa Decretali dicit, quòd ſi Judæus ille mortuus fuiſſet, citò volaſſet in cœlum; ergo cenſet, quòd ille baptiſmus erat validus; alioqui non fuiſſet ſanctificans.

Reſp. neg. conſ. quia fuit baptiſmus flaminis, non fluminis; & ſic habuit effectum ex fide, & voto, ſeu ex opere operantis, non ex operato.

Inſt. Ille baptiſmus habebat omia eſſentialia veri ſacramenti, ſc. materiam, formam, miniſtrum, & inten-

[1] *D. 6. q. 4. A. 2.* [2] *Extr. de Bapt.*

intentionem debitam ex parte tam miniſtri, quàm ſuſcipientis; ergo, &c. Prob. conſ. ex Auguſt. *Accedente verbo ad elementum* (ſc. forma ad materiam) *fit ſacramentum*.

Reſp. diſt. ant. omnia ex parte materiæ remotæ, & formæ, conc. ex parte miniſtri, & ſubjecti, neg. ant. Nam iſti debent eſſe perſonæ diſtinctæ.

QUÆSTIO VII.

An unus miniſter poſſit ſimul plures baptizare, an plures unum.

HUjus quæſtionis ſolutio facilis eſt ex dictis de miniſtro ſacramentorum in communi. Tamen quia videtur faciliùs occurrere poſſe in baptiſmo, quàm in aliis, ſpecialiter uterque caſus examinandus eſt.

CONCLUSIO I.

POteſt unus, idemque miniſter plures ſimul baptizare validè, ſi ſimul eos abluat, & formam proferat in plurali; ſed non niſi urgeat neceſſitas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Conceditur, quod iſte plures ſimul aſpergens, aut fundens, & ſimul proferens formam in plurali, dicendo, ego vos baptizo, baptizat[illegible] omnes; tamen peccat mortaliter .... niſi fortè eſſet tanta neceſſitas, quòd immineret mors omnium.*

Prob. 2. quia nihil hic repugnat neque ex parte Chriſti, vel Eccleſię, neque ex parte baptiſmi; ergo, &c. Prob. ant. 1. quia Chriſtus dixit, *Baptizantes eos*, &c. nec determinat actus, vel numerum perſonarum; & an ſimul, vel ſingulatim debeant baptizari. 2. quia Apoſtoli, & Eccleſia ſic aliquando baptizarunt; ut cùm tria millia una die ab hora tertia baptizarunt: & unus ſacerdos plures ſimul hoſtias conſecrat. 3. quia in tali baptizatione adſunt omnia requiſita eſſentialiter ad baptiſmum; ergo, &c.

Prob. 2. p. Nam inquit Doctor: *Non licet mutare formam Eccleſiæ, niſi in caſibus, in quibus diſpenſat*; ſed in hoc non diſpenſat, niſi urgeat gravis neceſſitas; ergo, &c.

[1] *D. 6. q. 2. F. 8.*

Objic.cont.1. par. Vel eſſent plures baptiſmi, vel unicus; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. 1. non unicus, quia eſſent plura ſubjecta, & plures baptizati; ergo & plures baptiſmi. 2. non plures: nam eſſet una baptizatio; ergo & unicus baptiſmus.

Reſp. neg. min. Nam eſſent plures baptiſmi, quilibet haberet ſuum: & diſt. ant. prob. eſſet una baptizatio formaliter, & entitativè, conc. virtualiter neg. antec. Nam forma profertur pluraliter, & *eos* æquivalet tot ſingularibus, quot ſunt homines, qui tinguntur, & ad quos dirigitur actio, & intentio miniſtri: unde eſſent plures ablutiones, quia ſinguli tingerentur ſimul; ſicut qui uno ictu feriret plures, ſinguli haberent ſuum vulnus. Deinde baptizatio ſumpta pro actione baptizandi importat pro formali relationem, quæ multiplicatur ad multiplicationem terminorum.

Objic. 2. Si adeſſet monſtrum habens duo capita, & duas animas, non poſſet unica ablutione, vel unica forma baptizari; ſed hoc eſſet falſum, ſi vera eſſet concluſio: nam ſufficeret dicere: *Ego vos baptizo*: ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam ſi certum eſſet adeſſe duas animas, nec poſſent adhiberi duæ ablutiones, & formæ, ſufficeret illa una.

Objic. cont. 2. part. Ex verbis Chriſti patet, formam poſſe dici tam pluraliter, quàm ſingulariter; ergo etiam extra caſum neceſſitatis poſſent ſimul plures baptizari. Prob. antec. Nam Chriſtus loquitur pluraliter, & copulativè, non ſingulariter: non dicit ſingulos baptizantes, ſicut nec ſingulos docentes; ſed *eos*, ſcilicet omnes; & ſic de facto egerunt Apoſtoli, cùm uno die tria millia baptizarunt; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ſufficit, quòd Eccleſia ſic ordinaverit ex parte Chriſti, ita ut non liceat aliter fieri ſine gravi neceſſitate.

CON-

CONCLUSIO II.

Aliquando idem ſuſcipiens validè poſſet baptizari à pluribus miniſtris, aliquando invalidè. ſed nunquam licitè.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui ſic rem totam explicat, & reſolvit. *Plures baptizare poſſe intelligi vel eundem, vel plures ſuſcipientes. 1. ſi eundem, vel uterque miniſter totum facit, vel unus abluit, & alter profert verba. 2. ſi baptizant plures, vel manifeſtè diſtinctos, vel immanifeſtè diſtinctos, ut in monſtro, de quo dubitatur, an ſint duæ perſonæ, vel unica. De 1. quando uterque totum facit pro illo, ille eſt baptizatus; quia non eſt veriſimile, quod unus faciens annullet factum alterius*, &c. ergo ex Scoto, ſi ambo, & ſinguli miniſtri abluant, & proferant formam, baptiſmus erit validus, ſaltem ex parte illius, qui prius fecerit, aut cujus voluerit Deus factum acceptare: aut ſi eodem prorſus inſtanti perficerent ſacramentum, Deus poſſet moveri partialiter per utrumque ad dandam gratiam, vel eligere unum ex illis, cujus intuitu eam daret; & licèt factum alterius ſuperflueret, non ideò aliud invalidaret; quia *utile per inutile non vitiatur*.

Prob. 2. p. Si unus miniſtrorum det aquam, & alter proferat verba, ita ut neuter faciat totum ſacramentum, non valebit ille baptiſmus: tum quia Chriſtus voluit, ut ſicut eſt unus Chriſtus, una Eccleſia, unus baptiſmus, ita & ut ſit unus miniſter principalis: tum quia ille, qui proferret verba, nihil verum ſignificaret; non enim verè diceret, *ego te baptizo*, quia ipſe non ablueret, & ſic oratio eſſet falſa; nam ablutio ſpiritualis ſignificatur practicè per materialem, & externam; ergo ſicut 1. modo valeret baptiſmus, ita in 2. non valeret.

Prob. 3. p. quia hoc eſt contra ritum Eccleſiæ, imò & contra intentionem Chriſti, quam intellexit Eccleſia, ut velit unicum miniſtrum. Item & propter inconvenientia, quæ ſæpè acciderent, ut patet ex dictis tract. ſuperiori; ergo ſemper eſt illicitum, ut plures unum baptizent.

Objic. 1. cont. 2. par. Poteſt dari caſus, in quo adſint

(1) *Ibid. A. 2.*

tantum duo, quorum alter ſit mancus, nec dare poſſit aquam, & alter mutus, qui non poſſit proferre verba formæ, & urgeat neceſſitas baptizandi; ergo deberent ambo eundem baptizare partialiter, ne anima permitteretur damnari.

Reſp. caſum eſſe valdè metaphyſicum, & moraliter impoſſibilem; ſed eo dato, neg. conſ. tum quia illi duo nihil facerent; tum quia faciendo peccarent: nemo autem debet peccare, & exponere ſe damnationi, ut alium ſalvet.

Objic. 2. Ibi adeſſent omnia eſſentialia baptiſmi; ergo eſset verus, & validus baptiſmus. Prob. ant. adeſſet vera materia, & vera forma, cum debita intentione miniſtrantium; ergo, &c.

Reſp. neg. utrumque ant. Nam ut vera ſit forma, debet eſse in proferente unita cum ablutione; alioqui non rectè ſignificaret, ut dictum eſt.

Inſt. Poſſent proferri verba more Græcorum: *Baptizetur*, &c. ſed forma ſic prolata rectè ſignificaret; ergo nulla eſt reſponſio.

Reſp. neg. min. Nam forma Græcorum, *baptizetur*, non ſumitur deprecativè, ſed indicativè, ita ut ſignificet, quòd illa actio cum illis verbis operatur internam ablutionem animæ; hoc autem non ſignificaretur, ſi alter à proferente infunderet aquam, & ablueret.

Inſt. 2. In ſacramento pœnitentiæ materia ponitur à pœnitente, & forma profertur à miniſtro; & in Euchariſtia unus poteſt panem apponere, & alter proferre verba conſecrationis; ergo idem fieri poteſt in baptiſmo. Prob. ant. Nam pœnitens affert peccata, quæ ſunt in illo velut materia; & ſacerdos dat abſolutionem; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas petitur ex voluntate Chriſti, quæ nobis conſtat per Eccleſiam. Denique in illis duobus ſacramentis forma nihil habet falſi, ut haberet in iſto. A quocumque ponatur panis, verba conſecrationis habent ſuum ſignificatum: in pœnitentia autem verba abſolutionis non ſignificarent, niſi pœnitens explicaret peccata, quæ per illam remittuntur: non ita eſt de baptiſmo.

Objic. 3. Si aliquando valeret baptiſmus datus uni à pluribus, duæ cauſæ totales haberent eundem effectum; ſed iſtud eſt contra nos; ergo & illud.

Reſp. ut ſupra neg. maj. Nam duo illi baptizantes non cauſarent gratiam totaliter totalitate cauſæ: præterquam quod illud axioma non valet in cauſis moralibus, & inſtrumentalibus, ut ſunt ſacramenta, & eorum miniſtri.

Objic. 4. vel eſset unum, & idem ſacramentum à pluribus, vel plura: ſed neutrum dici poteſt: ergo, &c. Prob. min. 1. non unicum, quia ſinguli baptizarent ſuis actibus: actiones enim ſunt in agentibus per nos. 2. non plura: quia unum ſuperflueret, & eſset nullum.

Reſp. diſt. maj. eſsent plura, vel unum ſub diverſo reſpectu, conc. ſub eodem reſpectu, neg. maj. & min. eſsent plura reſpectu agentium, eſsent plures baptizationes, & unum reſpectu effectus: ſinguli ponerent materiam, & formam, & alia requiſita: ſed operarentur eundem prorſus effectum, unum baptiſmum paſſivum: quia baptiſmus ſumitur paſſive; non enim operatur phyſicè, ſed moraliter: & Deus ſolus dat gratiam intuitu baptiſmi, aut baptiſmatum; & perinde illi eſt, quod reſpiciat ad unum, aut plures.

Inſt. Si eſsent plures baptiſmi, unus eorum ſuperflueret, & nihil faceret; ergo non valerent. Prob. ant. illud ſuperfluit, quo non exiſtente haberetur totus effectus; ſed haberetur tota gratia per unicum; ergo alii ſuperfluerent, & duo, vel tres, aut plures non plus facerent, quàm unicus.

Reſp. diſt. ant. ſi non eodem inſtanti perficerentur, conc. ſi eodem ſimul inſtanti perficerentur, neg. ant. & diſt. maj. ſuperfluit, ideſt, non eſt neceſsarium, con. maj. & min. id. nihil operatur, neg. maj. & conſ. unus quidem illorum non eſset neceſsarius; & hoc ſenſu dici poſset ſuperfluus; ſed poſito, quòd exiſtat, operatur indiviſim cum alio; quia Deus intuitu amborum dat gratiam.

Quæres, *an ablutio, & prolatio formæ ita debeant eſſe ſimul, ut ſi una phyſicè non ſuccedat alteri, nihil faciat.*

Reſp. ſufficere ſimultatem moralem, ita ut, cùm miniſter profert verba, *ego te baptizo*, ablutio ſit ſic præſens, ut faciat ſenſum verum. Quod fiet, ſi antequam præterierit tota ablutio, incipiat proferre verba. Nam in more, & æſtimatione humana id

ſufficit, ut verba ſignificent rem totam de præſenti. Et certè ſi deberet eſſe tam rigoroſa, & phyſica ſimultas, difficillimum eſſet judicium de valore baptiſmi.

Quæres 2. *quid agendum circa monſtrum habens plura capita, vel membra, quæ monſtrent duas perſonas, ſed ſine certitudine.*

Reſp. cum Scoto, (1) quòd *ſi tempus haberi poteſt ad diſcernendum, an monſtrum ſit ſimpliciter una perſona, vel duæ, ad hoc debet haberi diligens inquiſitio, antequam baptizetur .... & ſi certitudo poteſt haberi, & ſint partes, quibus patet, quod pertineat ad diverſas perſonas, ver. gr. duo capita, duæ ſpinæ, duo corda, &c. aſpergi deberet iſta pars, & illa cum iteratione formæ ſuper utramque. Si autem certitudo haberi non poſſit, baptizari debet in illa parte, quæ principalis eſt pertinens ad unum, cum forma ſingulari abſoluta; aliæ vero partes minùs principales, quæ faciunt dubium, an ſint duæ perſonæ, debent aſpergi cum verbis ſub conditione*, &c. Conſule Ritualia.

DISPUTATIO III.

De effectibus, & cæremoniis Baptiſmi.

Diximus omnia ſacramenta in hoc convenire, quòd cauſent gratiam ſanctificantem primam, aut ſecundam, & differre quoad alios effectus, qui proprii ſunt ſingulis, Nam aliqua imprimunt characterem, alia non; & ſingula cauſant gratias actuales, & dant jus ad auxilia, quæ juvant ad onera, & obligationes, & fines cujuſque. Quærimus hic de illis omnibus quoad Baptiſmum.

QUÆSTIO I.

De principali effectu Baptiſmi, ſeu de gratia ſanctificante, ac remiſſione peccatorum.

In pueris ante uſum rationis non eſt aliud peccatum præter originale; & non aliud in eis remitti poteſt præter illud: in adultis verò poſſunt eſſe actualia,

(1) *Ibid. l. 8.*

lia, ſeu perſonalia cum originali; & quæritur, an illa etiam remittantur per baptiſmum, & an quoad totam culpam, & pœnam.

Quidam contendebant, peccata non remitti per baptiſmum, ſed ſopiri, ut dicebant Originiſtæ. Originale remitti non credebant Pelagiani, qui illud non agnoſcebant. Lutherani, & Calviniſtæ putant originale tegi, non remitti; quia remanet in nobis concupiſcentia, quam docent eſſe ipſum originale, licet non amplius imputetur in damnationem: *Baptiſmus omnia remittit peccata, ſed nullum tollit*, inquiunt Lutherani art. 2. inter damnatos à Leone X. *Manet vere peccatum in nobis*, ait Calvinus, [1] *neque per baptiſmum ſtatim uno die extinguitur, ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt.*

Aliud eſt de peccato originali, imo & de actualibus quoad culpam, & aliud quoad pœnas; & adhuc quoad iſtas, quædam ſunt ſpirituales, & ſpectant ad vitam æternam, qua vel privant abſolute, ut reatus culpæ peccati originalis, & actualis mortalis; vel ad tempus, ut pœnæ purgatorii, quæ tardant conſecutionem vitæ æternæ, & ſunt temporales: aliæ ſunt quaſi corporales, & quædam ſequelæ peccati, ut rebellio concupiſcentiæ, quæ reſtat ex peccato originali, & ex privatione iuſtitiæ pariter originalis, & pravi habitus, qui contrahuntur per peccata actualia; nam ex actibus furandi reſtat habitus inclinans ad ſimiles.

CONCLUSIO I.

B*Aptiſmus cauſat gratiam ſanctificantem, per quam deletur prorſus peccatum originale in parvulis, & adhuc actualia omnia in adultis quoad culpam, & totam pœnam, quæ vere eſt pœna a Deo infligenda.* Eſt de fide contra præfatos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui de parvulo ſic loquitur: *Dico, quod ſicut creditum eſt parvulo in baptiſmo originale dimitti, ita & gratiam infundi; quia nulli dimittit culpam in ſtatu naturæ lapſæ, niſi cui dat gratiam; nullum enim liberat a perditione, niſi quem ordinat ad hoc, ut ſit filius regni ... & quando hominem ſanat,*

[1] *Antido. ſſ. 5.* [2] *d. 4. q. 2. A. 2.*

ſanat, totaliter ſanat. Et de adultis dicit, [1] quod *baptiſmus non eſt iterabilis, ne propter plenam remiſſionem, quæ fit tam culpæ, quam pœnæ, daretur occaſio ſæpius delinquendi, ſi baptiſmus poſſet ſæpius iterari. Quod autem in baptiſmo ſit remiſſio omnis pœnæ, dicit Ambroſ. &c.*

Prob. 2. ex Script. dicente, [2] *Baptizetur unuſquiſque in remiſſionem peccatorum*. Et, [3] *Conſepulti ſumus cum Chriſto per baptiſmum in mortem: ut quomodo Chriſtus reſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Ita & Eccleſiam mundat *lavacro aquæ in verbo vitæ*. Quomodo mundaretur per aquam baptiſmalem, ſi peccata, & maculæ non delerentur, ſed ſolum tegerentur? Denique de baptiſmo per Prophetam[4] promittebat Deus: *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*; ergo baptiſmalis aqua confert gratiam de ſe abſterſivam peccati, & ſanctificantem.

Prob. 3. ex Conciliis, Florent. [5] *Primus omnium ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis culpæ actualis, & originalis, & omnis quoque pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur*. Hic habes totam concluſionem. Et Trident. [6] *Si quis per J. C. gratiam, quæ in baptiſmo confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram rationem peccati habet, ſed dicit illud tantum radi, aut non imputari, Anath. ſit*. Deinde fatetur, in baptizatis remanere concupiſcentiam, quæ dicitur peccatum, aut quia ex peccato eſt, vel quia ad illud inclinat; ergo ex Conciliis, per baptiſmum datur gratia delens omnia peccata, ſc. originale, & actualia omnia mortalia, & venialia, & pœnas eorum veras.

Prob. 4. ex Patribus, qui diſcrimen baptiſmi Chriſti a baptiſmo Joannis ponunt in ejus efficacia, qua peccata delet ille, non iſte. *Omnia prorſus delicta delet ſanctum baptiſma*, (ait Auguſt.) *originale, & propria dicta, facta, cogitata*, &c. Et S. Hieron. *Omnia ſcorta, & publicæ colluvionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, inceſtus... Chriſti fonte purgantur*. Et Gregor. *Qui dicit peccata in baptiſmate non funditus*

[1] *q.5.B.3.* [2] *Act.2.* [3] *Rom. 6.*
[4] *Ezech. 36.* [5] *Decr. Eugen.* [6] *Seſſ.3.can.5.*

tus dimitti, dicat in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Et ſic de aliis.

Prob. denique. Nam niſi tota culpa deleatur, non poteſt dici, nec quod proprie dimittatur, nec quid de illa remaneat, & maxime de originali; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c.

Prob.2.p. de pęnis. Nam præter allatas auctoritates Conciliorum, & Patrum, maxime Florentini, favet praxis Eccleſiæ, quæ confeſſis omnibus ſemper imponit aliquas pęnas, & opera ſatisfactoria, baptizatis autem nullas unquam. Unde Concil. cit. dicit: *Hujus ſacramenti effectus eſt remiſſio omnis pœnæ, quæ pro ipſa culpa debetur. Præterea baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda eſt ſatisfactio; ſed morientes antequam aliquam culpam committant, ſtatim ad regnum cœlorum, & Dei viſionem perveniunt*.

Ratio eſſe poteſt, quia prima condonatio ſolet eſſe liberalior, & plenior, quam ſequentes; & maxime quia principaliter ordinatur ad dimiſſionem originalis, quod contrahitur aliena voluntate.

Objic. 1. Poſt baptiſmum viget concupiſcentia; ſed hæc eſt ipſum peccatum; ergo illud non deletur per baptiſmum.

Reſp. neg. min. Nam, ut dicebamus ex Trident. illa dicitur peccatum, quia venit ex peccato, & ad peccatum inclinat, ſed in ſe non eſt vere peccatum.

Objic. 2. Auguſt. (1) peccatum vocat oleaſtrum, & animam baptizatam comparat oleæ inſertæ, & in iſta dicit peccata eſſe tecta, & non imputari. *Beata olea, cujus remiſſæ ſunt iniquitates, & cujus tecta ſunt peccata, cui non imputavit Dominus peccatum, ſed illud remiſſum, & tectum eſt*; ergo ex Script. & Auguſtino peccata per baptiſmum non delentur, ſed teguntur, ita ut Deus non imputet illa poſt baptiſmum.

Reſp. ex dictis alias, neg. conſ. Nam apud Auguſtinum [2] idem eſt peccata tegi, & non imputari, & ea prorſus remitti, & deleri: nam ideo non imputantur, quia remiſſa ſunt, ut patet ex ipſo textu.

Inſt. Ubi ſunt omnes effectus peccati originalis, & actualium, ibi eſt peccatum; ſed in baptizatis remanent omnes effectus peccati originalis, & actualium; ergo. Prob. min. remanent habitus vitioſi contra-

cti

[1] 1. *nupt.*33. [2] *Ibid.a.*1.25.*ad* 33.

ctì per peccata actualia,& concupiſcentiæ rebelliones, quæ reſtant ex originali; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. effectus formales, & primarii, con. maj. & neg. min. effectus caſuales, & ſecundarii, neg. maj. & conſ. Nam concupiſcentia, & habitus vitioſi non ſunt formales, nec primarii, ſed caſuales, & ſecundarii: illa ſequitur ex privatione juſtitiæ originalis, & iſti ſunt effectus iterationis actuum malorum: ſicut habitus virtuoſi generantur phyſice per actus bonos frequentatos.

Inſt.2. Gratia ſanctificans æquivalet juſtitiæ originali; ſed hanc non dat baptiſmus; ergo nec illam.

Reſp. diſt. maj. æquivalet quoad remiſſionem peccati, & ſanctificationem, con. maj. & neg. min. quoad auxilia ſpecialia, quibus contineantur appetitus ſub obedientia ad rationem, neg. maj. & conſ. Nam quoad hunc effectum compeſcendi appetitum gratia ſanctificans non æquivalet originali, ut diximus ſuo loco.

Dixi in concluſione, *quoad totam pœnam infligendam a Deo, & quæ habet rationem veræ pœnæ;* nam Deus in vindictam peccati originalis, & actualium infligit privationem gratiæ, quam retrahit, & damnationem æternam, & exigit aliquas ſatisfactiones pro actualibus; & has omnes penas remittit baptiſmus, non autem alias pœnalitates, & privationes, ſicut nec mortalitatem; nec reſtituit juſtitiam originalem quoad extinctionem fomitis concupiſcentiæ; & denique non tollit defectus naturæ corruptæ.

Per alia ſacramenta, v. g. per penitentiam non tollitur omnis pena ſatisfactoria; ſed ſola pena æterna remittitur, & mutatur in temporalem, quæ hic ſolvenda eſt, vel in purgatorio. Sed gratia baptiſmalis tollit ea omnia, *ita ut nihil prorſus baptizatos ab ingreſſu cœli remoretur*, ut loquitur Concil. Florent. & Auguſt. [1] *Poſt baptiſmum ſi continuo ſequatur ex hac vita migrare, non eſt omnino, quod obnoxium hominem teneat, ſolutis omnibus, quæ tenebant.*

Cur autem nolit Deus omnes pœnalitates, & mortalitatem remittere, reſpondet S. Doctor, [2] *ſi regenerationis ſacramentum continuo ſequeretur immortalitas corporis, ipſa fides evacuaretur, quæ tunc eſt fides,*

[1] 2. *de peccat. mer.* 28. [2] 14. *civ.*4.

fides, quando expectatur in ſpe, quod in re nondum habetur. 2. *quilibet ad Chriſti gratiam potius curreret, ne à corpore ſolveretur, quàm ipſius Dei amore.* 2. *quia ſic per Dei miſericordiam & ipſa pœna peccatorum tranſit in arma virtutis.*

CONCLUSIO II.

IN *baptiſmo ſimul cum gratia juſtificante dantur etiam habitus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis.* Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Nam licet Deus de potentia abſoluta poſſet dare gratiam ſine fide, ponendo quod ſint duo abſoluta ſimpliciter diſtincta; tamen, quia Dei perfecta ſunt opera, & quando hominem ſanat, totaliter ſanat, ideo conceditur, quod non infunditur gratia ſine fide, & ſine ſpe.*

Prob. 2. ex Script. [2] *Nunc manent fides, ſpes, charitas;* ergo hæc dantur in baptiſmo, quia non patet aliter dari: Imo ex tunc homo incipit placere Deo, & recipitur in adoptionem divinam; ſed non poteſt placere Deo ſine fide: & id tam verum eſt de parvulis, quam adultis; ergo ex tunc infunduntur pueris tales habitus. Unde habemus, quod ibi recipiuntur dona Spiritus S. juxta illud; [3] *Baptizetur unuſquiſque veſtrum, & accipiat donum Spiritus ſancti.*

Prob. 3. ex Concil. Trident. [4] *In ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, fidem, ſpem, & charitatem;* nec id limitat ad ſolos adultos, licet de illis ibi loquatur quoad diſpoſitiones juſtificationis. Nam generaliter dicit, nullum juſtificari ſine infuſione charitatis *in cordibus eorum, quibus inhæret.* Et Concil. Viennenſe [5] docet, quod in baptiſmo datur *gratia, & virtutes.* Et denique in Catechiſmo Rom. [6] dicitur, quod *gratiæ adhæret nobiliſſimus comitatus virtutum, quæ in animam ſimul cum gratia infunduntur.*

Præcipuas objectiones habes in tr. de gratia, & virtutibus iſtis; nec vacat eas repetere.

Objic. præterea. In parvulis iſtæ virtutes ſunt inutiles; ergo, &c. Prob. ant. omnis virtus ordinatur ad

[1] *Ibid. A. 2. Deut.* 33. [2] *cor.* 3. [3] *Hebr.* 11.
[4] *Seſſ. 6. cap. 7.* [5] *Seſſ. 5. can. 5.* [6] *de bapt.*

ad actum; ſed parvuli non ſunt capaces actuum iſtorum; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & min. Nam licet durante pueritia non poſſint agere per illas virtutes, ſufficit, quod iis uſuri ſint, cum adoleverint.

QUÆSTIO II.

De aliis effectibus Baptiſmi, & de ejus charactere.

ALii effectus quaſi ſecundarii tribuuntur baptiſmo, v. g. jus, & diſpoſitio moralis ad varia auxilia, & character; imo & hæretici plures alios comminiſcuntur, qui ſunt hic breviter examinandi; quia de his iam diximus tr. præcedenti, ſicut & de charactere.

CONCLUSIO I.

P*Ræter gratiam ſanctificantem, baptiſmus etiam dat jus ad auxilia neceſſaria Chriſtianis ad opera, & fines proprios huic ſacramento, ſeu baptizatis.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] ibid. cit. ubi docet, quod ſingula ſacramenta conferunt homini jus ad ſpecialia auxilia ad ſalutem utilia. *Congruum fuit* 1. *adjutoria conferri obſervatoribus legis Evangelicæ, in quibus eſſet perfectio non tantum intenſiva, ſed etiam extenſiva, & ſufficiens ad omnia neceſſaria pro obſervantia hujus legis:* ergo in baptiſmo continetur virtus ad auxilia, quæ ſecundum finem ſuæ inſtitutionis ſunt neceſſaria baptizatis, ut in iis recte ſe gerant.

Prob. 2. Per baptiſmum contrahitur obligatio ſervandi legem Euangelicam: adoptamur in filios Dei, in quo regeneramur: ſimus membra Eccleſiæ, ac ejus directioni ſubjicimur: magna gratiæ beneficia recipimus; atqui ad has obligationes implendas egemus maximis auxiliis divinis: ergo hoc ſacramentum, quod illa onera imponit, dat nobis jus ad auxilia, quibus iis ſatisfacere poſſimus, Deus enim cum jubet, dat vires ad implenda, quæ jubet: *Da, quod jubes, & jube,*

[1] *d.2.q.1.C.4.*

jube, quod vis, orabat Auguſt. *Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve*, quia dat vires ad illud portandum.

Igitur baptiſmus cauſat moraliter, & diſpoſitive jus ad auxilia gratiæ actualis; quibus juvamur ad conſervandam gratiam baptiſmalem, ad ſervandam legem Euangelicam, & opera chriſtianitatis cognoſcenda, & ferenda, ad fidei myſteria cognoſcenda, & credenda. *Cum populus multiplicatus exiret de terra Ægypti* (ait Damaſc.) *id eſt de tenebris ignorantiæ per baptiſmum, tunc audit, & percipit myſteria, quæ non noverat*. 2. Juvamur etiam per baptiſmum ad bona opera: [1] *Super aquam refectionis, id. baptiſmi, quo perficiuntur, qui integritatem, & vires amiſerunt, & anima ariditate peccatorum ſterilis fœcundatur*, ait Gloſſa. 3. Renovatur homo, & regeneratur, & quaſi reſuſcitatur; quippe [2] *per baptiſmum conſepulti ſumus in illo in mortem, ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. 4. Per illum nobis janua Cæli aperitur: *Ipſo enim recepto nihil eſt in baptizatis, quod baptizatos ab ingreſſu Cœli remoretur*, ait Trident. [3] cit. Unde circumciſio, quæ gratiam ſanctificantem conferebat, non tamen Cœlum aperiebat circumciſis.

Hæretici ſomniarunt alios effectus, v. g. exemptionem ab obſervantia legis, & mandatorum Dei, contra quos pronuntiat Trident. [4] *Si quis dixerit, baptizatos per baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ, Anath. ſit*. Chriſtus ipſe dixit, [5] *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et certe baptizati fruſtra docerentur legem, & mandata, ſi ad ea ſervanda non tenerentur. Unde [6] *ſervus cognoſcens voluntatem Domini ſui, & non faciens eam vapulabit multis*. Et iterum jubet, ut baptizent quos docuerint, [7] *Docentes ſervare omnia quæcumque mandavi vobis*.

2. Volunt, quod reddat impeccabiles baptizatos, niſi recedant ab Eccleſia: quod olim fingebant alii apud S. Hier. [8] & hunc errorem damnat [9] idem Trident.

[1] *Pſ*. 22. [2] *Ro*. 6. [3] *Seſſ*. 6. *can*. 5.
[4] *Seſſ*. 7. *can*. 7. [5] *Math*. 19.
[6] *Luc*. 12. [7] *Math*. 28.
[8] 2. *con. Jovin*. [9] *Seſſ*. 6. *can*. 23. & 27. *can*. 14.

dent. *Si quis dixerit, hominem ſemel juſtificatum amplius peccare non poſſe, &c.*

3. Mentiuntur, memoriam baptiſmi recepti ſufficere ad juſtificationem, aut ſaltem ad hoc ut peccata, ſi quæ fecerint, non imputentur, contra quod ſic definit idem Concil. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri, Anath. ſit.*

4. Volunt, baptiſmum irritare omnia vota ex vi promiſſionis, quæ in eo fit, contra quod ſic pariter definit idem Concil. *Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in baptiſmo jam factæ ita irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi baptiſmo, Anath. ſit.*

Alios etiam effectus huius farinæ comminiſcuntur, quos recenſere non vacat.

Objic. 1. pro hæreticis. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit;* ergo baptizatus non tenetur niſi ad fidem de neceſſitate ſalutis.

Reſp. neg. conſ. Nam licet ibi non fiat mentio niſi de fide, & baptiſmo, alibi fit mentio de aliis requiſitis: Ut cum dicitur: [1] *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Item, [2] *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Item, *Fides ſine operibus mortua eſt;* & ſic de aliis.

Objic. 2. [3] *Qui natus eſt ex Deo, non peccat.* Item, *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non facit peccatum;* ſed per baptiſmum naſcimur ex Deo; ergo ſimus impeccabiles per baptiſmum.

Reſp. 1. illis textibus opponi iſtos. Nam Joannes loquitur baptizatis dicens: [4] *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus &c. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus.* Item, [5] *Filioli mei hæc ſcribo vobis, ut non peccetis; ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus, &c.* Et ſic de pluribus aliis; ergo vel illi, qui nobis objiciuntur non ſunt intelligendi ad litteram; vel implicant contradictionem cum iſtis.

Reſp.

[1] *Matth.* 18. [2] *Matth.* 23. [3] *Jac.* 2.
[4] 1. *Jo.* 1. [5] *Ibid.* 2.

Reſp.2. neg. conſ. Nam illi textus ſignificant baptizatos non poſſe peccare in ſenſu compoſito, quamdiu habent gratiam baptiſmalem, & quamdiu ſemen Dei manet in eis; bene vero in ſenſu diviſo, quatenus peccando amittunt illam gratiam, & fiunt filii diaboli, ceſſantes eſſe filii Dei, [1] *Qui enim facit peccatum, ex diabolo eſt*.

CONCLUSIO II.

B*Aptiſmus cauſat characterem in anima baptizati*. Eſt de fide, & patet ex dictis tr. ſuperiori, ſicut de ſubjecto, & natura characteris.

Prob.1. ex Scoto, [2] & SS. Canonibus. Nam fatetur, exiſtentiam characteris in anima baptizati non poſſe probari ratione, vel experientia, vel ex Scriptura, ſed ex auctoritate Eccleſiæ; ut habetur [3] *C. ad abolendam: Sentiendum eſt de ſacramentis Eccleſiæ, ſicut ſentit Romana Eccleſia: hæc autem videtur ſentire, characterem imprimi in anima in baptiſmo, ſicut dicit Innoc. III.* [4] *Qui ficte accedit ad baptiſmum, characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum*, &c..... *Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio*, &c.

Confir. ex Trid. ibid.cit. *Si quis dixerit, in tribus ſacramentis, baptiſmo ſc. confirmatione, & ordine non imprimi characterem in anima, Anath ſit*. Plura vide ubi ſupra.

QUÆSTIO III.

De cœremoniis Baptiſmi.

PRæter illa, quæ diximus de cæremoniis ſacramentorum in genere, ſingula ſuas habent proprias; & quantum ad baptiſmum ſolemnem aliquę ſunt *antecedentes*, aliæ *comitantes*, & aliæ *ſequentes*.

Inter *antecedentes* incipitur a catechiſmo, quo inſtruitur baptizandus, ſi eſt adultus, donec ſciat ſufficienter fidei doctrinam. 2. Ducitur ad fores baptiſterii. 3. occurrit illi miniſter extra limen Eccleſiæ, & interrogat, *quid petis*? an renuntiet ſathanæ; exploratque

[1] *ibid.* (2) *diſt.3.q.5.d.6.q.9.H.13.*
[3] *Ex.de Hæret.* (4) *Ex. de bapt.c. major.*

que voluntatem, & fidem baptizandi (patrini reſpondent pro pueris) 4. Ter inſufflat in faciem ejus, ut exeat ab eo ſathanas. 5. ſignat crucis ſigno in fronte, & pectore. 6. manus imponit capiti, & orat ſuper eum. 7. benedicit ſal, cujus tantulum immittit in os ejus, 8. poſt aliquam orationem ter exorcizat dæmonem, iterumque ſignat in fronte. 9. introducitur in Eccleſiam, & iteratur exorciſmus. 10. Intingit pollicem ſaliva oris ſui, & tangit aures, & nares ejus. 11. nudatur baptizandus, & rurſus interrogatur, an abrenuntiet ſathanæ, & pompis ejus; terque repetitur interrogatio, & reſponſio affirmativa. 12. Sacerdos intingit pollicem in oleo Catechumenorum, & ungit in pectore, & inter ſcapulas in formam crucis. 13. Rurſus interrogat, *credis in Deum?* Reſpondet, *credo*. 14. denique petit, *vis baptizari?* Reſpondet, *volo*.

Cæremoniæ *comitantes* ſunt 1. aſperſio trina, vel immerſio, ſi eſt conſuetudo. 2. locus, qui regulariter debet eſſe ſacer, maxime Eccleſia, niſi aliter cogat neceſſitas, vel diſpenſatio permittat, ut pro ſummis principibus, qui baptizantur in ſuis palatiis. 3. tempus, quod hodie liberum eſt; olim autem erat in feſtis Paſchæ, & Pentecoſtes. 4. unctio capitis. 5. officia patrini, & matrinæ, & alia præſcripta in Rituali Romano.

Subſequentes autem ſunt, veſtis alba, quæ imponitur baptizato. 2. cereus accenſus, quem tradit ſacerdos baptizato, vel patrinis. 3. oſculum pacis, cum quo dimittitur baptizatus; & olim ſic ſalutabatur ab aſſiſtentibus, ut frater. 4. impoſitio nominis. 5. olim dabatur guſtandum lac, & mel in ſignum infantiæ ſpiritualis. 6. etiam lavabantur pedes, ſed hæc duo in deſuetudinem abierunt. 7. denique admonentur patrini de obligatione docendi puerum doctrinam fidei, & de cognatione contracta per hanc functionem.

De neceſſitate, & utilitate talium cæremoniarum nihil videtur addendum his, quæ diximus de illis in genere. Certum eſt, quod hic nulla ſuperfluit, ſingulæ habent ſuum ſignificatum ſacrum, & maxima pars ſuum effectum erga baptizatum, ut patet apud SS. Patres, & Theologos: nobis non vacat iis diutius immorari.

Circa patrinos, qui ad baptiſmum concurrunt, & dicun-

dicuntur etiam *ſuſceptores*, ſeu *ſponſores*, certum eſt 1. eos adhiberi, non ex neceſſitate ſacramenti, ſed ex præcepto, & uſu Eccleſiæ. 1. patet ex eo, quod tempore Apoſtolorum non videtur illos fuiſſe neceſſarios: v. g. quando uno die baptizarunt tot millia hominum; & cum Philippus baptizavit Eunuchum, & Ananias Paulum. 2. etiam patet ex antiquiſſimis Patribus; ex Dionyſio in ſua Hierarchia Eccleſ. ex Tertull. de baptiſmo, [1] ex Auguſt. l. de peccatorum meritis, c. 34. & id ſupponit Concilium Trident. [2] cum decernit, *Ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, juxta SS. Canonum ſtatuta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant.*

Certum eſt 2. quod unus ſufficit, ſc. vir, aut fœmina, vel ad ſummum duo, ut docet idem Concil. & id ſervatur in locis, in quibus id præcipitur: alibi autem plures admittuntur juxta conſuetudinem Eccleſiarum.

3. Debent eſſe talis ætatis, ut poſſint eſſe teſtes baptiſmi recepti, & reſpondere pro parvulo, qui baptizatur, quique per ſe reſpondere, & conſentire non poteſt: & cognoſcere debent obligationem, quam contrahunt inſtruendi baptizatum in myſteriis fidei, quam profitetur per baptiſmum.

4. Non ſunt admittendi ad hoc officium pagani, hæretici, aut ſchiſmatici, nec qui ignorant rudimenta fidei. De primis conſtat ex c. *in baptiſmate*, & ex Concil. Mogunt. [3] quia iſti non ſubduntur Eccleſiæ: de hæreticis, & ſchiſmaticis patet, quia iſti non agnoſcunt Eccleſiam, nec poſſunt inſtruere baptizatos in recta fide. Idem docet Rituale de publice excommunicatis, vel interdictis. Item nec debent Parochi admittere publice criminoſos, vel infames, nec qui ſana mente non ſunt, &c.

5. Non debent eſſe Monachi, nec Moniales: id enim vetat Eccleſia c. *Placuit*, & c. *non licet Abbati*: & c. *Pervenit* Franciſcanis id prohibet regula dicens: *Nec fiant compatres virorum, aut mulierum*. Ratio eſt, quia Monachi profitentur vitam ſolitariam, ut ſibi ſolis vacent, & non aliis; & ſic non poſſent vacare inſtructioni eorum, quos in baptiſmo ſuſciperent. Denique in Rituali dicitur: *Non debent ad hoc munus*

ad-

[1] *c. 2. & 7, 18.* [2] *Seſſ. 24. c. 2.* [3] *d. 4. de conſecr.*

admitti monachi, nec ſanctimoniales, nec alii cujuſcumque ordinis Regulares à ſæculo ſegregati.

6. Non licet propriis genitoribus c. *pervenit ad nos*: [1] quia iſti jam ex jure naturæ tenentur inſtruere filios, & patrini adhibentur, ut ſuppleant defectum parentum.

7. Denique patrini, & matrinæ, ſicut & baptizans contrahunt cognationem quandam ſpiritualem cum baptizato, & parentibus ejuſdem, quæ eſt impedimentum dirimens matrimonium, ut docet Trident. [2] inter ſe autem patrinus, & matrina nullum impedimentum contrahunt; nec ultra prædictas perſonas extenditur hæc cognatio.

DISPUTATIO IV.

De Sacramento Confirmationis.

PER Baptiſmum in ſinu matris Eccleſiæ naſcimur, & filii Dei, & Chriſti fratres nominamur, & ſumus, ſed teneriores; ſed per Confirmationem adoleſcimus, & roboramur. Ideo poſt ablutionem, & regenerationem in baptiſmo ſuſceptam, Chriſmate Confirmationis quaſi Athletæ ungimur. Et de hoc Sacramento in ſuo ordine hic agimus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit Sacramentum Confirmationis.

SAcramentum hoc varia ſortitur nomina apud SS. Patres. 1. dicitur magis communiter *Confirmatio* ab effectu, quia roborat baptizatos in fide per baptiſmum accepta, ut eam coram infidelibus, & hæreticis etiam cum vitę periculo confiteantur. 2. *manuum impoſitio* ob ritum, quia per illam impoſitionem conferri ſolet. 3. *Domini ſigillum*, ſeu *ſignaculum*, quia per ſignum crucis in fronte confertur. 4. *Sacramentum Unctionis* a materia, quia per unctionem datur, ſed raro ſic vocatur, ne confundatur cum alio, quod dicitur etiam *unctio*, ſed *extrema*. 5. *ſecundum ſacramentum* a loco, & ordine, quem habet inter ſacramenta, ut ſcilicet de-

[1] 30. q. 1. [2] *Seſſ. 25. de refor. matr. c. 2.*

detur poſt baptiſmum, ut olim immediatè dabatur pueris, ſed nunc non datur niſi adultis.

Porrò confirmationē hanc ex ſacramentorum numero expungunt Lutherani, & Calviniſtæ; & hic error tribuitur etiam Novatianis, & Vvaldenſibus.

CONCLUSIO I.

Confirmatio eſt verum legis novæ ſacramentum, & à cæteris diſtinctum. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hanc inter alia ſacramenta reponit, & definit conditiones ejus, & effectus explicat tota diſtinctione 7.

Prob. 2. ex Script. & Conciliis. [2] Nam de confirmatione intelligitur communiter illud: *Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* Et de Paulo, quòd poſt baptizatos Epheſios, *Cùm impoſuiſſet illis manus, venit Spiritus S. ſuper illos* &c. Concilium Florent. & Trident. id apertè docent. [3] *Si quis dixerit, confirmationem baptizatorum otioſam eſſe cæremoniam, & non potiùs verum, & proprium ſacramentum, aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, Anath. ſit.* Idem ex Concil. Arelatenſi I. & Eliberitano II. & aliis.

Prob. 3. ex Patribus. Ex Dionyſ. [4] *Adventum Spiritus S. conſummans unctio largitur unguenti.* Et Tertull. [5] *Caro ungitur, ut anima conſecretur.* Et Cyprian. [6] *Tunc enim demùm planè ſanctificari, & filii Dei eſſe poſſunt, ſi ſacramento utroque* (ſc. baptiſmo, & confirmatione) *naſcantur.* Sic de aliis.

Confir. ex antiquis Pontificibus. Nam Urbanus I. in Epiſt. Decretali ait, [7] *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum ſanctum poſt baptiſmum accipere debent.* Et Fabianus, *Sancti Chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda .... quia novum ſacramentum eſt*, ſc. materia ejus eſt. Euſeb. *Manus impoſitionis ſacramentum magna veneratione tenendum eſt.* Melchiades ad Epiſcopos Hiſpan. reſp. *Quæſiſtis, utrum majus eſſet ſacramentum manus im-*

[1] *d.7.q.1.* [2] *act.8.* & 19. [3] *ſſ.7.can.1.*
[4] *Eccl.Hier.4.* [5] *reſur.car.8.* [6] *Ep.71.*
[7] *Ep.2.Ep.3.*

poſitio Epiſcoporum, aut baptiſmus: Scitote, utrumque eſſe magnum ſacramentum, &c.

Prob. denique ex communi, & perpetua fide, & praxi totius Eccleſiæ.

Objic. 1. Nullibi Scriptura loquitur de hoc ſacramento, nec de ejus inſtitutione; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. 1. neg. ant. Nam loca citata ſatis clara ſunt.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam licèt nullibi legeretur expreſsè in Scriptura, adhuc ſufficeret traditio Apoſtolica, & Eccleſiaſtica. Nam, ut cum S. Hieron. loquar, [1] *Exigis, ubi ſcriptum ſit in actibus Apoſtolorum. Sed etiamſi Scripturæ authoritas non ſubeſſet; totius orbis in hanc partem conſenſus inſtar præcepti obtineret*. Hic habes utramque reſponſionem.

Objic. 2. Confirmatio non fuit in uſu ab initio Eccleſiæ, ſicut reliqua ſacramenta; ergo nec habita ut ſacramentum. Prob. ant. Nam de hoc non ſileret Scriptura. Adde, quòd Chriſtus non legitur confirmaſſe; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nec enim neceſſe eſt, ut Chriſtus per ſe ipſum omnia ſacramenta confecerit, & miniſtrarit, ut ea dicatur inſtituiſſe. Confirmavit Apoſtolos mittendo ſuper eos Spiritum S. & per illos confirmavit alios.

Inſt. Ipſi Apoſtoli non utebantur unctione, ſed ſola manuum impoſitione, per quam deſcendebat Spiritus S. viſibiliter; ergo noſtra confirmatio non eſt eadem, nec idem ſacramentum; ſi tamen illa impoſitio fuit ſacramentum.

Reſp. neg. conſ. Nam inquit Doctor: [2] *Chriſtus in primitiva Eccleſia potuit diſpenſare, & maximè quia in confirmatione ab eis collata erant aliqua ſigna ſenſibilia, puta, deſcenſus Spiritus S. ſuper confirmatos, & donum linguarum: ſed ceſſantibus ipſis miraculis, miniſtri debuerunt hanc materiam, & formam ſervare, quam ipſe illos docuerat.*

Inſt. 2. Scotus ipſe fatetur, quòd tempus, & modus inſtitutionis in Scriptura non legatur: ergo malè Scripturam citamus pro exiſtentia confirmationis in ratione ſacramenti; vel ipſe non benè ſentit cum aliis Theologis.

Reſp.

[1] *Dial. con: Lucifer.*
[2] *Ibid. C. 3.*

Reſp. neg. conſ. Nam aliud eſt non legi modum, & tempus hujus inſtitutionis; aliud non legi exiſtentiam; illud dicit Scotus, non iſtud: imò ſupponit conſtare ex actis Apoſtolorum, quòd ipſi confirmarunt, ſaltem per impoſitionem manuum, ut patet ex verbis allatis.

CONCLUSIO II.

Confirmatio deſcribitur unctio hominis viatoris aliqualiter conſentientis cum certa verborum formula efficaciter ſignificans ex inſtitutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendam conſtanter fidem: ſeu *eſt unctio chriſmatis cum certa verborum formula efficaciter ſignificans gratiam, & auxilia, quibus roboratur anima ad confitendam conſtanter fidem chriſtianam.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hoc ſacramentum ſic deſcribit, ut videbis in textu.

Prob. 2. quia ſic explicatur ſufficienter natura hujus ſacramenti per verum genus, in quo convenit cum aliis, & veram differentiam ab illis, ut facilè patebit diſcurrenti per ſingulas particulas.

Confir. Nam hæc deſcriptio convenit in re cum aliis, quas alii Theologi aſſignant, ut patet conferenti hanc cum illis.

Objic. Ex Script. & Patribus confirmatio dicitur manuum impoſitio, & nulla fit mentio de unctione; ergo malè deſcribitur per unctionem.

Reſp. diſt. ant. expreſsè, & ſine excluſione unctionis, con. virtualiter, & cum excluſione unctionis, neg. maj. Script. loquitur de confirmatione, prout tunc conferebatur ex diſpenſatione divina, & à notabiliori actu, ſicut & illi patres; ſed nos eam deſcribimus, prout nunc datur.

[1] *Ibid.*

QUÆSTIO II.

A quo, & quando inſtituta ſit Confirmatio.

Litigant Theologi cum hæreticis de inſtitutore confirmationis, & de tempore inſtitutionis, imò & cum aliquibus Catholicis. Nam dicit Hallenſis, quòd [1] *Dominus neque hoc ſacramentum, ut eſt ſacramentum, inſtituit, neque diſpenſavit, neque Apoſtoli ..ſed poſtquam Apoſtoli ... defecerunt, inſtitutum eſt hoc ſacramentum inſtinctu Spiritus S. in Concilio Meldenſi, quantùm ad formam verborum, & materiam elementarem, cui etiam Spiritus S. contulit virtutem ſanctificandi.* Ego, (pace aliorum, qui hæc verba in ſenſu litterali, & rigoroſo accipiunt) crederem, poſſe per hæc ultima verba aliquo modo excuſari Hallenſem, ita ut non putaverit Chriſtum nullo modo inſtituiſſe hoc ſacramentum abſolutè, ſed tantum *quoad materiam elementarem, & formam verborum*, in quibus conſiſtit eſſentia ſacramenti, ut eſt ſignum ſenſibile, tribuit Eccleſiæ inſtitutionem ejus quoad hoc; in quo non eſſet adeo cenſurandus ille Doctor. Hæretici verò ſimpliciter ut negant eſſe verum ſacramentum, ita & negant abſolutè, quòd ſit inſtitutum à Chriſto.

CONCLUSIO.

Sacramentum hoc verè fuit inſtitutum à Chriſto, & quidem ante Aſcenſionem, & probabiliter in cæna ultima. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd [2] *hoc ſacramentum ſupponitur inſtitutum à Deo, licet tempus, & modus hujus inſtitutionis non legatur in Scriptura.*

Prob. 1. p. ex iis, quæ diximus de inſtitutione omnium ſacramentorum noſtrorum: nam eadem eſt ratio de iſto, ac de aliis hoc ipſo, quod dicitur verum legis novæ ſacramentum; & hoc eadem Concilia definiunt, ut vidimus.

Confir. ſpecialiter de iſto ex verbis Apoſtoli, in quibus creditur legi deſcriptum eſſe hoc ſacramentum:

[1] 4.p.q.24.n.1. [2] *Ibid.*

tum: [1] *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui unxit nos Deus, qui & ſignavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.* Nam hic habemus nomen confirmationis, & unctionis, & effectum, ſc. Spiritus S. infuſionem, & divinam inſtitutionem; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam ante Aſcenſionem promiſit Chriſtus Spiritum S. & in cœna docuit conficere Chriſma, quod eſt materia remota confirmationis; ergo probabiliter tunc inſtituit hoc ſacramentum, ut poſtea conferendum ab Apoſtolis. Prob. ant. ex Fabiano Papa ſcribente ad Epiſcopos Orientis: *In illa die, poſtquam cœnavit Dominus cum diſcipulis ſuis, & lavit eorum pedes, (ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt) Chriſma conficere docuit*: per *Chriſma* intelligit hoc ſacramentum, quod in Chriſmate datur; ſicut per lavacrum intelligimus baptiſmum, qui per ablutionem datur.

Confir. Nullum aliud tempus aſſignari poteſt probabilius pro hac inſtitutione; ergo &c. Prob. ant. 1. non quando Chriſtus imponebat manus pueris: quia iſti nondum erant baptizati, nec dabat Spiritum S. ante ſuam glorificationem. 2. non in Pentecoſte, quia ibi nulla eſt apparentia, vel mentio Chriſmatis, vel unctionis, & tunc Chriſtus erat in cœlo, & conſummatum erat Eccleſiæ ædificium. 3. non quando inſufflavit diſcipulis dicens, *Accipite Spiritum S.* nullum enim ibi veſtigium confirmationis, ſed ſolius ſacramenti pœnitentiæ; ergo nullum aliud tempus poteſt congruentius aſſignari.

Objic. 1. con. 2. p. Debuit hoc ſacramentum inſtitui, antequam daretur Spiritus S. ſed hic non fuit datus ante Aſcenſionem; ergo &c. Prob. min. ex Script. [2] *Nondum enim erat Spiritus datus, quia I. nondum erat glorificatus*; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. Nondum erat datus viſibiliter, & ſolemniter, con. inviſibiliter, neg. ant. loquitur Joannes de Spiritus ſancti infuſione ſolemni, & viſibili, qualis contigit in die Pentecoſtes; toties autem dederat inviſibiliter, quoties ſanctificaverat: nam [3] *cùm Deus juſtificat, ungit Spiritu promiſſionis ſancto*, ait Concil. Trid.

[1] 2. *Cor.* 1. [2] *Jo.* 7. [3] *Seſſ.* 6. *c.* 7.

Objic. 2. *Quod nunc facit manuum impoſitio, facit Spiritus S. deſcenſio in die Pentecoſtes*, ait Melchiades Papa; ergo tunc inſtituta fuit confirmatio.

Reſp. neg. conſ. Nam inde ſequitur ſolum, quòd in die Pentecoſtes receperunt Apoſtoli gratiam confirmationis viſibiliter, & ſolemniter, quam alii recipiunt inviſibiliter. De inſtitutione verò nihil inde habetur, imò potiùs infertur, eam jam antea inſtitutam.

Objic. 3. Non debuit inſtitui confirmatio ante inſtitutionem Epiſcoporum, qui ſunt miniſtri ejus ordinarii; ſed iſti non ſunt inſtituti in die cœnæ, ſed poſt Reſurrectionem; ergo &c.

Reſp. neg. maj. quid enim cogebat expectare inſtitutionem Epiſcoporum, quandoquidem nolebat Chriſtus eam conferri pro illo tempore? ſicut nec eodem die Apoſtoli confecerant Euchariſtiam, quo ipſa, & & ſacerdotes inſtituti ſunt.

Quæres, *An confirmatio ſit dignior baptiſmo in ratione ſacramenti.*

Reſp. Confirmationem quoad aliqua præſtare, quoad alia verò præferendum eſſe baptiſmum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Confirmatio præcellit* 1. *ratione Miniſtri, qui eſt Epiſcopus.* 2. *Ratione ſubjecti; nam eſt homo baptizatus, & in ſtatu gratiæ.* 3. *Ratione finis: nam baptiſmus eſt aliquo modo diſpoſitio ad confirmationem.* 4. *Ratione materiæ: nam baptiſmus datur in aqua naturali; & confirmatio in chriſmate ex oleo, & balſamo, & quidem conſecrato.*

Prob. 2. p. Nam baptiſmus præſtat 1. ratione effectus: nam delet originale, & omnia peccata quoad culpam, & pœnam; & facit filios Dei, & hæredes Regni per gratiam regenerationis, & ſanctificationis; & imprimit characterem talium dignitatum. Confirmatio verò ſolam ſecundam gratiam cum charactere proportionato. 2. ille aperit januam cœli, & ſuſcitat à morte: confirmatio ſupponit vitam, quam auget, & roborat in fide accepta; ergo &c.

[1] *Ibid. q. 3. B. 3.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De Materia Confirmationis.

Agimus de materia remota, & proxima, item de eſſentiali, & accidentali: & controverſia eſt nobis cum hæreticis, qui non ſolùm negant confirmationem eſſe ſacramentum, ut dixi, ſed etiam impugnant ejus materiam, & ritum. Inter Catholicos ipſos eſt etiam diſſidium: nam plurimi volunt, quòd manuum impoſitio ſit materia eſſentialior, & proximior, quàm chriſma, & unctio; & talem fuiſſe mentem Eccleſiæ per 12. priora ſæcula: quippe inquit P. Juenin, (1) *per duodecim ſæcula manuum impoſitio fuit materia eſſentialis, ſed inadæquata*: alii volunt ſolam Chriſmationem, ſeu unctionem ex Chriſmate ex oleo, & balſamo eſſe eſſentialem.

CONCLUSIO I.

M*Ateria remota confirmationis eſt chriſma ex oleo, & balſamo benedicto: proxima autem eſt unctio ex tali chriſmate*. Eſt communis inter Catholicos.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Materia proxima* (confirmationis) *eſt illud viſibile, quod concurrit in fundamento, facta in fronte in figura crucis cum chriſmate ſanctificato, materia autem remota eſt chriſma compoſitum ex oleo olivæ, & balſamo, & conſecratum ab Epiſcopo, vel ab alio, cui talis ſanctificatio poterit committi*; ergo &c.

Prob.2.ex Concil.Florent.cit.*Confirmatio, cujus materia eſt chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod donum ſignificat bonæ famæ*, &c. Et Trident. vocat (3) *confirmationis chriſma*. Et C. *noviſſimè*, de conſecrat. dicitur, quòd ſuſcipiens *per Pontificem ſignatur in fronte cum Chriſmate*. Et Innocent. III. C. unico de S. unctione; *Confirmatio fit cum chriſmate ex oleo, & balſamo*, &c. ergo Chriſma eſt materia eſſentialis remota confirmationis. Idem conſtat ex aliis Conciliis, quæ omnia

N 4 lo-

[1] *Diſſer. 3. q. 2. c. 3.* [2] *Ibid. q. 3. A. 8.*
[3] *Decr. Eugen. Seſſ. 7. can. 2. diſt. 5.*

loquuntur de chriſmate in hoc ſacramento.

Confir. ex praxi Eccleſiæ, quæ non aliter adminiſtrat hoc ſacramentum, quàm per tale chriſma.

Prob. 2. p. ex Scoto cit. & ex Concilio pariter citato. Nam inquit Florent. *Cæteras unctiones ſimplex ſacerdos valet exhibere, hanc verò non niſi Epiſcopus*. Et addit Eugenius, quòd *loco illius impoſitionis manus Apoſtolicæ, datur nunc in Eccleſia confirmationis ſacramentum*, ſc. per unctionem, quam decebat dari per Epiſcopum. Idem patet ex aliis Canonibus citatis, in quibus fit mentio de unctione; & ex SS. Patribus; denique ex praxi. Nam in Pontificali Romano non fit mentio alterius impoſitionis manuum, quàm per iſtam unctionem.

Prob. 3. ex dictis de ſacramentis in genere. Nam omnia, præter Euchariſtiam, conſiſtunt in uſu, non in eſse permanenti; ergo materia proxima, in qua fundatur proxima ratio talis ſigni, ſeu ſignificatio gratiæ, quam cauſant, eſt aliqua actio; ſed pro confirmatione, & ſignificatione ejus nulla actio poteſt aſſignari præter unctionem, in qua fundetur illa ſignificatio; ergo &c.

Objic. con. 1. p. Materia remota aliorum ſunt res ſimplices, v. g. aqua, panis, &c. ergo talis debet eſse materia confirmationis, non autem chriſma ſic compoſitum.

Reſp. 1. neg. conſ. Nam ſufficit, quòd ſic voluerit Chriſtus de iſto, & non de aliis.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam panis, & vinum in Euchariſtia non ſunt res ſimplices, nec in extrema unctione, ut patet.

Inſt. Nullus Patrum docet, chriſma eſse materiam confirmationis, & multò minùs Scriptura, quæ non meminit niſi manuum impoſitionis; nec Apoſtoli uſi ſunt; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam Patres Concilii Laodiceni dicunt, quòd [1] *oportet, eos, qui illuminantur poſt baptiſmum, ungi ſuper cœleſti chriſmate*. Et Cyrillus Jeroſol. [2] *Poſtquam ex aquis ſacri lavacri aſcendiſtis, datum eſt chriſma .... vos uncti eſtis unguento, facti participes, & conſortes Chriſti*. Et Tertull. *Egreſſi de lavacro perungimur benedicta unctione*. Et Cypr. *Ungi*

[1] *Can.* 43. *Catech.* 3. *de bapt.* 7. [2] *Ep.* 70.

Ungi neceſſe eſt eum, qui baptizatus eſt, ut accepto chriſmate, ideſt unctione, eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam poſſit. Et ſic de aliis.

Quoad impoſitionem manuum fatemur, quòd Apoſtoli illa ſola confirmarunt aliquando, ſed ſæpe etiam per unctionem: quia, inquit Scotus, *tunc ex aliis ſignis ſenſibilibus innoteſcebat effectus ejus*; ſc. quia viſibiliter Spiritus S. dabatur ita confirmatis; ſed ex eo tempore non ita fit.

Inſt. 2. Chriſtus dicitur *unctus*, licèt ei non data fuerit unctio materialis ex chriſmate; ergo ex talibus teſtimoniis nihil infertur pro reali unctione.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt aliquando unctio dicatur de ſpirituali, & inviſibili gratiæ infuſione, & plenitudine, non ſequitur id ſemper ita dici, & intelligi. De inviſibili loquitur Petrus dicens, *Quomodo unxit eum Dominus Spiritu S. & virtute*. Sed litteraliter de unctione materiali dicit, quòd Magdalena *ungebat pedes Chriſti*; & maximè quoties fit mentio de chriſmate, ut hic.

Objic. con. 2. p. Ex Concil. Arauſic. prohibetur, ne bis adhibeatur unctio: unde qui in baptiſmo fuerant chriſmati, non debebant iterum chriſmari; ſed ordinariè baptizati chriſmantur, ut diximus: ergo unctio non eſt materia proxima confirmationis. Prob. maj. & min. dicit Concilium, *nullum miniſtrorum, qui baptizandi recipit officium, ſine chriſmate debere progredi, quia inter nos placuit ſemel chriſmari. De eo autem, qui in baptiſmate non fuerit chriſmatus, in confirmatione ſacerdos commonebitur.*

Reſp. diſt. maj. ne bis detur in baptiſmo, con. bis in duobus diverſis Sacramentis, neg. maj. & conſ. Nam in textu canonis prætenditur legi debere, *Placuit ſemel chriſmari in baptiſmate*, ut notat Petrus Aurel. & Sambonius apud Juenin. Et in notis apud Gratianum de conſecr. c. 125. notatur, quòd in alia editione hujus Canonis legitur, *neceſſaria habeatur repetita chriſmatio*.

Reſp. 2. diſt. eandem mai. non debent iterum chriſmari in eadem parte, con. in alia parte, neg. mai. & conſ. in baptiſmo chriſmatur in vertice capitis, & in confirmatione in fronte: illa non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſicut iſta.

Objic.2.Gregor. mag. [1] dicit, quòd Eccleſia occidentalis Arianos, & alios hæreticos ad fidem revertentes confirmabat per ſolam manuum impoſitionem: orientalis verò per unctionem; ergo in Eccleſia occidentali unctio non erat pars eſſentialis confirmationis in ſæculo VI.

Reſp. neg. conſ. Nam per manus impoſitionem illam non intelligitur confirmatio ſacramentalis, ſed abſolutoria per reconciliationem pœnitentialem. Nam conſtat ex Conciliis, & Pàtribus, & Rituali citatis, quòd confirmatio dabatur per unctionem. Nam inquit Concil. Arauſic. cit. [2] *Hæreticos in mortis diſcrimine poſitos, ſi Catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Presbyteris* (miniſtris extraordinariis) *cum chriſmate, & benedictione conſignaris placet*.

Reſp. 3. quòd manuum impoſitio, qua Eccleſia Occidentalis recipiebat hæreticos redeuntes, non excluſit unctionem, qua utebatur pro aliis.

Objic.3. ex Concil. Moguntino.(3) Tempore Apoſtolorum, & ab initio ſola manuum impoſitio ſufficiebat; ergo illa ſola eſt eſſentialis; unctio verò,quæ deinceps adhibetur, eſt tantum pars integralis. Prob. ant. *Hoc ſacramentum* (inquit) *ab initio ſola manus impoſitione exhibitum*; ergo &c.

Reſp. neg.conſ. Nam, ut diximus, Apoſtoli ſic confirmabant ex diſpenſatione divina; & quia per alia ſigna viſibilia, & miraculoſa manifeſtabatur effectus hujus ſacramenti; ſed ſemper Eccleſia credidit unctionem neceſſariam. Iſtud Concilium recens non erat univerſale.

CONCLUSIO II.

C*Hriſma debet eſſe ex oleo olivarum, & balſamo*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit.(4) *Materia remota eſt chriſma ex oleo olivæ, & balſamo*.

Prob. 2. ex Concil. Florent. cit. quod aſſignat pro materia confirmationis oleum balſamo mixtum.

Prob. 3. ex Pontificali Romano, & aliis Ritualibus. Nam ibi jubetur, ut 1. *miſceat balſamum cum oleo*. Et

[1] *L.* 4. *Ep.* 61. [2] *Can.* 2.
[3] *An.* 1569. [4] *Ibid.*

Et in lib. de Divinis officiis: *Chriſma conficitur ex oleo mundiſſimo, & balſamo.* Non eſt autem probabile, quòd ſtrictè adeò, & univerſaliter præciperetur talis compoſitio chriſmatis, ſi eſset tantùm de præcepto Eccleſiaſtico, & alicubi diſpenſaretur propter balſami penuriam.

Objic. 1. Imò hinc ſequitur, balſamum non eſse neceſsarium ad valorem: non enim credibile eſt Chriſtum voluiſse reddere hoc ſacramentum difficile ex raritate materiæ: nam (1) *mandata ejus gravia non ſunt.* Nam, teſte Plinio, balſamum vix reperitur extra Judæam, & quidem in duobus ſolùm hortis; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus. Falſum eſt, tantam eſſe balſami raritatem; & non inveniri extra Judæam. Ex Joſepho (2) habemus, quòd Regina Sabba attulit Salomoni inter alia munera plantam balſami ex Arabia: & ſic cœpit creſcere in Judæa: abundat etiam in Indiis.

Objic. 2. cap. *Paſtoralis* Innoc. III. decernit, ordinationem Diaconi, qui confirmatus fuerat ex ſolo oleo, non eſse iterandam, nec confirmationem ejus; ergo confirmatio ſine balſamo eſset valida; alioqui utrumque ſacramentum debuiſset iterari. Patet ant. Nam Papa ſic ſcribit Epiſcopo Hiſpalenſi; *Duximus reſpondendum, quòd in talibus non aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum.*

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ibi non agitur de confirmatione, ſed de ordinatione iteranda; quod prohibet Papa decernens, (3) *ſupplendum eſſe, quod fuerat prætermiſſum,* nempe confirmationem eſse conferendam, quia ob invaliditatem prætermiſsa cenſebatur: quippe non dicitur *iterari, quod priùs factum non fuit.* Sic iſte Canon facit pro nobis.

Dixi, *ex oleo olivarum*; nam, ut docet S. Th. (4) *proprietates olei, quibus ſignificatur Spiritus S. magis inveniuntur in oleo olivarum, quàm in quocumque alio oleo,* &c.

[1] *L. 3. c. 25.* [2] *L. 2. antiq. 8.* [3] *Gloſſa ibi.*
[4] *3. p. q. 72. a. 2.*

CONCLUSIO III.

IDem balſamum, ſeu Chriſma debet eſſe benedictum ſpecialiter ab Epiſcopo. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Materia remota eſt Chriſma ... ſpecialiter ſanctificatum ab Epiſcopo, vel ab alio, cui poteſt talis ſanctificatio committi.*

Prob. ex eodem Concil. Florent. cit. & Fabiano etiam cit. & dicente: (1) *Hæc S. Romana Eccleſia, & Antiochena à tempore Apoſtolorum cuſtodit; ita Jeroſolymorum, & Epheſianorum tenent, in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt.* Idem patet ex cap. *Presbyteros*. Et cap. *placuit*. Et in Concil. Braccar. II. *Oleum per invocationem Spiritus S. conſecratum.* In Trident. *Sacro confirmationis Chriſmate.*

Confir. ex Patribus, qui Chriſma hoc vocant *ſanctum, & ſacroſanctum, ſacrum*, &c. propter ſpecialem, & ſolemnem conſecrationem.

Objic. 1. Nullibi reperitur præceptum talis conſecrationis; ergo gratis aſſeritur; nec eſt niſi de præcepto Eccleſiaſtico, non divino.

Reſp. neg. conſ. Nam ut dicatur de præcepto Chriſti, ſufficit, quòd ſic credatur ab Eccleſia ex perpetua traditione, ut dicebamus ex Fabiano.

Inſt. Saltem non eſt neceſſe, ut fiat ab Epiſcopo; ſed ſufficit benedictio à quolibet ſacerdote; ergo &c. Ideò Scotus dicit, *ab Epiſcopo, vel ab alio*, ergo &c.

Reſp. diſt. ant. à quolibet, ſeu ab alio poteſtate delegata, con. poteſtate ordinaria, neg. ant. & conſ. Unde Scotus dicit, *vel ab alio, cui talis ſanctificatio poterit committi*. Et id conſtat ex Concilio Carthagin. II. (2) *Chriſmatis confectio, & virginis conſecratio à Presbyteris non fiat.* Idem docet in III. & in Tolet. I.

Objic. 2. SS. Patres loquentes de Chriſmate nihil dicunt de benedictione: ergo gratis aſſeritur.

Reſp. neg. ant. Nam inquit S. Baſil. *Benedicimus baptiſmatis aquam, & unctionis oleum*. Et Cyril. Jeroſol. *Sanctum hoc unguentum non ampliùs eſt unguentum nudum, neque commune, poſtquam jam conſecratum eſt*. Et ſic de aliis jam citatis.

Di-

[1] *Ibid. to. 1. concil. d. 95.* [2] *Can. 2.*
[3] *l. de ſpir. S. 27.*

Dixi *ſpecialiter ab Epiſcopo*. Nam, ut dicebam ex Concil. Carthagin. II. & III. id ex præcepto Eccleſiaſtico reſervatur ſolis Epiſcopis: & in Tolet. I. dicitur, quod licet id facerent Presbyteri in aliquibus locis, & provinciis, placuit ex hac die nullum alium, niſi Epiſcopum Chriſma conficere. Unde patet ex ordinatione Eccleſiaſtica, ordinariam poteſtatem conficiendi Chriſma iſtud pertinere ad Epiſcopum, an ex lege divina, non decido propter obſcuritatem iſtarum auctoritatum; & pro utraque parte ſunt graviſſimi Theologi, etiam Scotiſtæ, [1] ut Brancatus, & Faber, qui ſtant pro una parte, & Maſtrius pro alia, qui merito putat Scotum ita ſenſiſſe.

QUÆSTIO IV.

De Forma Confirmationis.

LOquimur de forma Confirmationis, ſicut de forma aliorum, ſc. de verbis, cum quibus materia ſolet adhiberi, ut determinetur ad ſignificandum effectum inviſibilem ſacramenti.

CONCLUSIO I.

F*Orma Confirmationis eſt*, *Signo te ſigno crucis*, *& confirmo te chriſmate ſalutis*, *in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus S.* Eſt communis, & videtur ſufficientiam ejus eſſe de fide propter receptiſſimam, & communem praxim Eccleſiæ.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Forma eſt talis: ſigno te*, *vel*, *conſigno te ſigno crucis*, *& confirmo te chriſmate ſalutis*, *vel ſanctificationis*, *in nomine &c.*

Prob. 2. ex Concil. Florent. in quo expreſſis verbis traditur hæc forma: item ex Pontificali Rom. cui conformari debemus: & ex Catechiſmo Concil. Trident. & omnium hujus temporis Theologorum.

Objic. 1. Ab initio Eccleſiæ non dabatur ſub illa forma, nec de illa fit mentio in Scriptura, vel Conciliis, nec Patribus ante ſæculum VII. vel VIII. ergo illa forma non eſt eſſentialis huic ſacramento. Prob. ant. Nam Apoſtoli, ut dictum eſt, confirmabant per ſolam

[1] *diſp.* 2. *n.* 221. [2] *Ibid. A.*

ſolam manuum impoſitionem cum aliqua oratione: *Oraverunt pro illis, ut acciperent Spiritum S.* Et ſic non poterant dicere, *Confirmo te chriſmate*, &c. ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam Eccleſia ſemper uſa eſt illis verbis, aut æquivalentibus. Apoſtoli autem non ſemper chriſmabant, & hoc diſpenſatione divina; & tunc ſemper utebantur aliqua forma verborum, quod Scriptura vocat *orare*; ſed ordinarie chriſmabant, & id non faciebant ſine verbis. Quod autem de his verbis non conſtet ex Scriptura, & Conciliis, nec Patribus formaliter, & expreſſe, nihil facit: nam ſufficit nobis Eccleſiæ Romanæ traditio, cui credendum eſt in his, quæ Scriptura ſilet.

Objic. 2. Non omnia verba illa ſunt de eſſentia ſacramenti; ergo illa forma non eſt tota vera. Prob. ant. 1. non eſt neceſſe duplicare, *ſigno te*, & *confirmo te*, alterutrum ſufficeret, quia idem ſignificant: nec videtur neceſſaria expreſſio trium perſonarum divinarum; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. quia *utile per inutile non vitiatur*. Ideo licet forte aliquæ voces non eſſent neceſſariæ, modo non corrumpant ſenſum, non nocent; imo ſingulæ faciunt ad majorem claritatem, & ſignificationem effectus ſacramenti. Fateor ergo, quod ſufficeret dicere, *chriſmo*, vel *ſigno*, vel *conſigno te chriſmate* &c. ſed ſemper, & quantum fieri poteſt, ſtandum formæ ab Eccleſia præſcriptæ.

Reſpondent alii, hæc omnia eſſe eſſentialia: nam, *ſigno te ſigno crucis*, dicitur, quia poſſet fieri ſignatio per aliud, quam per crucem. Et *confirmo te*, magis exprimit effectum proprium hujus ſacramenti, qui eſt roboratio per gratiam ad reſiſtendum tentationibus contra fidem, ut docet Cardin. Brancatus. Probabilius crederem ſufficere, ſi dicatur, *confirmo te ſigno crucis, & chriſmate ſalutis*: quia ſic exprimitur cauſa principalis actus confirmantis, quæ eſt chriſmatio, & effectus ejus proprius, ut docent PP. Hiquæus, & Maſtrius. [1]

Objic. 1. Forma Græcorum eſt valida, licet multa ex his verbis omittant; ergo illa omnia non ſunt de eſſentia formæ. Prob. ant. Nam dicunt tantum, *donetur tibi*, vel *accipe ſignaculum Spiritus S.* quæ forma

[1] *d.7.q.4.n.67.d.2.n.237.*

ma nunquam dicta fuit invalida, nequidem in Concilio Florentino, ubi Cardin.Beſſarion retulit hanc eſſe illorum formam.

Reſp. neg.conſ. quia, cum verba ſignificent ad placitum, illa apud Græcos ex eorum intentione, & placito poſſunt idem ſignificare, quod noſtra apud Latinos; ideo illa forma valere poteſt apud Græcos, licet non valeat apud nos. Ideo nec illi improbarunt verba noſtra, nec latini verba Græcorum, quæ potius declarata videntur valida ſub Clem. VIII. & Urbano VIII.in Bulla unionis,& inCongregatione erecta Romæ ad examinandum Euchologium illorum.

Objic. 2. Expreſſio perſonarum Trinitatis non eſt de eſſentia formæ; ergo &c. Prob.ant. 1. quia in aliis ſacramentis, præter baptiſmum, non exprimuntur. 2. quia ſi eſſet eſſentialis, non poſſet permitti forma Græcorum, in qua non exprimuntur; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp.neg.ant. & maj. Nam in Eccleſia Latina ſine illa expreſſione non ſignificaretur ſatis cauſa principalis hujus ſanctificationis neque formaliter, nec virtualiter; apud Græcos vero exprimitur ſaltem virtualiter ex illorum mente. Quod autem in aliis ſacramentis non ſic exprimantur illæ perſonæ, non ſequitur non debere exprimi in iſto, quia in formis illorum ſignificantur ſaltem virtualiter, quod non fieret in reliquis verbis iſtius.

QUÆSTIO V.

De Miniſtro Confirmationis.

Agitur de miniſtro tam ordinario, quam extraordinario, ſeu delegato: & difficultas eſt, an hæc miniſtratio ſic reſervetur Epiſcopis, ut non poſſit delegari ſimplici ſacerdoti.

CONCLUSIO I.

Solus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius Confirmationis; extraordinarius vero, & ex delegatione Papæ Parochus, vel alius ſacerdos. Eſt de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi dicit, *quod miniſter eſt Epi-*

[1] *d.7. q.1.B.2.*

Epiſcopus, vel alius, cui committi poterit; ergo ex Scoto vera eſt tota concluſio.

Prob. 1.p. ex Script. qua conſtat, ſolis Apoſtolis [1] collatum fuiſſe miniſterium iſtud, ut cum miſerunt in Samariam Petrum, & Joannem, ut confirmarent, quos Philippus Diaconus baptizaverat; *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum S.* ergo &c.

Prob. 3. ex Concilio Florent. [2] ſæpe cit. in Decreto Eugenii, & Trident. (3) *Si quis dixerit, S. Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem, Anath. ſit.* Quod etiã colligitur ex Eliberit. Hiſpalenſi, Pariſienſi, Cabilon. Conſtantienſi, & ex innumeris Decretis Apoſtolicis, & Canonibus, ut ex Leone I. Gregor. I. Innocent. I. Melchiade, & Urbano I. &c.

Prob. 2. p. 1. ex cap. *pervenit*, [4] quod eſt S. Gregor. [5] Nam ibi permittit Presbyteris Sardiniæ, ut confirment: & ex Concil. Florent. [6] *Legitur, aliquando per Apoſtolicæ ſedis diſpenſationem, & rationabili, & urgente admodum cauſa ſimplicem ſacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Confirmationis ſacramentum.*

Confir. ex facto plurium Pontificum, qui, ad exemplum S. Gregorii, ſimiles facultates conceſſerunt variis Presbyteris pro remotis regionibus, maxime inter infideles. Quod fieri poſſe declaravit nuper S. Congregatio Interpretum Concilii Trident. ut refert Maſtrius cit. [7] & Herinx; [8] & poſt alios refert Barboſa, quod ex privilegio SS Pontificum Jeſuitis, & Minoritis apud Indos morantibus miniſtratio hujus ſacramenti conceditur.

Confir. 2. ex veteri more Orientalium, apud quos etiam ante ſchiſma ſimplices ſacerdotes confirmabant, ut refert Herinx cit. & eandem praxim apud Ægyptios viguiſſe probat ex Ambroſ. ſeu ex Authore Commentarii cap. 4. Epheſ. &c. Et Græci hoc propugnarunt coram Eugenio IV. in Concil. Florent.

Prob. denique: quia hujus delegationis repugnantia

[1] *Act.* 2. [2] *ſſ.* 6. *can.* 3. & 4.
(3) *ſ.* 23. *c.* 4. [4] *d.* 95. *l.* 3. [5] *Ep.* 66.
[6] *Decr. Eugen.* [7] *n.* 145. *diſp.* 9. *n.* 13.
(8) *Alleg. c.* 30. *n.* 30.

tia nulla poteſt dari, vel inconveniens, ex quo ſequatur nullitas ſacramenti.

Objic.1.con.1.p. Omnis ordinarius poteſt delegare; ſed Epiſcopus non poteſt delegare Presbyteris confirmationem activam; ergo non eſt miniſter ordinarius confirmationis. Prob. maj. ex cap. *His quibus*, de officio Ordinarii.

Reſp. diſt. maj. ſi ordinarius ſit abſolutus, nec habeat ſuperiorem limitantem, con. ſi non ſit ita abſolutus, neg. maj. & conſ. Nam hæc delegatio reſervatur ſoli Papæ: & ſi vix iſti tribuitur hæc facultas, quanto minus Epiſcopis? Jus ergo divinum limitat hanc facultatem ad ſolam Papam ex praxi Eccleſiæ, quæ juris divini depoſitaria eſt, & interpres.

Inſt. In aliis poſſunt Epiſcopi delegare vices ſuas; ergo & in iſto.

Reſp. diſt. ant. in aliis, quæ ſunt ſuæ juriſdictionis, con. quæ ſunt ordinis, neg. ant. hoc autem miniſterium ſpectat ad poteſtatem ordinis.

Objic.2. Sacerdos eſt æqualis Epiſcopo, ſaltem in poteſtate ordinis; ſed iſtud miniſterium ſpectat ad ordinem; ergo & ad omnem ſacerdotem. Prob. maj. ex S. Hieron. & cap. [1] *quod olim*, ubi dicitur: *Non ex divina diſpenſatione, ſed ex conſuetudine, & humanitus decretum eſt, ut unus ex Presbyteris electus ſuperponatur cæteris*: ergo &c.

Reſp. 1. id non facere ad rem: nam ſi omnis ſacerdos eſt Epiſcopus: ergo omnis Epiſcopus eſt miniſter ordinarius confirmationis: & ſic vera eſt concluſio.

Reſp.2. neg. maj. & conſ. prob. de qua alias: nam ex eo, quod Epiſcopus ſumatur de Presbyteris, non ſequitur, quod ſint æquales, ut conſtat ex Can. cit. Concilii Tridentini. (2)

Objic. 3. Ananias confirmavit Paulum, & impoſuit ei manus: ſed ille non erat Epiſcopus, nec forte ſacerdos: ergo &c. Prob. maj. Nam miſſus eſt, ut illuminaret eum, & impleret Spiritu S. & revera Paulus ſtatim cœpit prædicare fidem, quod ſignum eſt confirmationis: ergo &c.

Reſp.1. neg. maj. & conſ. prob. Nam plenitudinem illam Paulus accepit in baptiſmo: nec dicitur, quod ibi aliud ſacramentum ſuſceperit.

Reſp.

[1] *d.* 95. [2] *Seſſ.* 7. *c.* 3.

Reſp. 2. diſt. maj. ex ſpeciali delegatione Chriſti, & via extraordinaria, con. ex poteſtate ordinaria, neg. maj. Nam Chriſtus apparuit Ananiæ [1] jubens, ut quæreret Saulum &c.

Objic. 4. ex Concil. Tolet. I. *Statutum eſt, Diaconum non chriſmare, ſed Presbyterum abſente Epiſcopo, præſente vero non niſi ab ipſo fuerit præceptum*; ergo Presbyter eſt etiam miniſter ordinarius confirmationis, ſaltem abſente Epiſcopo.

Reſp. neg. conſ. Nam chriſmatio illa erat non confirmantis, ſed baptizantis, quæ fiebat in vertice baptizati. Et olim non ſolebant Presbyteri baptizare præſente Epiſcopo, ut diximus ſupra; & patet ex cap. [2] *omni tempore*, de conſecr. & ex Leone I. *Neque coram Epiſcopo licet Presbyteris in baptiſterium introire*.

Iuſt. ex Hieron. [3] auctoritas dandi Spiritum S. per confirmationem data eſt Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis, *ad honorem ſacerdotii potius, quam ad legis neceſſitatem*; id pertinet ad Epiſcopos ratione ſacerdotii, & per conſ. ſacerdotibus.

Reſp. neg. conſ. quia hoc miniſterio decoratur quidem ſacerdotium Epiſcopale; ſed non ſequitur, quin iſtud ſit altioris ordinis, quam ſimplex ſacerdotium, nec quod ſit utrique commune.

Objic. 1. con. 2. p. ex Epiſt. VIII. Synodi ad Adrianum: Bulgari confirmati a ſacerdotibus Photii Patriarchæ reconfirmati ſunt ab Epiſcopis latinis; ergo nunquam valuit confirmatio data a ſacerdotibus.

Reſp. neg. conſ. quia illa delegatio non erat valida, ideo nec illæ confirmationes; ſc. quia delegans erat excommunicatus, & Bulgari non erant de illius juriſdictione, ſed Eccleſiæ Latinæ.

Objic. 2. Miniſtratio ſacramenti eſt de illius inſtitutione; ſed quæ ſunt de inſtitutione ſacramenti, non poſſunt diſpenſari; ergo nec adminiſtratio confirmationis; ergo ſi adminiſtratio pertinet ad Epiſcopos, non poteſt delegari Presbyteris. Prob. maj. nam miniſter deſignatur eadem auctoritate, qua determinantur alia eſſentialia ſacramenti; ſed hæc ſunt a Deo, & indiſpenſabilia; ergo & miniſtri deſignatio.

Reſp. diſt. min. niſi in illa deſignatione includatur diſpen-

[1] *Act. 9.* [2] *d. 4. Ep. 88.*
[3] *Dial. con. Lucifer.*

diſpenſabilitas, con. ſi includatur diſpenſabilitas, neg. min. & conſ. Deus autem cum deſignavit Epiſcopos, ut miniſtros ordinarios confirmationis, reliquit Eccleſiæ facultatem hoc miniſterium delegandi aliis ex cauſa; alioqui Eccleſia, quæ non errat, non diſpenſaret, ſicut de facto diſpenſat.

Objic. 3. Actus ordinis ſuperioris non delegantur inferiori; v. g. actus ſacerdotii non delegantur Diaconis; ſed confirmatio eſt actus ordinis ſuperioris ſacerdotio; ergo illa non poteſt delegari Presbyteris.

Reſp. diſt. min. actus præciſe ordinarius de via ordinaria, & ſine diſpenſatione divina, con. de potentia abſoluta, & extraordinarie, ac de voluntate divina, neg. min. Nam miniſtratio confirmationis eſt actus ordinarius Ordinis Epiſcopalis: ſed eſt extraordinarius actus ſacerdotii ex diſpenſatione divina.

Objic. 4. ex Scoto. [1] Sacerdos ſic delegatus fit Epiſcopus quoad illum actum; ergo ſemper ſpectat ad ſolos Epiſcopos.

Reſp. 1. neg. ant. Nam Scotus non loquitur ibide mente ſua propria, quam de aliena. *Quartus modus decidendi, &c.*

Reſp. 2. diſt. ant. ſit Epiſcopus quod aliquem actum, qui non requirit abſolute poteſtatem ordinis, con. ſit Epiſcopus quoad ordinem, & characterem, neg. ant. Nec enim id cogitat Scotus, [2] *non tamen conferendo ſibi gradum Epiſcopalem*, inquit, ſicut cum Moyſi dicebat Deus, *Conſtitui te Deum Pharaonis*, non ſequitur, quod abſolutè fieret Deus, ſed tantum quod ad actus aliquos ſupernaturales ipſum deſtinaret.

Quæres, *an etiam Papa poſſet ſimplici ſacerdoti delegare conſecrationem chriſmatis.*

Reſp. affirmative cum Scoto. [3] *Materia remota eſt chriſma . . . ſanctificatum ſpecialiter ab Epiſcopo, vel ab alio, cui poteſt talis ſanctificatio committi*, inquit, quia non eſt major ratio, cur miniſtratio ipſius ſacramenti poſſit delegari ſimplici ſacerdoti, quam materiæ illius præparatio; ſed conſecratio chriſmatis non eſt niſi præparatio materiæ confirmationis: &

[1] *Ibid. E. 6.* [2] *Ibid.*
[3] *Ibid. B.*

& hæc poteſt æque delegari, ac confirmatio ipſa; ergo &c. Prob. maj. ipſa confirmatio eſt quid majus, eſt enim ſacramentum, & cauſa gratiæ immediata: præparatio, ſeu conſecratio non eſt ſacramentum, nec cauſa gratiæ, niſi remotiſſima: ergo &c.

Dico, *delegare*; Nam certum eſt, hanc conſecrationem ordinarie pertinere ad ſolos Epiſcopos, ut dictum eſt, non autem ad ſimplices Presbyteros, niſi ex delegatione, & via extraordinaria.

Dices 1. Gelaſius cap. *Presbyteros*, prohibet ſacerdotibus, ne uſurpent ſibi poteſtatem conficiendi chriſma, quia id pertinet ad Epiſcopale faſtigium; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ne uſurpent propria auctoritate, conc. auctoritate Summi Pontificis, neg. ant. nec enim cogitavit hoc prohibere.

Dices 2. Confirmatio non eſt ita neceſſaria, ut Deus voluerit eam conferri, nec materiam ejus confici per alios, quam per miniſtros ordinarios, ſc. Epiſcopos, juxta intentionem primariam inſtituentis; ergo in nullo caſu poteſt Papa diſpenſare, ut per alios conſecretur, aut conferatur.

Reſp. neg. ant. Nam hoc ipſo, quod Eccleſia diſpenſat, ſignum eſt, illam eſſe ſatis neceſſariam, ut debeat in utroque, vel alterutro diſpenſari, prout caſus exigunt.

Quæres 2. *an Epiſcopus degradatus, vel ſuſpenſus, vel hæreticus valide confirmare poſſit.*

Reſp. poſſe valide, ſed illicite: Quia confirmatio præcise, & per ſe non eſt actus juriſdictionis, ſed ordinis: ſed poteſtas ordinis non tollitur per lapſum in hæreſim, nec per ſuſpenſionem, vel degradationem: ergo &c.

Confir. 1. ex Auguſt. [1] In hæreticis ſicut baptiſmus, ita & ordinatio manet integra: ergo &c.

Confir. 2. Epiſcopus factus hæreticus valide ordinaret, & conſecraret Euchariſtiam: ergo & valide confirmaret: eſt enim par utrobique ratio. Prob. ant. ex cap. [2] *convenientibus*, quod eſt Concil. Nicæni II. Et cap. *Excommunicatis*, ubi dicitur, quod ordinati ab Epiſcopis excommunicatis tolerari poſſunt.

Et

[1] *l.3.con.litt.* [2] 1.q. 1.1.q.7.

Et cap. *maximum*: & denique ex praxi totius Eccleſiæ, quæ numquam voluit tales ſic ordinatos eſſe reordinandos. Vide, quæ diximus de baptizatis apud Hæreticos.

QUÆSTIO VI.

De ſubjecto Confirmationis.

CErtum eſt 1. ſuſcipientem debere eſſe hominem viatorem; quia ſacramenta inſtituta ſunt ad ſalutem hominis viatoris, ut dictum eſt. 2. illum debere eſſe baptizatum; quia baptiſmus eſt janua Sacramentorum, & qui illa recipit, debet eſſe natus in Eccleſia per ſacramentum regenerationis, & prius eſt naſci, quam augeri, & roborari, & talis eſt perpetua praxis Eccleſiæ. Ideo cum S. Bonifacius ſcripſiſſet ad Zachariam Papam, quendam ſacerdotem in Scotia docere hominem ſine baptiſmo, & per ſolam confirmationem fieri poſſe Chriſtianum, & illam dari valide, reſpondit Papa; (1) *Qui hoc dixit, vacuus eſt Spiritu S. & alienus à Gratiâ Chriſti, & a conſortio ſacerdotali abjiciendus.*

3. Certum eſt, infantes ante uſum rationis poſſe confirmari. Nam olim ſtatim poſt baptiſmum confirmabantur; quia, inquit S. Thomas, (2) *etiam in pueritiate homo poteſt conſequi perfectionem ſpiritualis ætatis*: Inde eſt, quod in puerili ætate propter robur Spiritus ſancti perceptum, uſque ad ſanguinem fortiter certarunt pro Chriſto. Tamen hodie non confirmantur ante uſum rationis, extra periculum mortis.

Reſtat quærendum de diſpoſitionibus in adultis ad licite, & valide recipiendam confirmationem.

CONCLUSIO.

AD valide recipiendam confirmationem in adultis requiritur, & ſufficit baptiſmus, ad licite, & fructuoſe recipiendam requiritur Fides, & Gratia. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui in deſcriptione confirma-

(1) *Ep.* 2. (2) *q.* 72. *a.* 8. (3) *Ibid. A.* 1.

mationis dicit, quod illa ſignificat *unctionem animæ roborantem ad confitendam conſtanter fidem Chriſti*: nam gratia roborans ſupponit primam præexiſtentem, & confeſſio fidei non poteſt fieri, niſi ab habente fidem.

Prob.2. Nam, ut dicebamus, baptiſmus eſt janua ſacramentorum: &, ut loquitur S. Thomas, (1) confirmatio eſt quædam baptiſmi perfectio: ideo per eam chriſtianus non poteſt perfici, & creſcere in gratia, niſi ſit genitus in Chriſto; ſed non ſic gignitur, niſi per baptiſmum; ergo nec poteſt confirmari, niſi ſit baptizatus.

Prob. 2. p. quod ſufficiat: nam in Actis Apoſtolorum, & quando Apoſtoli baptizabant, ſtatim etiam confirmabant, ut docent Tertull. (2) & Alcuinus, & Baronius ad Annum 371. & talis erat praxis in primis ſæculis; ergo ſufficit hominem eſſe baptizatum, ut valide confirmetur.

Prob. 3. p. de ſtatu gratiæ: nam eſt ſacramentum vivorum; ergo requiritur ſtatus gratiæ in ſuſcipiente, qui per eam vivat vita ſupernaturali; Et certe non poteſt corroborari, nec confirmari gratia, ſi non eſt inchoata, & exiſtens.

Prob.4.p. de fide, ob eandem rationem; quia non poteſt corroborari fides, nec homo in ea confirmari ad eam conſtanter confitendam, ſi non habetur. Nihil dico de aliquali conſenſu; nam quoad hoc eadem eſt ratio, quam diximus de baptiſmo.

Objic.1. con. 1.p. ex Script. prius deſcendebat Spiritus S. in parvulos, quam baptizarentur; ſed non accipiebatur Spiritus S. niſi per confirmationem; ergo prius confirmabantur, quam baptizarentur. Prob. maj. ex verbis Petri, (3) *Numquid aquam quis prohibere poteſt, ut baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, ſicut & nos? & juſſit eos baptizari*: ergo illi prius acceperant Spiritum S. quam baptizarentur.

Reſp.diſt. maj. & ant. deſcendebat Spiritus S. per gratias actuales,& vocationis, & illuminationis, quibus inſtruebantur in principiis fidei, con. per gratiam ſanctificantem, & propriam baptiſmi,neg. maj. & ant. Nec enim de Spiritus Sancti receptione per hanc gratiam

(1) *Ibid.a.6.* (2) *De bapt.7.&* 8... *de Eccle. Offic.*
(3) *Act.10.*

tiam loquebatur Petrus, ſed de gratia vocationis, & illuminationis.

Objic. 2. con. 2. & 3. p. ex cap. *jejuni*, & ex Catechiſmo Concilii Trident. monentur præmittere confeſſionem, & ut ſint jejuni; ergo non ſufficit baptiſmus cum ſtatu gratiæ ad recipiendam confirmationem.

Reſp. diſt. ant. confeſſionem pro iis, qui habent conſcientiam peccati mortalis, & ut ſint jejuni ex aliqua decentia, con. abſolute, & ſimpliciter ut valeat, neg. ant. quoad illum canonem, obligat ſolum in Diœceſi Aurelianenſi, in qua ſic ſtatutum eſt, & ex qua ille canon excerptus eſt.

QUÆSTIO VII.

De neceſſitate Confirmationis.

QUæſtio procedit de neceſſitate medii, aut præcepti, an alterutra, vel utraque urgeat.

CONCLUSIO I.

COnfirmatio non eſt neceſſaria neceſſitate medii, nec præcepti. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] *In baptiſmo datur gratia; ergo per illam* (homo) *fit filius regni, & ita ſufficit ad ſalutem*; quod probat ex Matthæo: [2] *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*. Et cap. *Spiritus Sanctus*, ubi dicitur, quod baptizatus per ſolum baptiſmum ſalvatur.

Prob. 2. de neceſſitate medii; nam, ut dicebat Doctor, per baptiſmum delentur omnia peccata, & habetur gratia ſanctitatis, & adoptionis; ſed hæc per ſe ſufficit ad ſalutem; & gratia corroborans, quæ datur per confirmationem, & effectus ejus primarius, non eſt neceſſaria neceſſitate medii; ergo nec confirmatio.

Prob. de neceſſitate præcepti; quia nullibi conſtat de ullo præcepto poſitivo divino, ergo &c.

Dico, *de poſitivo*; nam quoad negativum poſſet prohiberi contemptus; qui enim hoc ſacramentum negligeret ex contemptu, peccatet ſine dubio graviter.

[1] *ibid. q. 2. A.* [2] *Math. 28.*

viter. Loquimur ergo de præcepto poſitivo, de quo nullibi apparet mentio.

Objic. 1. con. 1. p. Non pervenitur ad ſalutem, niſi per plenitudinem chriſtianitatis; ſed ad hanc plenitudinem neceſſaria eſt confirmatio; ergo & ad ſalutem. Prob. min. nam inquit Melchiades: [1] *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum Spiritum S. poſt baptiſmum accipere debent, ut pleni chriſtiani inveniantur*; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. per plenitudinem ſufficientem, con. maj. & neg. min. per plenitudinem abundantem, neg. maj. Nec enim neceſſaria eſt hæc plenitudo, *modo abſit contemptus, in quo eſſet peccatum*, inquit gloſſa [2] In pueris autem ſufficit baptiſmus.

Inſt. Baptiſmus, & confirmatio *ſunt ita conjuncta, ut ab invicem, niſi morte præveniente*, nullatenus poſſint ſegregari & unum ſine altero rite perfici non poteſt; ergo tam neceſſaria eſt confirmatio, quam baptiſmus.

Reſp. neg. conſ. Nam inquit gloſſa: *ſignificatur Chriſtianum ſine confirmatione non eſſe plenum abundanter, ſed ſufficienter*.

Inſt. 2. ex Concil. Aurelian. (3) *Homo numquam erit Chriſtianus, niſi confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus*; ergo ſine confirmatione homo non eſt ſufficienter Chriſtianus.

Reſp. diſt. ant. cum gloſſa, Chriſtianus plenus quoad omnia ſacramenta, con. abſolute, & ſufficienter, neg. ant. Unde docet, [4] quod parvuli non confirmati minorem quidem gloriam habebunt, quam confirmati, ſed tamen habebunt gloriam, ſi in baptiſmo habuerint gratiam.

Objic. 2. Omnia Sacramenta ſunt neceſſaria ad ſalutem; ſed hæc neceſſitas non poteſt eſſe, niſi ex præcepto divino; ergo &c. Prob. min. Nullus enim poteſt eam neceſſitatem imponere præter Deum, quia pendet ex voluntate inſtituentis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. aliquali neceſſitate, con. neceſſitate abſoluta, & æquali, neg. maj. alioqui omnes deberent maritari, & ordinari: quædam autem ſunt ne-

[1] *c. omnes* 5. *de conſecr.*
[2] *ibid. c. De his* 3.
[3] *Ibid. c. ut jejunii*. [4] *Gloſſa*.

neceſſaria ſimpliciter, & omnibus, ut baptiſmus; quædam ſolùm aliquibus ad certos fines, ut pœnitentia peccatoribus; quædam ſecundum quid, & ad melius eſſe, ut confirmatio, &c.

Inſt. Deus æquè omnia inſtituit; ergo æque vult omnia ſuſcipi à ſingulis ſecundum ſuos proprios ſtatus, & fines; ſed confirmatio convenit omnibus ſtatibus, & finibus; ergo &c.

Reſp. diſt. ſubſ. convenit omnibus ad melius eſſe, con. ut neceſſaria ſimpliciter, neg. ſubſ. nec enim ea fuit intentio Chriſti.

CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt, confirmationem eſſe neceſſariam ex præcepto aliquo Eccleſiæ*. Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui Canonem citatum explicat de *adulto, qui non debet contemnere, & pro tempore congruo ſuſcipere in effectu*, &c. *eſt tamen neceſſarium adulto ſic, ut non contemnat*, &c. ergo admittit aliquam obligationem ex aliquo præcepto; & ſic explicat Canonem citatum, ubi aſſeritur debitum.

Prob. 2. ex SS. Canonibus etiam citatis: Nam illud primum dicit, quòd *omnes fideles debent per hoc ſacramentum recipere Spiritum S.* & in ſequenti dicitur, quod *licèt continuò tranſituris ſufficiant regenerationis* (baptiſmi) *beneficia; virtutis tamen neceſſaria ſunt confirmationis auxilia*. Et cap. 3. dicit, hæc duo ſacramenta, & baptiſmum, & confirmationem *nullatenus ſegregari poſſe*. Et in Concil. Aurelian. dicitur, quòd homo *nunquam erit chriſtianus, niſi confirmatione Epiſcopali fuerit chriſmatus*. Et in Laodic. *Oportet eos, qui illuminantur, poſt baptiſmum inungi ſupercœleſti chriſmate, & eſſe regni Chriſti participes*. Et in Mediolan. IV. *Parochi videant, ne quis eorum, qui ſibi in curam traditi ſunt, illud ſuſcipere negligat*; loquitur de hoc ſacramento. Et Cornelius Papa ſcribit (2) ad Fabium Epiſc. quòd Novatus cecidit in hæreſim, *quia poſt baptiſmum ſigillo domini ab Epiſcopo obſignatus non fuit*.

Prob. 3. ex Patribus; ex Cypriano. *Ungi neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit: ut .... habere in ſe grat.am*

(1) *Ibid. q. 2. fin.* (2) *an.* 48.

Chriſti poſſit. Et Hugo Victor. (1) *Timendum eſt iis, qui per negligentiam amittunt Epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem*, &c. ergo ex Patribus extat aliquale præceptum confirmationis ſuſcipiendæ.

Prob. 4. ex praxi Eccleſiæ, quæ tam ſollicita eſt, ut fideles omnes ſuſcipiant hoc ſacramentum; ergo prætendit eos ad id obligari. Prob. ant. Nam ab initio ſtatim poſt baptiſmum dabatur; & jubet eos puniri, qui illud neglexerint, ut Concil. Mediolan. citatum. (2) *Si quis neglexerit, canonicis pœnis ſubjaceat*: & Rhemenſe, *Moneant Parochi, & divini verbi præcones, ſacramentum confirmationis non debere negligi, vel prætermitti à verè Chriſtianis*, &c. Hæc obligatio maximè urget, quando inſtant perſecutiones, & pericula fidei; quia tunc fideles maximè indigent auxiliis divinis, quibus in ea firmentur. De hac neceſſitate conveniunt omnes.

Objic. 1. Eccleſia non ſolet præcipere, quæ poſſunt ſuppleri aliis mediis; ſed effectus confirmationis poſſunt haberi aliis mediis; ergo &c. patet maj. nam fideles non debent gravari ſine neceſſitate. Prob min. Nam habentes gratiam poſſunt mereri augmentum ejus, & auxilia contra omnes tentationes per bona opera, orationes, jejunia, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi poſſint haberi æquè certò, facilè, & abundanter, con. maj. & neg. min. ſi minùs certò &c. neg. maj. Merita vera ſunt rariora, difficiliora, & parciora ſacramentis.

Objic. 2. Si extaret tale præceptum, determinaret tempus receptionis, ut in aliis præceptis; ſed per confirmationem nullum tempus determinatur; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam de baptiſmo nullum tempus determinatur præcisè, modò ſemel in vita recipiatur. Et certè ratio naturalis hoc ſatis determinat, ut cùm opportuna ſe præbet occaſio, vel cùm urgent tentationes contra fidem, aut periculum mortis, & ſimilia.

Dixi autem, *probabile*; nam pars alia non caret probabilitate, ſc. quòd præciſo contemptu, poſſit omitti confirmatio ſine peccato mortali, & ſine tranſ- greſ-

(1) *Ep.* 71. (2) *an.* 1583.

greſſione ullius præcepti, ut tenent Valentia, & Arriaga. Certum eſt autem, eam eſſe tantæ utilitatis, ut vix ſine peccato poſſit omitti.

QUÆSTIO VIII.

De effectibus Confirmationis.

TRes præcipui numerantur effectus Confirmationis. 1. Gratia habitualis, quæ eſt illi communis cum aliis ſacramentis. 2. Gratia roborativa conſiſtens in ſpeciali aſſiſtentia Spiritus S. ad confitendam fidem Chriſti. 3. character quidam, quo anima notatur, velut ſigno militiæ Chriſti.

CONCLUSIO I.

COnfirmatio, præter gratiæ habitualis augmentum confert gratiam roborativam animæ ad confitendam fidem Chriſti. Eſt communis contra hæreticos dicentes, quòd per manuum impoſitionem, quam negant eſſe ſacramentum, non dabantur olim niſi dona linguarum, ſanitatum, &c. deinceps verò ex quo ceſſarunt illa miracula ſenſibilia, deſiit in quandam Catecheſim, qua inſtruuntur juvenes in fide; & tandem deſiit in nudam cæremoniam vacuam omni fructu ſpirituali.

1. p. de gratia habituali patet ex dictis de primario effectu omnium ſacramentorum, & de veritate hujus ſacramenti. Item patet, quòd non cauſet de ſe niſi 2. gratiam, ſeu augmentum gratiæ ſanctificantis; quia non eſt ſacramentum mortuorum, quos poſſit reſuſcitare à morte peccati ad vitam ſpiritualem: & roboratio gratiæ ſupponit exiſtentiam ejus.

Confir. ex SS. Canonibus, (1) & Patribus. Nam inquiunt, *Baptiſmus in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.* Et Hilar. Arelatenſis: *In confirmatione augmentum præſtat ad gratiam.* Et Ambroſ. *Poſt fontem ſupereſt, ut perfectio fiat, quando per invocationem ſacerdotis Spiritus S. infunditur; quod perficitur*

(1) *C. Spiritus S. d. 5. de conſecr. hom. Pent.*

tur jam inceptum eſt. Eſt Tridentin. [1] non niſi duo ſacramenta deſignat, quibus peccata remittuntur ad juſtificationem, ſcilicet baptiſmum, & pœnitentiam; ergo confirmatio ex ſe non cauſat niſi 2. gratiam.

Prob. 2. p. de gratia roborativa 1. ex Scoto [2] dicente, confirmationem *ſignificare ex inſtitutione divina unctionem animæ per gratiam roborantem ad confitendam conſtanter fidem Chriſti*.

Prob. 2. ex Concil. Florent. cit. *Effectus confirmationis eſt, quia in ea datur Spiritus S. ad robur, ſicut datus eſt Apoſtolis in Pentecoſte, ut Chriſtianus audacter confiteatur nomen Chriſti*. Et can. cit. (3) *Per confirmationem roboramur*. Et Innoc. III. *Per confirmationem Spiritus S. ad augmentum datur, & robur*; ergo &c.

Prob. 3. Confirmatio eſt ſacramentum ſpeciale diſtinctum à cæteris; ergo præter gratiam habitualem, debet dare aliquam ſibi propriam; ſed non poteſt aſſignari alia ſpecialiter, & convenientior, quàm illa roborativa animæ ad confitendam fidem; ergo, &c.

Objic. 1. con. 1. p. Gratia habitualis 1. & 2. ſunt ejuſdem ſpeciei; ergo ſi confirmatio cauſat 2. poterit etiam cauſare primam.

Reſp. diſt. ant. Ejuſdem ſpeciei phyſicè, conc. moraliter, neg. ant. Nam ex Dei ordinatione 1. expellit peccatum, non autem 2. quæ ſupponit 1. uno verbo, quædam ſacramenta pro peccatoribus dantur ad delenda peccata, quædam pro juſtis ad augendam juſtitiam, & gratiam.

Objic. 2. Confirmatio differt ſpecie ab aliis ſacramentis; ergo debet cauſare gratiam diverſæ ſpeciei; nam diverſæ cauſæ habent diverſos ſpecie effectus.

Reſp. diſt. conſ. & rationem ejus, diverſos correſpondentes eorum differentiæ, con. ſimpliciter, ita ut nihil ſimile operentur, neg. conſ. & prob. Nam ſicut ſacramenta conveniunt in ratione ſacramenti generica, ita & in cauſalitate aliqua, ſed gratiæ habitualis; & differunt in cauſalitate ſpecifica, ut confirmatio quoad gratias roborativas, quæ illi ſunt propriæ.

Inſt.

[1] *Seſſ. 6. c. 14.* [2] *d. 7. q. 1. A. 1.* [3] *c. Spiritus.*

Inſt. Quæ habent diverſas proprietates, differunt ſpecie; ſed gratia baptiſmi, & confirmationis habent diverſas proprietates; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi eas habent ex natura ſua phyſica, conc. ſi ab extrinſeco, & moraliter, neg. maj. Nam gratia habitualis confirmationis annexam habet gratiam roborativam, non ex natura ſua intrinſeca, & phyſica, ſed ex ordinatione divina; ſicut eſt omnis cauſalitas ſacramenti, ut diximus.

Objic. con. 2. p. Unctio baptiſmalis cauſat etiam gratiam roborantem; idem eſt de Euchariſtia: ergo illa gratia non eſt propria confirmationi. Prob. ant. Unctio baptiſmalis dat robur ad conſervationem gratiæ acceptæ, & ad reſiſtendum peccato; *& ut profiteamur fidem in perſecutionibus*: & Euchariſtia dicitur panis, *qui cor hominis confirmet*; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. gratiam roborantem ad fines ſibi proprios, conc. ad fines eoſdem, neg. ant. & conſ. Nam baptiſmi gratia roborat ad fines conſervandæ gratiæ filialis; & Euchariſtia ad fines nutrimenti ſpiritualis. Gratia autem confirmationis roborat ad fines ſpeciales, ſcilicet ad confitendam fidem Chriſti conſtanter, & ad gratiam quaſi militarem.

Objic. 2. Ex Hugone Victor. [1] Unctio in baptiſmo inſtituta eſt à S. Sylveſtro, ut ſuppleret confirmationem; ergo Baptiſmus dat eandem gratiam.

Reſp. neg. conſ. Quia in hoc opinio Hugonis eſt ſingularis contra torrentem Theologorum; & maximè quia ab initio confirmatio dabatur ſtatim poſt baptiſmum; quod non feciſſent, ſi putaſſent unctionem baptiſmalem in vertice ſupplere iſtam, quæ fit in fronte.

Quæres, *An illa gratia roborativa diſtinguatur realiter ab habituali.*

Reſp. diſtingui: nam roborativa conſiſtit in actualibus auxiliis Spiritus S. in occaſionibus confitendi fidem contra tentationes externas, & internas, & tranſeunt; habitualis verò eſt permanens; iſta non manet in peccatore; ſed illa auxilia poſſunt adeſſe, & ſæpè adſunt ipſis peccatoribus cum ipſo habitu fidei.

[1] 2. *Sacram. p. 7. c. 3.*

Confir. ex Can. *Spiritus*, (1) ubi dicitur, *victuris neceſſaria eſſe confirmationis auxilia*; & quòd *ipſa armat, & inſtruit ad agones mundi hujus, & prælia*. Denique omnia, quæ tribuuntur huic gratiæ, ſalvantur per actualia auxilia roborantia; ergo hæc gratia diſtinguitur ab habituali.

CONCLUSIO II.

Confirmatio imprimit aliquem characterem diſtinctum à Baptiſmali. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. ex Scoto (2) cit. qui inde infert ejus initerabilitatem: *Quia per iſtud ſacramentum homo conſtituitur in gradu determinato Eccleſiæ, ſcilicet in gradu bellatoris; & ſacramentum conſtituens in gradu determinato non iteratur, & datur congruentia, quia imprimit effectum indelebilem, ſcilicet characterem*.

Prob. 2. ex Concil. Florent. & Trident. citat. (3) *Nam ſi quis dixerit, in tribus ſacramentis, baptiſmo ſc. confirmatione.... non imprimi characterem in anima, &c. Anath. ſit*. Et id magis conſtat ex dictis tr. ſuper. de charactere.

Confir. ex praxi Eccleſiæ, quæ non ſolet iterare hoc ſacramentum, ſicut nec baptiſmum, & ordinem; ergo ſignum eſt eam ſentire, quòd imprimunt characterem indelebilem in anima.

Prob. 2. p. Nam characteres illi ſeorſim imprimuntur, & deſignant diverſos gradus; ergo & ipſi differunt inter ſe. Prob. ant. nam ipſa ſacramenta ſeorſim conferuntur, & baptiſmalis notat hominem de familia Chriſti, & formaliter Chriſtianum; iſte verò notat hominem de militia Chriſti, & formaliter ejus militem; ſed hæc differunt; ergo, &c.

Objic. Nulla eſt neceſſitas hujus diverſitatis, & multiplicationis; nam primus ſufficit ad notandos fideles inter alios; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam primus notat ſolùm filios, & domeſticos fidei, & Chriſti; iſte verò deſignat milites; & licèt potuerit Deus utroſque notare eodem ſigno,

(1) *d.5. de conſecr.* (2) *q.4. A.2.*
(3) *Seſſ. 7. can.9.*

ſigno, ſeu charactere, placuit tamen id facere per duos; & illa voluntas ſufficit, ut diſtinguantur.

Inſt. Sufficeret characterem baptiſmalem intendi per confirmationem, ſicut per illam intenditur gratia habitualis: ergo fruſtra ponitur diverſus.

Reſp. neg. ant. Nam ſicut character pro formali importat puram relationem; & ſicut relatio non dicitur intendi: ita nec character.

Et hæc de Baptiſmo, & Confirmatione dicta ſufficiant ad laudem, & gloriam D. O. M. ac Matris Deiparæ, & Seraphici P. Franciſci.

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ TRACTATUS XIV.

De Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CHRISTIANUS genitus, & unctus indiget pabulo, ut acceptam vitam foveat, & in ea creſcat. Per Baptiſmum regeneramur ad vitam, gratiam, & chriſtianitatem: per Confirmationem ungimur, & roboramur: per Euchariſtiam nutrimur in gratia, & creſcimus. Ordo igitur naturalis poſtulat, ut poſt tractatum de Baptiſmo, & Confirmatione agamus de Euchariſtia, ut diſcamus Deifico illo cibo nutriri.

DISPUTATIO PRIMA.

De exiſtentia, & eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ.

REM aggredimur arduiſſimam, cùm nobis ſumimus tanti myſterii naturam explicandam; ſed ne in tanti myſterii profunditate abſorbeamur, Eccleſiæ, ac fidei facem, & Patrum, ac Theologorum præ oculis ſemper habebimus prælucente ſemper Spiritus S. gratia.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit Euchariſtia Sacramentum.

EUchariſtiæ Sacramentum varias ſortitur appellationes juxta varias ejus perfectiones, & circumſtantias inſtitutionis ejus. Et 1. ab Etymologia nominis, quod à græco ſortitum eſt, dicitur *bona gratia*; ſive quia Chriſtum continet, qui eſt gratiarum omnium fons, & theſaurus; ſive quia vitam dat æternam, quæ conſummatio eſt gratiæ; ſive quia eſt omnium Dei beneficiorum ſumma, & cumulus: quippè (1) *memoriam fecit mirabilium ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe*. Dicitur *menſa Domini, convivium, & cœna*, quia in menſa, & inter epulandum, & cœnandum, imò & ad epulandum inſtitutum eſt. Dicitur etiam *ſacrificium, Hoſtia, memoriale paſſionis*, &c. quia Chriſtus ipſe ibi immolatur, & iteratur ſacrificium crucis, in quo fuit altare, & hoſtia; & ſic de aliis titulis, quibus inſignitur, & de quibus patebit in decurſu hujus tractatus. Modò ſufficiat nos hìc *Euchariſtiæ* nomine intelligere ſacramentum, in quo ſub ſpeciebus panis, & vini per conſecrationem ponitur, & continetur verè, & realiter Corpus, & Sanguis Chriſti Domini: & quærimus primo, an tale ſacramentum exiſtat. 2. examinamus exactiorem ejus definitionem.

CONCLUSIO I.

E*Uchariſtia eſt verum novæ legis ſacramentum à cæteris diſtinctum*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd illud, quod ſubeſt rationi nominis priùs poſitæ*, (ſc. Euchariſtiæ) *eſt ſacramentum; quia eſt ſignum veraciter repræſentans ex inſtitutione divina*, &c. & ſemper, & ubique id ſupponit.

Prob. 2. ex Conciliis Nicæno I. & II. & Conſtantinop. VI. & Lateran. ſub Innoc. III. c. *firmiter*, [2] & Florent. in Decreto Eugen. Trident. tota ſſ. 13. &

O 5 idem

(1) Pſ. 118. [2] *d*. 8. *q*. 1. *B*. *n*. 3.
[3] *Can*. 18. *act*. 6.

idem docet perpetua SS. PP. traditio; nec iſtud negant hæretici.

Prob. 3. Nam ibi ſunt omnes veri ſacramenti conditiones. 1. eſt *ſignum ſenſibile*. 2. *Divinitùs inſtitutum*: 3. *Effectum Dei gratuitum efficaciter ſignificans*: & 4. ordinatur ad noſtram ſanctificationem: ergo, &c.

Prob. 4. ratione Scoti. Nam diſtinctio ſacramentorum petitur vel ex parte ſignorum ſenſibilium, vel ex parte ſignificationis, ſeu ſignificati; ſed ex his omnibus differt Euchariſtia ab aliis ſacramentis; ergo, &c. Prob. min. 1. ſigna ſenſibilia ſunt ſpecies panis, & vini, quæ evidens eſt differre ab aliis omnibus, ut diſcurrenti per ſingula patebit. 2. iſtud ſignificat gratiam ſubſiſtentem, & gratiarum fontem, alia gratiam accidentalem; ergo, &c.

Objic. 1. Omne ſacramentum novæ legis ſignificat gratiam per illud dandam ſuſcipienti: ſed hoc non ita ſignificat Euchariſtia; ergo, &c. Prob. min. Nam ſignificat ipſum Chriſtum ut exiſtentem permanenter ſub ſpeciebus; ergo non gratiam ut dandam ſuſcipienti.

Reſp. diſt. min. & conſ. prob. non gratiam accidentalem ut dandam immediatè, con. min. ut gratiam ſubſiſtentem, & ut dantem gratiam accidentalem ſuſcipienti, neg. min. & 2. conſ. Nam in hoc modo ſignificandi gratiam ſubſiſtentem, ſc. Chriſtum, per quam danda eſt gratia accidentalis, conſiſtit ratio ſpecifica, & ſumma excellentia hujus ſacramenti.

Objic. 2. Sacramenta novæ legis cauſant id, quod ſignificant; ſed iſtud non cauſat Corpus, & Sanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini; ergo, &c.

Reſp. neg. min. abſolutè. Nam eo modo cauſant præſentiam illam Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, quo alia cauſant ſuos effectus, ſeu gratiam, nempe moraliter. Iſtud argumentum magis urgeret Thomiſtas, & eos, qui tribuunt ſacramentis cauſalitatem phyſicam.

Objic. 3. Omnia Sacramēta conſtant rebus tanquam materia, & verbis tamquam forma; ſed non ita eſt de Euchariſtia; ergo &c. Prob. min. Nam forma, ſeu verba debent coexiſtere Sacramento: ſed in Euchariſtia non coexiſtunt Sacramento; nam quamdiu profe-

runtur verba, non exiſtit Euchariſtia, ſed tantum poſt eorum prolationem; & perſeverat, cùm nihil dicitur: ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. quæ conſiſtunt in uſu, & cum illo fiunt, & prætereunt, con. quæ non conſiſtunt in uſu, ſed habent eſſe permanens, neg. maj. & diſt. min. non conſtat rebus, & verbis quoad eſſe permanens, conc. quoad fieri, neg. min. Nam Euchariſtia in ſuo fieri conſtat rebus, & verbis conſecrationis, non autem in ſuo eſſe permanenti.

CONCLUSIO II.

Sacramentum Euchariſtiæ rectè deſcribitur, ſignum ſenſibile, & efficax Corporis, & Sanguinis Chriſti realiter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini poſt conſecrationem factam à ſacerdote ſub certis verbis cum debita intentione prolatis, ex inſtitutione divina ſignificantibus corpus illud ſub eis realiter contineri. Ita Doctor [1] in terminis; ſeu quod idem eſt, *Eſt ſacramentum novæ legis ex inſtitutione divina veraciter ſignificans Corpus, & Sanguinem Chriſti Domini realiter contineri ſub ſpeciebus panis, & vini poſt conſecrationem factam a ſacerdote certis verbis cum debita intentione prolatis.*

Prob. quia ſic explicatur tota natura hujus Sacramenti ſecundum verum genus, in quo convenit cum aliis, & ſecundum veram ejus differentiam, per quam ab eis differt; & quidem eam explicat per omnes ejus cauſas; ergo. Prob. ant. percurrendo ſingulas particulas. Dicitur 1. *ſignum ſenſibile, & efficax*; hoc habet locum generis; & in hoc convenit cum omnibus aliis. 2. *Corporis, & Sanguinis*, &c. ponitur loco differentiæ, qua differt ab aliis. 3. *poſt conſecrationem*, quæ eſt cauſa *qua*, ſeu formalis. 4. *factam à ſacerdote*, qui eſt cauſa efficiens miniſterialis. Cætera ponuntur ad pleniorem intelligentiam, & explicationem.

Objic. 1. Hæc definitio non continet rationem verè genericam Sacramenti; ergo non eſt bona pro Sacramento novæ legis. Prob. ant. Omnia Sacramenta novæ legis ſunt ſigna ſenſibilia, & efficacia gratiæ; ſed

O 6

[1] *Ibid. A. n.* 2.

ſed hanc rationem ſigni non exprimit hæc definitio; ergo, &c. Prob. min. dicitur enim *ſignum corporis, & ſanguinis Chriſti*, non autem gratiæ; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & maj. Nam Sacramentum in genere definitur *ſignum gratiæ, vel effectus gratuiti*. Corporis autem, & Sanguinis Chriſti præſentia eſt effectus gratuitus, & ſupernaturalis illius ſigni.

Reſp. 2. neg. ant. & diſt. min. non dicitur ſignum gratiæ accidentalis, ſaltem directè, & immediatè, con. gratiæ ſubſiſtentis, neg. min. & conſ. Nam Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ hìc ſignificari dicuntur per ſignum illud ſenſibile, ſunt gratiæ ſubſiſtentes, & ſubſtantiales.

Inſt. Corpus, & Sanguis Chriſti, quæ hìc importantur in recto, non ſunt ſenſibilia; ergo per illa non rectè definitur hoc Sacramentum.

Reſp. diſt. ant. ſignificantur velut terminus, & ut contentum ſub ſignis ſenſibilibus, con. ut prædicatum eſſentiale Sacramento, neg. ant. nec enim corpus, & ſanguis ſunt conſtitutiva Euchariſtiæ in ratione Sacramenti, ut patebit infrà.

Objic. 2. Signa ſacramentalia debent cauſare ſignificatum; ſed ſpecies panis, & vini non cauſant Corpus, & Sanguinem Chriſti, quæ ſignificant; ergo non ſunt ſigna ſacramentalia; ergo non benè per illa definitur Euchariſtia ut Sacramentum.

Reſp. diſt. maj. in Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu, con. in aliis, quæ habent eſſe permanens, neg. maj. & conſ. nam, ut diximus aliàs, in Sacramentis, quæ conſiſtunt in uſu, ſignum ſenſibile ſignificat efficaciter aliquid per illud fieri; ſed in iſto, quod habet eſſe permanens, ſpecies ſunt ſigna ſenſibilia exiſtentiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti, quæ ſub illis poſita ſunt vi verborum.

Inſt. ergo ratio Sacramenti hujus conſiſtit potiùs in conſecratione; quia per illam efficaciter ſignificantur Corpus, & Sanguis Chriſti.

Reſp. neg. ſubſumpt. & conſ. prob. Nam licèt verba conſecrationis ſignificent, & cauſent moraliter præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub illis ſpeciebus; non tamen illa ſunt de ratione conſtitutiva Euchariſtiæ, ut Sacramentum eſt, ut mox dicemus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quænam ſit ratio eſſentialiter conſtitutiva hujus Sacramenti.

IN Euchariſtia poſſunt hæc conſiderari. 1. Conſecratio panis, & vini, ſeu ſpecierum panis, & vini. 2. Ipſa ſumptio ſacramenti, ſc. manducatio corporis, & potus ſanguinis. 3. Species ipſæ, ſeu accidentia, ſub quibus continentur corpus, & ſanguis præciſe, & in ſe. 5. Verba conſecratoria, quæ videntur habere rationem formæ. 6. Res, ſeu gratia, quam confert ſumentibus. 7. Denique ſingula iſta conſiderari poſſunt ſeorſim, aut ſimul omnia, aut ſaltem plura ſimul; v.g. ſpecies nudæ, & ſeorſim a conſecratione, aut a corpore, & ſanguine ſub eis contento, aut aggregatum ex verbis conſecrativis, & ſpeciebus, & corpore, & ſanguine: & quæſtio eſt, an hæc omnia, vel quænam, aut quodnam eorum pertineat ad conſtitutionem eſſentialem Sacramenti formaliter conſiderati, ut Sacramentum eſt; de quo varia ſunt Theologorum placita.

CONCLUSIO I.

COnſecratio, nec ſumptio, vel ulla actio tranſiens non eſt de ratione conſtitutiva intrinſeca hujus ſacramenti. Eſt contra Lutheranos, & Calviniſtas, qui hoc Sacramentum agnoſcunt in ſolo uſu.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *alia omnia ſacramenta conſiſtunt in uſu, & in fieri, ita quod idem ibi eſt Sacramentum, & perceptio ſacramenti; ſicut baptiſmus eſt perceptio baptiſmi, nec permanet aliquid, quod ſit ſacramentum, ceſſante uſu, vel perceptione*; ſed hoc Sacramentum eſt quoddã permanens etiam ante uſum; ergo non conſiſtit formaliter in uſu, ut eſt comeſtio, vel fieri, ut eſt conſecratio, vel contrectatio manualis, vel benedictio, vel fractio, vel diſtributio, &c.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] definiente hoc Sacramentum eſſe quid permanens, & exiſtere ante ſumptio-

(1) *d.8.q.D.n.6.& H.* [2] *ſeſſ.13.c.4.*

ptionem, & poſt conſecrationem. *Si quis dixerit, peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ ſacramento non eſſe corpus, & ſanguinem D. N. Jeſu Chriſti, ſed tantum in uſu, dum ſumitur*, &c. *anathema ſit*: ergo eſſentia hujus ſacramenti non conſiſtit in ſumptione, vel conſecratione, vel alio actu traſeunte, ſed in re permanenti; alioqui non exiſteret poſt conſecrationem, ſicut nec baptiſmus poſt ablutionem, nec ante ſumptionem.

Prob.3. ſpecialiter quoad 1.par. Sacramentum Euchariſtiæ eſt quid permanens; ſed conſecratio non eſt quid permanens; tranſit enim cum verbis, quæ ſunt forma conſecrationis; ergo nō poteſt ſpectare ad conſtitutionem intrinſecam Euchariſtiæ.

Confirm. Nam Euchariſtia eſt eſſentialiter animæ cibus; conſecratio vero eſt tantum cibi præparatio, ſeu via ad exiſtentiam cibi. Denique eſt actio, per quam conficitur Euchariſtia; ergo non eſt pars ejus eſſentialis.

Prob.4. eadem pars. Nam cauſa efficiens rei non eſt de eſſentia rei, quam efficit; ſed conſecratio, ſeu verba conſecrationis ſunt cauſa efficiens hujus Sacramenti,ergo, &c. Prob.min. ex Ambroſio, [1] *Sermo Chriſti hoc conficit ſacramentum*, &c.

Prob.2.p.ex Script.Nam Chriſti corpus vere exiſtebat ſub ſpeciebus panis in manibus Chriſti, & ſanguis in calice, priuſquam ſumeretur ab Apoſtolis: nam manibus tenebat panem, & calicem, & conſecravit utrumque, antequam daret Apoſtolis ad manducandum, & bibendum. Nec enim aſpiciendum eſt, (ut volunt hæretici) ad ordinem narrationis Euangelicæ, vel Apoſtolicæ, [2] in qua prius fit mentio de acceptione, & ſumptione, quam de verbis conſecratoriis; ſed ad naturalem ordinem illarum rerum, & actionum; & hic ordo eſt, ut prius acceperit panem, & calicem, & conſecrarit, quam fregerit, & diſtribuerit; alioqui conſecraſſet in ore ſingulorum, & ſimul cum ipſo actu manducationis, & potationis; quod prorſus eſt ridiculum cogitare.

Confir.hoc. Nam prius eſt exiſtere carnem Chriſti, & ſanguinem, quam ſumantur: *Panis, quem ego dabo*,

[1] *tract. de ſacram. c.* 2.
[2] *Luc.* 22. *Marc.*14. 1. *Corinth.* 11.

bo, caro mea eſt. Nec enim fit caro Chriſti per manducationem, ſed per verba Chriſti; exiſtentia eſt de præſenti, & ſumptio eſt de futuro. Et ſi panis fuiſſet in ore Apoſtolorum, quando conſecravit, & illum convertit in ſuum corpus, non dixiſſet proprie, *hoc eſt*, ſed *illud eſt corpus meum*; non enim vere tunc erat præſens Chriſto dicenti, *hoc eſt*, ſed potius Apoſtolis, & habentibus illam in ore.

Prob. 2. Tunc verum eſt Sacramentum Euchariſtiæ, quando vere dici poteſt adeſſe Corpus Chriſti; ſed ſtatim poſt verba conſecrationis, & ante ſumptionem vere dici poteſt adeſſe Corpus Chriſti; ergo, &c.

Prob. min. Si panis non fuiſſet Corpus Chriſti ante ſumptionem, & quando ipſum in ſuis manibus erat, non debuiſſet dicere: *Hoc eſt*, ſed potius, *Hoc erit corpus meum*, ſc. quando *manducabitis*, *& bibetis*; ergo, &c.

Confirm. Nam per adverſarios panis non fit *ſacramentalis*, ut ipſi loquuntur, per manducantem, ſed per miniſtrum; ſed miniſter hoc facit proferendo verba ſacramentalia, *Hoc eſt corpus meum* ante ſumptionem; ergo, &c.

Prob. denique ex perpetuo uſu, & traditione totius Eccleſiæ proponentis Euchariſtiam populis adorandam, & ſumendam ut verum corpus Chriſti ex ipſo inſtanti prolationis verborum per ſacerdotem, & deferentis illud ad abſentes; ergo, &c.

Objic. 2. Si Sacramentum hoc eſſet quid permanens, Chriſtus juſſiſſet Apoſtolis aliquas particulas ex eo ſervari ſive pro abſentibus, ſive pro ipſorummet uſu, & commoditate: ſed hoc non permiſit; ergo, &c. Prob. min. Nam inquit Origenes, (1) *diſtulit*, *ſtatim dedit panem*, *quem diſcipulis dabat* ... *non diſtulit*, *nec ſervari juſſit in craſtinum*; ergo &c.

Reſp. neg. conſeq. Nam aliud eſt, quod Chriſtus non juſſerit tunc ſervari particulas, aliud, quod id prohibuerit, & non permiſerit pro aliis temporibus: Illud pro tunc non fuit neceſſarium, vel utile, bene vero in poſterum, & hoc reliquit diſpoſitioni Eccleſiæ ſuæ. Deinde licet non poſſet diu ſervari in ſuo eſſe, adhuc non ſequeretur, quin pro aliquo tempore non haberet eſſe permanens, & ſic non faveret hæreticis.

Objic.

(1) 7. *Levit. hom.* 3.

Objic. 2. De eſſentia Sacramenti eſt, ut efficiat, quod ſignificat; ſed ſola verba conſecrationis efficiunt, quod ſignificant in Euchariſtia, ſc. præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti; ergo in eis conſiſtit eſſentia Euchariſtiæ.

Reſpon. diſt. maj. Sacramenti conſiſtentis in uſu, ſeu cujus totum eſſe eſt fieri, conc. Sacramenti permanentis, neg. maj. & conſeq. Nam Euchariſtia habet eſſe permanens, & durat ceſſante actione illius effectiva.

Reſpond. 2. diſt. conſeq. eſſentia quoad fieri, conc. quoad eſſe intrinſecum, neg. conſeq. Nam conſecratio ſpectat ad fieri Sacramenti Euchariſtiæ, ut cauſa ejus efficiens, non vero ad eſſe illius intrinſecum, & formale.

Objic. 3. ex Concilio Florentino omnia Sacramenta novæ legis perficiuntur rebus, ut materia, & verbis tamquam forma; ſed in Euchariſtia non ſunt alia verba, præter verba conſecrationis; ergo conſecratio eſt forma hujus ſacramenti; ergo & pars ejus eſſentialis.

Reſpond. diſt. major. quæ conſiſtunt in uſu, conc. quæ habent eſſe permanens, neg. maj. & maxime, quia Euchariſtiam ibi conſiderat in ſuo fieri, non in ſuo facto eſſe; ideo dicit formam ejus eſſe verba miniſtri, ſcilicet formam conſecrationis, non autem ſacramenti, ut loquitur Doctor. Revera Concilium non dicit, quod *conſiſtunt*, ſed quod *perficiuntur*: alioquin miniſter, qui eſt unus ex tribus illis, ingrederetur conſtitutionem Sacramentorum; quod non ſomniavit Concilium.

Inſt. Hoc Sacramentum debet conſtare aliqua forma; ſed nihil aliud dici poteſt forma præter verba conſecrationis, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. aliqua forma perficiente active, conc. perficiente formaliter, & intrinſece, neg. maj. & conſ. Nam forma conſtituens eſt relatio ſigni ad ſignificatum; & hæc fundatur in ſpeciebus, & terminatur ad Corpus Chriſti.

CON-

CONCLUSIO II.

Corpus, & Sanguis Chriſti non ſunt Sacramentum Euchariſtiæ, nec partes ejus intrinſecæ cum ſpeciebus.

Prob. 1. ex Scoto cit. (1) Nam in definitione Euchariſtiæ ponit Corpus, & Sanguinem, non ut Sacramentum, nec ſignum, ſed ut ſignificatum: non enim dicit, quod eſt *Corpus, & Sanguis Chriſti*, ſcil. in recto, & ut pars eſſentialis, vel totum eſſentiale, & conſtitutivum, ſed *ſacramentum Corporis Chriſti veraciter contenti ſub illis ſpeciebus ... & ſignans corpus Chriſti, & ſanguinem ſub illis ſpeciebus contineri*; ergo ex Scoto, Corpus Chriſti non eſt neque totum, neque pars eſſentialis ſacramenti.

Prob. 2. quia ſacramentum eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile rei inſenſibilis; ſed Corpus, & Sanguis Chriſti in Euchariſtia non ſunt quid ſenſibile; ergo non ſunt Sacramentum, neque partes ejus. Maj. patet ex dictis de ſacramentis in communi. Min. etiam eſt evidens.

Prob. 3. Corpus Chriſti eſt ſignificatum latens ſub ſpeciebus; ſed ſignificatum in ſacramentis non eſt ſacramentum, nec pars ejus; v. gr. ablutio ſupernaturalis animæ, & remiſſio peccati originalis, quæ ſignificatur, & cauſatur per ablutionem externam in baptiſmo, non eſt baptiſmus, nec pars ejus eſſentialis, ſed tantum effectus; ergo, &c.

Objic. 1. Ex Patribus Euchariſtia definitur Corpus, & Sanguis Chriſti; ergo cenſent in his conſiſtere totum Sacramentum, aut ſaltem partem ejus cum ſpeciebus.

Reſp. diſt. ant. Corpus Chriſti, velut contentum, & ſignificatum reale, conc. velut Sacramentum formaliter, neg. ant. nec enim de hoc cogitant.

Inſt. Corpus, & Sanguis Chriſti conſtituunt hoc ſacrificium; ergo & Sacramentum.

Reſp. neg. conſeq. Nam ut ſit ſacrificium, ſufficit, quod Corpus ibi Chriſti offeratur Deo in memoriam, & imitationem ſacrificii crucis; ut autem ſit Sacramentum, debet eſſe quid ſenſibile repræſentans aliquid

(1) *ibid. A.*

quid gratuitum inviſibile, non autem ipſum ſignificatum; quale eſt hic Corpus Chriſti.

Inſt. 2. ex SS.Canonibus, [1] & Patribus dicitur, *ſacrificium Eccleſiæ duobus conſtare, ſcil. viſibili elementorum ſpecie*, & *inviſibili D. Jeſu carne*. Et Damaſcenus, [2] *Quia compoſiti ſumus ex duplici natura, datus eſt nobis cibus, qui eſt Dominus noſter; & ſub ſpecie panis nobis proponitur cibus inviſibilis ſub ſpeciebus viſibilibus*. Idem docet Irenæus: [3] *Euchariſtia duabus rebus conſtat, terrena, & cœleſti*; & ſic de aliis; ergo ſaltem cum ſpeciebus Corpus, & Sanguis Chriſti ſunt partes conſtituentes hoc Sacramentum.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut dicebam, Patres ſic loquentes nihil aliud intendunt præter præſentiam realem carnis Chriſti ſub ſpeciebus viſibilibus; nec cogitant de partibus conſtitutivis in ratione Sacramenti, & in rigore ſcholaſtico.

Objic. 2. In eo conſiſtit hoc Sacramentum, quod eſt inſtitutum in cibum ſpiritualem; ſed tale eſt Corpus Chriſti in Euchariſtia; ergo conſiſtit in Corpore Chriſti. Prob. min. Nam ſpecies panis non ſunt cibus ſpiritualis; ergo nec Sacramentum, ſaltem directe, & primario: nam *caro mea vere eſt cibus*, ait Chriſtus.

Reſp. neg. maj. Nam in hoc conſiſtit Sacramentum iſtud formaliter, non quod eſt ipſe cibus ſpiritualis, ſed quod ſignificat viſibiliter cibum illum inviſibilem; & tale non eſt Corpus Chriſti.

Objic. 3. Sacramentum formaliter eſt ſignum efficax gratiæ; ſed caro Chriſti eſt ſignum efficax gratiæ nutritivæ; ergo in carne illa eſt tota, aut ſaltem principalis ratio Sacramenti.

Reſp. diſt. maj. eſt ſignum ſenſibile, conc. ſignum inſenſibile, neg. maj. Caro autem Chriſti eſt ſignum inviſibile gratiæ; & ſolæ ſpecies ſunt ſignum viſibile, & immediatum carnis Chriſti, qui eſt gratia ſubſiſtens, & mediatum gratiæ ſanctificantis, & nutritivæ ſpiritualiter.

Objic. 4. Corpus Chriſti cum ſpeciebus faciunt unum Sacramentum; ergo ſaltem partialiter, & ſimul cum ſpeciebus ſunt partes Euchariſtiæ.

Reſp.

[1] *c. hoc. d. 2. de conſ.* [2] *lib. 3. c. 33.*
[3] *lib. 4. c. 33.*

Reſp. diſt. ant. unum unitate aggregationis, vel integritatis, conc. unitate compoſitionis eſſentialis, neg. ant. Species panis cum corpore Chriſti ſunt unum, ſicut continens, & contentum, ſignum, & ſignificatum.

Objic. 5. Hoc Sacramentum adoratur cultu latriæ; ſed non poſſet ſic adorari, niſi includeret Corpus Chriſti ut partem eſſentialem; ergo, &c. Prob. min. Nam ſpecies ſeorſim, & per ſe non ſunt ita colendæ, ſunt puræ creaturæ inſenſitivæ.

Reſp. diſt. maj. adoratur ratione corporis ut contenti ſub ſpeciebus, & in hoc Sacramento, conc. ſub præciſa, & formali ratione Sacramenti, neg. maj. & conſ. quia hic loquimur de Euchariſtia præciſe, & formaliter, ut Sacramentum eſt.

Reſp. 2. diſt. min. non poſſet ſic adorari abſolute, conc. relative, neg. min. Nam ſicut cruces, & imagines Chriſti adoramus relative, licet non faciant unum compoſitum cum Chriſto, ſed propter contactum, aut repræſentationem, & relativè ad Chriſtum; ita eſt de his ſpeciebus in Sacramento.

CONCLUSIO III.

HOc Sacramentum eſſentialiter conſiſtit in ſpeciebus panis, & vini, prout connotant Chriſti Corpus, & Sanguinem ſub illis contentum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod ipſæ ſpecies viſibiles ſunt materia, ideſt proximum fundamentum relationis ſpecificationis, & ipſa ſignificatio eſt ibi formale, ſicut in aliis ſacramentis.*

Prob. 2. ex modo loquendi Eccleſiæ, quæ abſolute loquitur de ſpeciebus ut Sacramento; ut cum dicit illud frangi, diſtribui, non autem ſignificatum ejus, id eſt corpus. *Fracto demum ſacramento .... memento tantum eſſe ſub fragmento*, &c. Et *Nulla rei* (ſc. corporis) *fit ſciſſura, ſigni tantum fit fractura*, &c. Item, cum dicunt Concilia, in hoc Sacramento contineri Corpus, & Sanguinem Chriſti: nam dum ſic loquuntur, denotant Sacramentum, & Corpus Chriſti diſtingui, ut *continens*, & *contentum*; & *continens* vocant Sacramentum; ſed ſpecies ſe habent ut *continens*, & Cor-

[1] *ibid. G. 8.*

& Corpus Chriſti ut *contentum*; ergo ratio Sacramenti ſalvatur in ſolis ſpeciebus, prout continent Corpus Chriſti. Prob. ant. *In almo Euchariſtiæ ſacramento poſt conſecrationem Dominum Jeſum Chriſtum realiter contineri*. Item, quod hoc Sacramentum cum aliis convenit, quod ſit *inviſibilis gratiæ viſibilis forma*, ſeu ſignum (inquit Conc. Trid. [1]) Et *cujus Corpus, & Sanguis in ſacramento altaris continetur*, ait Lateran.

Prob.3. quia in his ſpeciebus poſt conſecrationem habetur quidquid requiritur ad eſſentiam Sacramenti; ſcil. quod ſit *ſignum ſenſibile ex inſtitutione divina ſignificans inviſibilem gratiam*, ſive ſubſiſtentem, & ſubſtantialem, ſc. Corpus, & Sanguinem Chriſti immediate; ergo tota eſſentia Sacramenti in Euchariſtia eſt in ſpeciebus conſecratis.

Prob.2.p. Omne relativum, aut ſignum, aut continens connotat ſuum terminum, aut ſignificatum, aut contentum, à quo ſpecificatur; ſed Euchariſtia eſt Sacramentum, ſeu ſignum ſignificans, & continens ſub ſpeciebus conſecratis Corpus, & Sanguinem Chriſti; ergo ſpecies illæ non conſtituunt hoc Sacramentum, niſi prout connotant Corpus, & Sanguinem Chriſti.

Objic.2. Sacramentum hoc cauſat gratiam per modum cibi, & potus; ſed hoc non competit ſpeciebus, nequidem directe, ſed potius id convenit carni, & ſanguini; ergo non ſpecies, ſed caro, & ſanguis Chriſti hoc conſtituunt Sacramentum. Prob.min. Nam Chriſtus [2] non dicit, *panis*, ſed *caro mea vere eſt cibus*; non dicit *vinum*, ſed *ſanguis meus vere eſt potus*. Et, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*.

Reſp.diſt.mai per modum cibi, & potus ſenſibilis, conc.cibi, & potus inſenſibilis, neg. maj. & ſimiliter diſt.min.& ant.non competit ſpeciebus inſenſibiliter, conc. ſenſibiliter, neg. min. & ant. Nam Chriſtus ibi aſſerit carnem ſuam eſſe vere ſub ſpeciebus panis, & vini, ſed inſenſibiliter; ideo dicebat, *Panis, quem ego dabo* (ſc.ſenſibiliter, & quaſi panem) *caro mea eſt* ſub illis accidentibus panis latens; & ideo hæ ſpecies ſunt vere Sacramentum.

Objic. 2. Species per ſe non ſignificant nec Corpus Chri-

[1] c.1.& 8. [2] *Jo.6.*

Chriſti, nec gratiam; non enim excitant ad eorum cognitionem, ſed hoc habent a verbis conſecrationis; ergo ſpecies ſolæ, & ſine verbis conſecrativis non faciunt hoc ſacramentum.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam ſuppoſita conſecratione, quæ eſt cauſa extrinſeca, & efficiens hujus ſacramenti, vere ſignificant nobis immediate Corpus, & Sanguinem Chriſti, & mediate gratiam quam confert digne ſumentibus.

Inſt. Neutrum cauſant; ergo neutrum ſignificant efficaciter: nam id requiritur in ſacramentis noſtris. Prob.ant. Corpus Chriſti non fit præſens ibi, niſi a ſolo Deo; & gratia cauſatur a ſolo corpore Chriſti, ergo ſpecies non cauſant nec corpus, nec gratiam.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. id requiritur in ſacramentis conſiſtentibus in uſu, conc. in permanentibus, neg. ant. Quæ conſiſtunt in uſu, ſignificant practice aliquid fieri per ipſa; ſed quæ habent eſſe permanens (ut Euchariſtia) ſignificant tantum aliquid ſpirituale ſibi ſubeſſe; ſic ſpecies conſecratæ ſignificant ſibi ineſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti ex inſtitutione divina.

Objic. 1.cont.2.par. ex Patribus. Caro, & Sanguis importantur potius in recto, quam ſpecies; ergo in hoc ſacramento ſpecies connotantur, non vero Corpus, & Sanguis; quia ex ſola fide hoc innoteſcit. Prob. ant. tum ex Scriptura citata: *Caro mea vere eſt cibus*: tum ex ipſa conſecratione, *Hoc eſt corpus meum*. Et Theodoretus dicit, *Euchariſtiam eſſe carnem Salvatoris*. Et Juſtinus, quod *alimentum hoc appellatur Euchariſtia*; ergo, &c.

Reſp. neg. 1.ant.& 2.conſ. Nam in his, & ſimilibus (ut dictum eſt) Scriptura, & Patres reſpiciunt ad ſignificatum, & contentum ſub ſpeciebus, non ad eſſentiam ſacramenti formaliter, & in rigore ſcholaſtico, ut de ipſo hic loquimur.

Inſt. 1. Illud directe importatur, & eſt Sacramentum, quod directe fit per conſecrationem; ſed ſolum Corpus Chriſti directe hic ponitur per conſecrationem, non autem ſpecies; ergo, &c. Prob.min.non enim dicimus: *Hoc eſt Sacramentum*, aut *ſpecies corporis mei*, ſed *corpus meum*, ſc. in recto, & nihil de ſpeciebus.

Reſp.

Reſp. neg. min. & ant. Nam pronomen demonſtrativum *hoc* ſignificat ſpecies, quæ per ea verba conſecrantur, & fiunt Corpus Chriſti.

Inſt. 2 Ex Ambroſio Sacramentum eſt id, quod fit per verba Chriſti; ſed per verba Chriſti fit Corpus Chriſti, non autem ſpecies; ergo Corpus Chriſti eſt directe hoc Sacramentum, non autem ſpecies.

Reſp. diſt. maj. quod fit in ratione ſacramenti formaliter, conc. quod fit ſub ſacramento præciſe, & directe, neg. maj. & min. Nam ſpecies fiunt in ratione Sacramenti per verba Chriſti, quatenus fiunt continentes, & ſignificantes viſibiliter Corpus inviſibile Chriſti: in hoc enim conſiſtit ratio vera, & formalis Sacramenti.

Obiic. 2. Illud eſt directe Sacramentum Euchariſtiæ, quod paſcit ſpiritualiter animas; ſed hoc per ſe, & directe facit caro Chriſti; ergo illa eſt directe, & per ſe hoc Sacramentum. Prob. min. *Caro mea vere eſt cibus*; ſed id non dicit de pane vel ſpeciebus panis; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. abſolute. Nam Sacramentum non eſt, quod paſcit, ſed quod ſignificat rem, ſeu cibum, qui paſcit animam; & id præſtant ſpecies, quæ continent, & ſignificant ſenſibiliter illam carnem, qua paſcimur.

Colligis ergo ex Innoc. III. [1] de celebrat. Miſſ. in Euchariſtia diſtinguenda eſſe 1. formam viſibilem, quæ ſunt ſpecies panis. 2. veritatem Carnis, & Sanguinis. 3. virtutem unitatis, & charitatis. 1. eſt ſacramentum, & non res, ſc. inviſibilis gratiæ ſignum nude, & præciſe ſpectatum. 2. ſignum, ſeu Sacramentum, & res Sacramenti ſub diverſo reſpectu, eſt res contenta, & ſignificata per ſpecies, quæ ſunt Sacramentum ſenſibile, eſt autem Sacramentum aliquo modo reſpectu gratiæ habitualis, quam caro Chriſti cauſat immediate, ſed ſpiritualiter. 3. ſc. gratia habitualis eſt res gemini Sacramenti, ſc. ſpecierum, & corporis. Idem ſic proponit Hugo Victor [2] *Tria ibi diſcreta proponuntur. 1. ſpecies viſibilis* (panis, & vini) *quæ viſibiliter cernitur. 2. veritas Corporis, & Sanguinis, quæ ſub viſibili ſpecie inviſibiliter creditur. 3. virtus gratiæ ſpiritualis, quæ cum Corpore, & Sanguine inv-*

[1] *cap. cum Martha.* [2] *l. 2. ſacram. p. 8. c. 7.*

inviſibiliter,& ſpiritualiter percipitur: ubi vides, quod in ſpeciebus eſt tota ratio Sacramenti, ſeu ſigni viſibilis rerum inviſibilium.

Colligis 2. quod verba conſecratoria non ſe habent hic ut forma intrinſeca, ſeu conſtitutiva, ſed extrinſeca, & cauſa formalis efficiens conſecrationem. Et denique gratia ipſa habitualis, quam ſumentibus confert, habet rationem effectus, non autem partis intrinſecæ hujus Sacramenti.

Colligis 3. quod uſus, ſeu ſumptio, ſeu communio non eſt etiam pars ejuſdem Sacramenti, ſed velut conditio, ſeu approximatio; quomodo ſe habet manducatio in phyſica, & naturali nutritione.

Colligis 4. ex Scoto, [1] quanta ſit excellentia hujus Sacramenti præ cæteris. Nam 1. ſuperat cætera in ſua veracitate; nam cætera omnia ſæpe carent effectu; nec cauſant ſemper id, quod ſignificant defectu diſpoſitionis in ſuſcipiente; iſtud vero ſemper cauſat præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus idoneis, ita ut non poſſit impediri. 2. alia non continent realiter gratiam, quam ſignificant, & cauſant, ſed virtualiter, & moraliter; iſtud vero continet realiter id, quod ſignificat. 3. alia ſignificant gratiam accidentalem, & inhærentem; iſtud continet gratiam ſubſiſtentem, & ſubſtantialem, & fontem omnium gratiarum, ſc. Chriſtum; & deinde cauſat accidentalem ſimilem aliis. 4. iſtud habet eſſe permanens; alia non habent niſi eſſe fluens, & tranſeunt cum ipſis actibus, quibus fiunt; v. g. Baptiſmus tranſit cum ablutione, & verbis: Confirmatio cum unctione, & verbi Epiſcopi. Alias præcellentias notant alii plurimas, & notabiles; nobis iſtæ ſufficiant.

QUÆSTIO III.

De unitate hujus Sacramenti, an ſit in ſe unum, an multiplex.

CErtum eſt 1. hoc Sacramentum conſtare ex ſpeciebus panis, & vini, quæ valde differunt; & illas conſecrari diſtinctis formis, & actibus; & illas ſeorſim ſumptas cauſare gratiam ſacramentalem, & directe

[1] *ibid. D. & in Report. ibid.*

recte ſignificare diverſa, ſc. Corpus ſub ſpeciebus panis, & Sanguinem ſub ſpeciebus vini, licet forte per concomitantiam ambo ſint ſub ſingulis, de quo alias, & ſuo loco. Propter has, & alias rationes videntur ibi eſſe duo Sacramenta.

Certum eſt 2. utramque ſpeciem, & partem unum convivium ſpirituale facere, ſaltem unitate integritatis: nec enim integrum eſſet in cibo ſine potu, nec in potu ſine cibo. Item eundem, unumque Chriſtum continent; & in unum finem inſtituta eſt Euchariſtia, & convivium; ſc. ut fideles in unum corpus myſticum adunentur, juxta illud Apoſtoli, [1] *Unus panis, unum corpus multi ſumus omnes, qui de uno pane, & de uno calice participamus*: & propter has, & alias rationes videtur eſſe unum Sacramentum, & non duo. De hac igitur unitate, aut multiplicitate hic diſputamus; an ſcilicet ſit vere unum Sacramentum, & qua unitate.

CONCLUSIO I.

Sacramentum Euchariſtiæ in ſpeciebus panis, & vini eſt abſolute, & ſimpliciter unum unitate ſpecifica, ſed morali, & integritatis, non indiviſibilitatis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui, poſtquam dixit, corpus, prout dicit compoſitum ex ſolis partibus animatis, non comprehendere ſanguinem, quem non putat animatum, ſaltem in ſe immediate, bene vero prout includit omnia illa, quæ pertinent ad totum corpus organicum, etiam humores, & ſpiritus: nam in hoc ſenſu *Sanguis, & Corpus conſtituunt unum ſignatum totale, quod eſt corpus ſecundo modo, & ita ſignum proprium corporis primo modo, & ſignum proprium ſanguinis poſſunt eſſe unum ſignum* (ſeu Sacramentum) *unitate integritatis, non autem indiviſibilitatis. Congruit autem hoc ſacramentum habere talem unitatem integritatis, & non indiviſibilitatis; quia eſt ad completam nutritionem animæ, quæ ſignificat completam nutritionem corporis; completa autem nutritio fit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indiviſibilitatis; non enim nutrit ſufficienter cibus ſine potu, nec*

e con-

[1] 1. *Cor.* 10. [2] *Ibid. C. n.* 4.

è converſo. Et infrà dicit, [1] quòd ſpecies panis, & vini *hæc ambo ſunt unum ſignum unius rei, ut corporis Chriſti*; ergo &c.

Prob. 2. ex Catechiſmo Concil. *Non plura, ſed unum tantùm Sacramentum Eccleſiæ auctoritate ducti confitemur*. Item ex Concil. Trid. (2) quod non numerat niſi ſeptem Sacramenta, quorum unum eſt Euchariſtia: & maximè quia docet, (3) *totum Chriſtum ſub unaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus contineri*: nam ex hac doctrina ſequitur, quòd hoc Sacramentum ſub ambabus, & ſub ſingulis ſpeciebus eſt unum unitate ſignificati, nec alia eſt diverſitas, quàm externa, & quoad ſpecies.

Prob. 3. Nam ambæ ſpecies, & caro, & ſanguis Chriſti ſub eis contenta, ex inſtitutione divina, habent eundem finem, & effectum, ſc. perfectam, & integram animæ nutritionem, & integrant unum, idemque convivium, ut dicebamus ex Scoto, & unum, & idem Chriſti corpus integrum, & vivens; ergo Euchariſtia ſub utraque ſpecie ſimul eſt unum integrum ſacramentum. Prob. conſ. Sacramenta ſunt ſigna ad placitum divinum; ergo ſi Deo placuit, has ſpecies quantumcumque diverſas ſignificare idem corpus, & eandem gratiam, non faciunt niſi unum, & idem Sacramentum, quamvis diviſibile in illas duas partes.

Confir. Nam caro, & ſanguis per illas ſpecies diverſas ſignificata habent inter ſe unitatem integritatis; integrant, & faciunt unum corpus unius ſpeciei, & quidem infimæ: ergo & ipſum Sacramentum inſtitutum ad illud ſignificandum: nam unitas ſigni petitur ab unitate ſignificati.

Dixi autem 1. *unitate morali, & pendente à voluntate divina*, non autem unitate phyſica, aut metaphyſica: nam certum eſt, neutrum reperiri neq; in hoc, neq; in aliis Sacramẽtis: quippe omnia cõſtãt rebus diverſorum prędicamentorum, ut iſtud ſpeciebus panis, & vini, quæ ſunt diverſorum generum tam phyſicè, quàm metaphyſicè: tota ergo unitas eſt moralis.

Dixi 3. *unitate integritatis*: nam certum etiam eſt, neutram partem habere rationem materiæ, aut formæ reſpectu alterius, ut faciant unum per ſe eſſen-

[1] *Ibid.H.n.*1. [2] *Seſſ.*7.*can.*1. *& Seſſ.*13.
[3] *q.*3. *& can.*3.

tiale, ſed hoc Sacramentum eſſe integraliter duplex, & conſtans duabus partibus integrantibus, ſc. ſpeciebus panis, & vini, quæ ab invicem ſunt ſeparabiles, ita ut poſſit exiſtere Sacramentum ſub ſpecie panis ſolius, ſicut ſub ſpecie vini ſeorſim, & ſumi alterutro modo, & cum eodem effectu, ut videbimus.

Objic. 1. ex modo loquendi Eccleſiæ, & Patrum Euchariſtia appellatur pluraliter; nam dicitur in Miſſa, in qua ſumitur ſub utraque ſpecie; *Purificent nos Sacramenta, quæ ſumpſimus*. Et, *Pura, & ſacra refecerunt Sacramenta*: Et de facto poteſt ſeorſim ſub utraque ſumi ex Trident. [1] ergo Euchariſtia non eſt unum Sacramentum ſimpliciter unitate ſpecifica.

Reſp. neg. conſ. Nam eadem Eccleſia ſæpiùs etiam appellat in ſingulari, *Hoc tuum Sacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam*, &c. ſc. quando loquitur in plurali, conſiderat Euchariſtiam per partes ſeorſim: quando loquitur in ſingulari, reſpicit illud, ut unum totale integrale.

Inſt. Ergo qui communicant ſub unica ſpecie, non ſumerent integrum Sacramentum; nec reciperent tantã gratiam, quantam qui ſub utraq; ſpecie, & ſic fieret injuria laicis, quibus non datur niſi ſub ſpecie panis.

Reſp. diſt. ſequelam, non ſumerent integrum materialiter, & quoad ſignum, con. quoad ſignificatum, & formaliter, neg. ſeq. Nam, ut dicebamus ex Concilio Tridentino, *tantumdem continetur ſub alterutra ſpecie, atque ſub utraque*, ſc. totus, & integer Chriſtus, & per conſequens tantam gratiam operatur ſub unica, quantam ſub utraque; quia ubique eſt idem Chriſtus, licèt non eodem modo.

Inſt. Ergo tam eſſet integrum Sacramentum ſub unica ſpecie, quàm ſub duabus; ſed conſ. eſt contra nos; ergo nulla reſponſio.

Reſp. neg. abſolutè ſubſ. Nam integritas non petitur propriè ex parte ſignificati, quod ibi latet, & ponitur per concomitantiam, ſed principaliter ex parte ſigni, & ſignificati, quod ponitur ſub una ſpecie directè, & immediatè; corpus autem ponitur directè ſub ſpecie panis, & ſanguis per concomitantiam; & viciſſim ſanguis ſub ſpecie vini ponitur directè, & corpus per concomitantiam.

Objic.

[1] *Seſſ.* 13. c. 3.

Objic. 2. Ubi ſunt diverſæ materiæ, & diverſæ formæ, ibi ſunt diverſa ſacramenta ſpecificè, & eſſentialiter; ſed in Euchariſtia ſunt diverſæ materiæ, & formæ: ergo &c. Prob. min. materiæ ſunt panis, & vinum, ſeu ſpecies panis, & vini; & formæ ſunt; *hoc eſt corpus*, & *hic eſt calix ſanguinis*; ſed hæc diverſiſſima ſunt; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. diverſæ materiæ, & formæ totales, & eſſentiales, conc. partiales, & integrantes, neg. maj. & conſ. Nam ſicut ex materia oſſis, & carnis, & ſanguinis, & ſpirituum, quæ differunt ſpecie, integratur corpus humanum, quod eſt unius ſpeciei infimæ compoſitum phyſicum: ita ex ſpeciebus panis, & vini fit unum morale compoſitum integrale, ſeu ſacramentum ex inſtitutione divina. Imò & in naturalibus etiam idem ſpecie prandium coaleſcit ex diverſis ſpecie cibis, & potibus.

Objic. 3. Idem ſacramentum Euchariſtiæ prædicatur eſſentialiter, & in *quod quid eſt* de ſpeciebus vini, & panis etiam ſeorſim; ergo ſunt duo ſacramenta ſpecie diverſa ſub eodem genere.

Reſp. neg. ant. Nam illa prædicatio non eſt propriè generis de ſpeciebus, ſed totius integralis de partibus.

Inſt. In utroque ſeorſim ſalvatur tota eſſentia ſacramenti; ergo & tota ratio generis. Prob. ant. ex Trid. (1) dicente, *ſub altera tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, & verum ſacramentum ſumi*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. & conſ. 2. ſacramenti materialiter, & implicitè, con. formaliter, & explicitè, neg. ant. & conſ. Nam ſub ſpecie panis ſalvatur tota ratio ſacramenti totalitate ſignificati potiùs, quàm ſigni; quia explicitè ſignificatur caro Chriſti, & implicitè, ac concomitanter ſanguis, & viciſſim; & hoc ſenſu rectè docet Concilium ſalvari in utraque ſpecie veram rationem ſacramenti. Non dicit *totum*, ſed *verum ſacramentum*; dicit *totum Chriſtum*, & *verum ſacramentum*; quia veritas, & totalitas differunt.

(1) *Ibid. c. 1.*

CONCLUSIO II.

Unitas Euchariſtiæ propriè ſumitur ex unitate ſignificati, ſeu rei contentæ, quæ eſt Chriſtus Dominus; & aliquo modo ex unitate finis, quæ eſt refectio ſpiritualis animæ noſtræ.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Ambo ſunt ſignum unius rei, ut corpus Chriſti, & quia eſt ad completam nutritionem animæ, quæ ſignificatur per completam nutritionem corporis*; ergo ex utroque capite petitur unitas, ſed magis propriè ex unitate ſignificati, quia illud eſt magis propriè unum.

Prob. 1. p. quia unitas formalis ſigni petitur ex unitate relationis, quam habet ad ſignificatum, & hæc relatio plurificatur, vel ſingularizatur ex unitate, vel pluralitate terminorum, quæ ſunt ſignificata; ſed ſignificatum ſacramenti Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, etiam ſeorſim, eſt idem Chriſtus: ergo hinc magis propriè ſumitur unitas Euchariſtiæ, ut ſacramentum eſt.

Prob. 2. Primarium, & principale ſignificatum ſacramenti hujus eſt corpus Chriſti; ergo primariam, & principalem unitatem habet ab illo Prob.ant. Nam ut ſacramentum ſignificat corpus Chriſti immediatè ut exiſtens in ſpeciebus; & in illis ponitur directè per verba conſecrationis, & gratia non ſignificatur niſi indirectè, quatenus illa cauſatur à corpore,& ſanguine mediante ſumptione illorum.

Prob. 2. p. Certum eſt, quòd ex inſtitutione divina Chriſtus in hoc ſacramento ponitur ut cibus, & potus; & ut mediante ſumptione illius cibi, & potus anima nutriatur ſpiritualiter in vitam æternam; ergo illa nutritio habet hìc rationem finis, & hic finis eſt unus; ergo ab hoc fine ſacramentum habet unitatem aliquam, ſed minùs principalem; quia hic effectus pendet à ſumptione ſacramenti; & ſicut ante ſumptionem, & independenter ab illa ſacramentum hoc habet totum ſuum eſſe in ratione ſacramenti, ita & ſuam primariam unitatem.

Objic. 2. Unitas ſacramenti ſumitur ex re, quam directè ſignificat, non ex connotato; ſed per nos corpus Chriſti non ſignificatur directè, ſed conno-

tan-

tanter in hoc ſacramento; ergo unitas ejus non ſumitur propriè ex corpore Chriſti. Prob. maj. Unitas ſigni primò ſumitur à ſuo primario ſignificato; ſed illud ſignificatum eſt convivium animæ, ſeu refectio ſpiritualis; ergo.

Reſp. neg. min. Non enim dicimus, quòd ſpecies, ſeu ſacramentum indirectè, & connotanter ſignificent corpus Chriſti; ſed quòd illis primariò conveniat ratio ſacramenti, ſeu ſigni ſenſibilis corporis Chriſti, quod eſt res, & ſignificatum primarium. Et hinc patet falſitas 2. min. Nam ut ſignificet, & cauſet nutritionem, debet ſumi, ſeu manducari: *Qui manducat meam carnem .... habet vitam æternam*: ante manducationem exiſtit totum ſacramentum.

Objic.2. Majorem habet unitatem ex unitate gratiæ nutritivæ, ſeu convivii ſignificati per diverſas ſpecies, quàm ex corpore Chriſti; ergo &c. Prob. ant. Nam corpus, & ſanguis ſignificantur ſeparatim per ſpecies, ſed in ratione convivii, & gratiæ nutritivæ ſunt omnino unum quid morale; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam hìc unitas prima deſumitur ex primo, & per ſe ſignificato, quod non eſt neque convivium ſpirituale; nec gratia illa, quia, ut diximus, hæc non ſignificatur per ſe, & ex ratione ſua intrinſeca, ſed ex fine extrinſeco Dei inſtituentis: & hæc ſignificatio, ſicut & ipſa cauſalitas ejus, pendet à ſumptione, quæ non facit, ut primò ſit ſacramentum: hoc enim habet ante illam.

CONCLUSIO III.

Sacramentum Euchariſtiæ plurificatur ex pluralitate reali ſpecierum conſecratarum, ita ut tot ſint ſacramenta numero diſtincta, quot ſunt hoſtiæ, & calices conſecrati. Eſt communis inter Scotiſtas.

Prob. primò ex cap. *Tribus gradibus*, ubi Clemens Papa dicit; *Tot holocauſta in altari offerantur, quot populo ſufficere poſſint*: aliqui legunt *tanta, & quanta*, ut non tam videantur ſignificare multitudinem, quàm magnitudinem, ſed fruſtra: nam niſi loqueretur canon de multitudine, non diceret eam debere eſſe ſufficientem populo; ergo loquitur de numero hoſtiarum. Unde ſi plures fuerint hoſtiæ, quàm perſonæ,

debent à clericis conſumi, quæ ſuperſunt: *Si remanſerint, in craſtinum non ſerventur*; ergo loquitur pluraliter, & de multitudine numerica hoſtiarum conſecratarum.

Prob. 2. Sacramentum, ſeu hoſtia, quam ſumit Petrus, non eſt eadem numero cum ea, quam ſumit Paulus; ſed utraque habet omnia requiſita ad diſtinctionem numericam inter ſe; ergo &c. Prob. antd. iſcurrendo per ſingula ſigna, & principia talis diſtinctionis; ergo ſunt diſtinctæ materiæ, & ſæpiùs diſtinctæ formæ conſecrativæ, diſtinctæ figuræ, loci, tempora; & ſingulæ cauſant ſuos effectus ſeorſim, & independenter ab invicem, & denique exiſtunt prorſus ſeparatæ; ergo &c.

Prob. 3. ex dictis. Tota eſſentialis ratio ſacramenti hujus conſiſtit in ſpeciebus conſecratis; ergo quoties illæ multiplicantur numero, toties multiplicatur hoc ſacramentum, & tot ſunt ſacramenta, quot ſpecies illæ.

Prob. 2. p. nempe quòd illa pluralitas ſumatur ex pluralitate ſpecierum; quia non poteſt commodè, & verè aſſignari aliud principium talis diſtinctionis; ergo &c. Prob. ant. Si poſſet aſſignari aliud, maximè pluralitas ſumptionum; ſed hoc non poteſt dici; ergo &c. Prob. min. quia antecedenter ad ſumptionem hoſtia, quæ aſſervatur Romæ, non eſt eadem numero cum illa, quæ aſſervatur Camberii: nam certè niſi ante ſumptionem jam diſtinguerentur, quilibet communicans ſumeret eandem hoſtiam, & idem ſacramentum, ſicut ſumunt omnes, & ſemper idem corpus, & eundem ſanguinem Chriſti: ſed adverſarii fatentur non ſumi eandem hoſtiam, benè verò idem corpus; ergo diſtinctio illa hoſtiarum, ſeu ſacramentorum non venit à ſumptione, ſed illam præcedit.

Objic. 1. con. 1. p. Corpus Chriſti eſt idem numero in omnibus, & ubique; ergo & idem numero ſacramentum. Prob. conſ. Sacramentum enim multiplicari non poteſt, niſi multiplicetur omne, quod ad eſſentiam ejus pertinet; ſed corpus Chriſti eſt de eſſentia hujus ſacramenti; ergo &c.

Reſp. neg. 1. conſ. & min. Nam corpus Chriſti eſt quidem ſignificatum hujus ſacramenti, ſed non eſt

pars

pars ejus eſſentialis, ut dictum eſt; ſufficit ergo multiplicari ſignum, ut ſint ſpecies conſecratæ, licèt non multiplicetur ſignificatum.

Inſt. Idem ſubjectum habens plures colores non dicitur plura colorata: ergo nec idem corpus Chriſti exiſtens ſub pluribus hoſtiis dici debet plura ſacramenta.

Reſp. neg. conſ. Nam ex regulis Logicæ concreta adjectiva non multiplicantur, niſi multiplicentur ſubjecta, ſicut & formæ, quia ſignificant eas ut adjacentes ſubjectis. In Euchariſtia verò ſpecies ſe habent ut Sacramentum, ſeu ſubjectum reſpectu ſignificationis, quæ eſt velut forma ejus ratione ſigni, ſeu ſacramenti.

Inſt. 2. Si Verbum divinum aſſumeret plures humanitates, non diceretur plures homines, aut plures Chriſti: ergo ita eſt de uno corpore Chriſti ſub pluribus hoſtiis.

Reſp. Tranſeat ant. & neg. conſ. diſparitas eſt, quia homines non dicuntur plures, niſi multiplicentur ſuppoſita: non ita eſt de ſignis, quæ multiplicantur ex ſubjectis, & formis, id eſt ex ſignis, & ſignificationibus, quæ tot ſunt de Corpore Chriſti, quot ſigna, ſeu ſpecies conſecratæ illud continentes.

Objic. 2. ex Apoſtolo: *Omnes unum corpus ſumus in Chriſto, qui de uno pane, & uno calice participamus.* Item ex Ambroſ. *Una hoſtia, non multa; ſicut enim quod ubique offertur, unum eſt corpus, & non multa corpora, ita & unum ſacrificium*; ergo & unicum numero eſt ſacramentum ubique.

Reſp. neg. conſ. Nam Apoſtolus loquitur de unitate non phyſica, ſed morali corporis myſtici Eccleſiæ cum Chriſto ut capite, & hanc colligit ex unitate reali corporis, & ſanguinis Chriſti: non loquitur de unitate Sacramenti, prout de ipſa hìc loquimur, ſc. prout eſt non corpus, & ſanguis, ſed ſignum ſenſibile utriuſque. Similiter Ambroſ. loquitur de ſacrificio pro re oblata, non pro ſacramento, ſub quo offertur: nam ſub hoc reſpectu tot ſunt ſacrificia, quot miſſæ, & hoſtiæ conſecratæ.

Objic. 3. Si multiplicarentur Sacramenta per ſpecies numero diſtinctas, qui ſumeret tres, aut plures hoſtias conſecratas, & diſtinctas, diceretur ſumere tria ſacramenta: idem eſt de illo, qui

unam hoſtiam divideret in mille partes, ſc. faceret mille ſacramenta de unico; & qui ferret pixidem plenam mille hoſtiis; & de laico accedente ad illam diceretur accedere ad mille ſacramenta, &c. Sed hæc ſunt abſurda, & contra omnes; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quoad omnes partes, mille ſacramenta phyſicè, & quoad ſigna, con. maj. & neg. min. moraliter, & quoad ſignificatum, neg. maj. min. & conſ. Unde canit Eccleſia, *Sumit unus, ſumunt mille, quantum iſti, tantum ille .... memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur*: Una hoſtia diviſa in mille particulas evadit mille ſacramenta: quia totidem ſunt diſtincta ſigna, & ſpecies ſignificantes, & continentes ſingulæ totum Chriſtum; & qui ſumpſiſset unam illam, & totalem realiter hoſtiam, ſumpſiſſet unicum numero ſacramentum, & quid in hoc abſurditatis eſt?

Inſt. Ergo qui mille illas particulas ſic diviſas ſumeret, reciperet gratiam millies majorem, ſeu mille gratias, quas diviſim, & ſingulis contuliſſet.

Reſp. neg. ſubſ. quia cùm ſit cauſa moralis, & non phyſica gratiæ, non plus conferret illi tota multitudo particularum, quàm minima particula: ſic enim Deus ſtatuit caſu, quo cunctas ſumeret eadem vice, aliud eſſet, ſi eas ſumeret diverſis vicibus.

QUÆSTIO IV.

De congruitate, & neceſſitate Euchariſtiæ Sacramenti.

SUfficeret dicere Chriſtum D. inſtituiſſe hoc ſacramentum, ut certiſſimè concluderemus id congruentiſſimè factum; ſed majoris eruditionis gratia placet congruentias inquirere ſpecialiter, ut inde ad majorem venerationem tanti myſterii, & gratitudinem tanti beneficii excitemur. De neceſſitate etiam aliqua dicemus in eundem finem.

CON-

CONCLUSIO I.

Convenientiſſima fuit ſacramenti hujus inſtitutio. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Congruum eſt, Chriſtum eſſe nobiſcum tali ſigno ſenſibili, ut magis excitetur quilibet ad devotionem, & reverentiam ad Chriſtum. Et hoc patet de facto, quia quaſi omnis devotio in Eccleſia eſt in ordine ad illud Sacramentum*, &c.

Prob. 2. ex Scoto. (2) *Salvator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo divitias ſui erga nos amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum* &c. Vides motiva congruentiæ.

Prob. 3. ex Scriptura, & Patribus. Nam inquit Joannes, [3] *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*, id eſt ultra finem vitæ, & ultra menſuram, ut loquitur Chryſoſt. [4] *Nihil omiſit, quod vehementer amantem decet.*

Prob. denique ex divinis perfectionibus, quæ in hoc myſterio ſingulariter emicant. Et 1. bonitas, & amor: nec enim major potuit eſſe, quàm ut perenni ſacrificio pro nobis per modum cibi, & potus concorporetur. 2. Nullibi major ſapientia, quæ *hic ædificavit ſibi domum; miſcuit vinum, & poſuit menſam* divino cibo onuſtam. 3. Potentia, quæ *memoriam fecit* hìc *omnium mirabilium ſuorum*, operum in eſca hac, quam *dedit timentibus ſe.* Et certè innumera hìc cernimus ferè incomprehenſibilia potentiæ ſimul, & ſapientiæ miracula, ut patebit in decurſu tractatus iſtius. 4. Gloria paſſionis hic perpetuò recolitur. 5. hic concluditur omnium veterum ſacrificiorum valor, & meritum, ſicut & celebritas, quæ per hoc unum exhauriuntur, & vacuantur. 6. per illud idem terminantur umbræ figurarum veterum, & implentur prophetiæ: quippe [5] *eorum, quæ celebramus in hoc ſacramento, vetuſtiſſima prædictio fuit in ſermonibus Prophetarum*; inquit Ambr. 7. ob excellentiam hujus Sacramenti præ cæteris omnibus, & ma-

[1] *Ibid. A. n.* 3. [2] *Seſs.* 2. *c.* 2.
[3] *Jo.* 13. [4] *Ibid.*
[5] *Pſ.* 18.

ximè ratione ſignificati, & contenti, ſc. ipſius perſonæ corporis, & Sanguinis Chriſti.

CONCLUSIO II.

E*Ucharistiæ Sacramentum non eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem nec pueris, nec adultis, ſaltem in re; benè verò neceſſitate præcepti*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto (1) citante præceptum ex cap. *omnis utriuſque ſexus*: & addit, quòd *ſicut tenetur omnis adultus ſimel communicare, ita tenetur laborare, ut ſit extra peccatum mortale per pœnitentiam*: quod etiam patet ex dictis de neceſſitate omnium, & ſingulorum Sacramentorum.

Prob. 2. ex Trident. [2] docente, *parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad ſacramentalem Eucharistiæ communionem*. Et idem definit Can. IV. prohibens ſub Anathemate, ne dicatur *parvulis antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Eucharistiæ communionem*. De adultis verò nihil definit, niſi quòd pro paterno affectu admonet S. Synodus, (3) hortatur, rogat, obſecrat, *ut in hoc unitatis ſigno concordent, & conveniant . . . & ſacra myſteria ſic credant, & venerentur, ut panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint*, &c. ubi nequidem loquitur de præcepto.

Prob.3. quia nullibi conſtat de tali neceſſitate, imò ex praxi Eccleſiæ conſtat, iſtud non eſſe ita neceſſarium: quippe hodie non dat illud pueris ante uſum rationis, nec phreneticis, nec amentibus, nec vomitum patientibus, nec ad mortem damnatis; ergo ſignum eſt Sacramentum non eſſe medium neceſſarium ſalutis, ſicut eſt baptiſmus, quem nulli negat.

Prob. 5. Illud eſt neceſſarium neceſſitate medii ad ſalutem, ſine quo abſolutè non poteſt haberi remiſſio peccatorum, & gratia ſanctificans; ſed hoc dici non poteſt de hoc Sacramento; ergo &c. Prob. min. Nam Euchariſtia non eſt inſtituta ad remiſſionem peccatorum, ſed ad nutritionem animæ ſanctificatæ, non eſt Sacramentum mortuorum, ut baptiſmus, &

[1] *d*. 9. *E*. *n*. 5. [2] *Seſſ*. 21. *c*. 4.
[3] *S. ſſ*. 13. *c*. 8.

& pœnitentia, ſed vivorum: nam mortui non ſunt capaces nutrimenti; ergo &c.

Confir. Multos Martyres colimus inter Sanctos, qui hoc Sacramentum non receperunt, ſaltem in re, ſed in proprio ſanguine ſubito converſi baptizati ſunt.

Prob. 2. p. 1. de neceſſitate præcepti, & quidem divini, 1. ex Script. dicit enim Chriſtus. [1] *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Et alibi, [2] *Hoc facite in meam commemorationem*, quod repetit Apoſtolus. (3)

Confirm. ex Trident. (4) dicente, quòd Chriſtus *ſacramentum hoc ſumi voluit tanquam ſpiritualem animæ cibum* &c. ergo ex præcepto divino neceſſarius eſt uſus hujus Sacramenti.

Prob. de neceſſitate præcepti Ecclaſiaſtici 1. ex antiquiſſima traditione. Nam, ut conſtat ex Catechiſmo Rom. primi Chriſtiani tempore Apoſtolorum quotidiè communicabant; & eam conſuetudinem renovavit S. Anacletus pro omnibus, quiaderant Miſlæ ſacrificio, quos ſacerdos poſt ſuam communionem invitabat converſus ad eos, & dicens; *Venite ad communionem*. Tum ſub Fabiano (5) ſaltem præcipiebatur pro diebus Feſtis Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes; & tandem ſaltem ſemel in anno, ſc. in Paſchate præcipitur omnibus adultis in Concil. Lateran. (6) ſub Innoc. III. c. *omnis utriuſque ſexus*; quod præceptum renovat Trident. [7] *Si quis negaverit, omnes, & ſingulos fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum, juxta præceptum S. Matris Eccleſiæ, Anath. ſit*.

Objic. 1. con. 1. p. Eodem modo Chriſtus docet neceſſitatem Baptiſmi, & Euchariſtiæ; ſed baptiſmi neceſſitas eſt medii; ergo & Euchariſtiæ. Prob. maj. de baptiſmo dicit, *niſi quis renatus fuerit* &c. *non introibit in regnum Dei*, & de Euchariſtia: *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis*: ergo ſi ex primo loco probatur neceſſitas medii pro baptiſmo, ita & ex ſecundo pro Euchariſtia.

Reſp. neg. conſ. & parit. Nam licèt ſit ſimilis modus

[1] *Joan. 6.* [2] *Luc. 21.* [3] *1. Cor. 11.*
[4] *ſeſſ. 13. c. 2.* [5] *De conſec. c. 16. d. 2.*
[6] *cap. 2.* [7] *ſeſſ. 13. can. 9.*

dus loquendi Scripturæ, non tamen idem ſenſus, ut patet ex intelligentia, & ſenſu, quem ibi agnoſcit Eccleſia, quæ in his reſpectu Euchariſtiæ non agnoſcit, niſi vim præcepti.

Objic. 2. ex Patribus. Non minor eſt neceſſitas Euchariſtiæ, quàm baptiſmi; ſed iſta eſt medii ad ſalutem; ergo &c. Prob. maj. ex Auguſt. ad ea verba, *niſi manducaveritis, &c.* ubi ait: *Auferatur jam dubitatio, Dominum audiamus, non quidem de hoc ſacramento lavacri dicentem, ſed de ſacramento ſanctæ menſæ ſuæ, quo nemo niſi ritè baptizatus accedit.* Et hoc intelligi vult tam pro parvulis, quàm pro adultis: *etiam pro parvulorum vita caro data eſt, quæ data eſt pro ſæculi vita.* Et Innocent. I. (1) ad Patres Concilii Milevitani Epiſtola, quæ legitur inter Epiſtolas S. Auguſtini, (2) ubi de pueris docet, (3) quòd *niſi manducaverint carnem filii hominis, & biberint ejus ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis.* Unde in primitiva Eccleſia ſtatim poſt baptiſmum dabatur parvulis Euchariſtia; ergo æqualis eſt utriuſque neceſſitas.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nam nec Auguſt. nec Innocent. nec alii Patres comparent hæc Sacramenta quoad neceſſitatem ſalutis, ſed quoad aliquem fructum, ſc. incorporationis cum Chriſto; in qua paria ſunt hæc duo non quoad modũ, ſed quoad eam incorporationem. Ideò alibi dicit in eadem verba: *Qui hanc ſumit carnem, habet vitam æternam. Hunc itaque cibum, & potum ſatietatem vult intelligi corporis, & membrorum ſuorum, ſicut rei ſacramentum, id eſt virtutem corporis, & ſanguinis Chriſti*, &c. Item loquitur non ſemper de reali, & ſacramentali manducatione, ſed de ſpirituali, & myſtica per fidem, & votum ſaltem implicitum.

Confir. hoc. Nam ſi de abſoluta, & reali manducatione deberet intelligi, contradiceret ſibi. Nam, ut vidimus aliàs, *Si parvulus percepto baptiſmate de hac vita emigraret ſoluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficeretur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum juſtificatos præſentia creatoris illuminat*; ergo ad ſalutem abſolutè ſufficit baptiſmus pro parvulis.

Objic.

(1) 1. *de pecc. mer. C.* 20. &
(2) *Ep.* 10. (3) *Ep.* 93.

Objic. 3. Euchariſtia inſtituta eſt in cibum viventium omnium; ſed viventibus non minus eſt neceſſarius cibus ſpiritualis ad conſervandam vitam ſpiritualem acceptam in baptiſmate, quam corporalis ad vitam corporalem; ſed iſte eſt neceſſarius ſimpliciter, & neceſſitate medii; ergo & Euchariſtia.

Reſp. neg. min. Nam vita corporalis conſervari nequit, nec propagari, niſi per continuam alimenti converſionem in ſubſtãtiam aliti propter continuam deperditionem partium per actionem caloris naturalis. Non ita eſt de vita ſpirituali gratiæ, quæ non ſic fovetur, ſaltem neceſſario, per cibum Euchariſticum, ſed ſuppletur per gratias actuales, & alia bona opera, ut patuit de SS. Patriarchis in veteri teſtamento, in quo non habebatur hæc divina caro.

Objic. 4. Sacramentum Euchariſtiæ excellit ſuper omnia alia; ergo & magis eſt neceſſarium aliis; nam neceſſitas proportionatur dignitati.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus: efficacitas quidem proportionatur dignitati, non autem neceſſitas.

Dixi autem, *nec pueris, nec adultis, ſaltem in re*; nam valde probabile eſt, quod omnibus adultis neceſſarium eſt aliquo modo in voto, ſaltem implicito. Nam ex Concil. Trident. omnia Sacramenta novæ legis ſunt neceſſaria ad ſalutem, & dicit Anathema id negantibus; quod tamen ſic limitat, ut non omnibus omnia, ſed aliqua ſingulis, alia vero aliquibus: Ordo, & Matrimonium non ſunt neceſſaria omnibus; & Euchariſtia non eſt neceſſaria pueris nec in re, nec in voto, cujus non ſunt capaces, bene vero adultis; quia ipſi debent velle ſervare totam legem chriſtianam; ergo & ſuſcipere hoc Sacramentum, quatenus cadit ſub præceptum, ut alibi dictum eſt.

QUÆSTIO V.

Quandonam inſtitutum eſt hoc Sacramentum, an potuerit inſtitui ante naturalem exiſtentiam Chriſti per incarnationem, prout facta eſt: an Adamo non peccante inſtituendum foret.

PRo deciſione 1. p. notandum, judæos computaſſe annos ſuos per menſes lunares, & illum menſem notaſſe primum, in quo Luna 14. incidit in tempus æquinoctii verni: talis eſt menſis Martius. 2. Computabant dies feſtos a veſpera diei præcedentis ad veſperam, ſeu occaſum ſolis diei ſequentis, juxta legem, [1] *A veſpera uſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*: & id adhuc obſervamus quoad officia divina. Iſti autem dies dicebantur *legales*.

Tres diſtinguuntur dies: 1. *naturales* continentes 24. horas, quas alii ſumunt ab una media nocte ad aliam; alii ab uno ortu ſolis incluſive ad alium excluſive. 2. *artificiales*, qui menſurantur ab ortu ſolis ad occaſum ejuſdem; & ſic in æquinoctiis dies ſunt 12. horarum, & totidem noctes, & hora ſexta unius diei eſt apud nos circa meridiem. 3. *Legales*, de quibus mox dicebamus, quod incipiunt a veſpera unius diei ad veſperam, ſeu occaſum ſolis alterius.

Pro 2. p. quæſiti notandum, quod in Chriſto per *exiſtentiam*, ſeu *eſſe naturale* intelligimus eſſe in loco modo corporibus connaturali, ſc. juxta dimenſiones quantitativas, ſeu circumſcriptive, & extenſive, ita ut una pars locati reſpondeat uni parti loci, & aliæ aliis. Per eſſe *ſupernaturale*, ſeu *ſacramentale* intelligimus eſſe in loco, ſicut corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus Euchariſticis, ſc. definitive, & ita, ut corpus illud ſit ad modum ſpirituum totum in toto loco, & totum in qualibet parte loci, ſeu ſpatii: & ſic corpus Chriſti dicitur habere *eſſe naturale* in utero Virginis per incarnationem; quamvis id habeat per operationem Spiritus ſancti omnino ſupernaturaliter, & miraculoſe; & *eſſe*, quod habet in Euchariſtia, dicitur *ſupernaturale*, *ſpirituale*, *ſacramentale*, prout talis

[1] *Lev.* 2 8.

lis modus eſſendi, ſeu præſentiæ opponitur naturali in ſenſu prædicto. Quod notandum eſt, ne æquivocemus in illis terminis: Utrumque autem eſt realiſſimum.

Notandum 2. quod aliquid dicitur accipere *eſſe ſimpliciter*, quando primum exiſtit realiter, accipit eſſe realiter poſt non eſſe realiter. Sic Chriſtus in inſtanti incarnationis, & de facto accepit eſſe ſimpliciter: *Eſſe autem ſecundum quid*, eſt rem accipere non primam exiſtentiam realem, in rerum natura, ſed novum aliquem modum, vel novam præſentiam, quam non habebat ante: & hoc ſenſu quando corpus Chriſti per conſecrationem ponitur ſub ſpeciebus panis in Euchariſtia, non dicitur produci, vel accipere *eſſe ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid*; quia per conſecrationem non acquirit niſi novam præſentiam realem, ſeu eſſe ſacramentale, quod non habebat; ſed tantum habebat naturale in Cœlo, vel in Cœnaculo, in quo primum conſecravit. His præmiſſis

Quærimus 1. hic, quandonam præcise inſtituta fuerit Euchariſtia? An potuerit inſtitui ante incarnationem, ſeu antequam Chriſtus exiſteret ullibi circumſcriptive, ſeu naturali modo eſſendi corporum? Sive, ut alii proponunt, an præſentia realis Chriſti in Sacramento dependeat a præſentia naturali ejus, & circumſcriptiva, ita ut illam ſine iſta non poſſit habere? & denique, an ſicut docuimus Chriſtum venturum impaſſibilem, Adamo non peccante, ita dici poſſet, hoc Sacramentum fore inſtituendum durante ſtatu innocentiæ.

CONCLUSIO I.

Sacramentum Euchariſtiæ de facto inſtitutum fuit ad veſperam diei, ſeu Luna 14. *Martii*. Eſt communiſſima inter Latinos contra Græcos, qui, ut defendant ſuam ſententiam de pane fermentato in Euchariſtia adhibendo, docent eam fuiſſe inſtitutam die 13. ſc. in ultima cœna ante dies azymorum, qui incipiebant die 14.

Prob. ex Euangeliſtis, & expreſſe per illud Matthæi 26. *Prima die azymorum quæſierunt diſcipuli, Ubi vis paremus tibi comedere Paſcha?* Et Marci 14. *Primo*

ma autem die azymorum, quando Paſcha immolabant; quo vis eamus, & paremus, ut manducemus Paſcha? Et Lucæ 22. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat comedere Paſcha* &c. Ex his patet, quod *die prima azymorum*, ſc. 14. Luna comedit agnum Paſchalem &c. ſed eo ipſo die, & poſt cœnam legalem inſtituit Euchariſtiam; ergo inſtituta fuit ad veſperam Lunæ, ſeu diei 14. Martii. Prob. min. ex ipſiſmet Euangeliſtis. Nam inquit Matth. *Cœnantibus illis accepit J. panem, & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait, accipite, & comedite; hoc eſt* &c. ergo &c.

Prob. igitur. Nam Sacramentum hoc inſtitutum eſt poſt eſum agni paſchalis; [1] ſed ille agnus debebat edi ad veſperam Lunæ 14. Martii; ergo ea die inſtituit Euchariſtiam. Maj. patet ex Euangelio cit. Prob. min. Agnus debebat edi ad 1. veſperam magnæ feſtivitatis, ut patet ex verbis legis. [2] *Decima die menſis hujus tollat unuſquiſque agnum .... & ſervabitis eum uſque ad 14. diem menſis hujus, immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam*; ergo &c. Hinc colligimus, Chriſtum conſecraſſe in pane azymo, quia ex illo die non licebat judæis uti pane fermentato, & nequidem licebat habere. [3] *In die primo non erit fermentatum in domibus veſtris per ſeptem dies:* ideo iſte vocatur *primus azymorum*; & id cognoſcunt SS. Patres, ut Chryſoſt. & Epiphanius, & Theophylactus, & alii.

Objic. 1. ex Euangelio conſtat, Chriſtum cœnaſſe cum diſcipulis *ante diem feſtum Paſchæ*; ſed iſte dies incipiebat ad veſperam diei 14. ergo ante 14. inſtituit hoc Sacramentum.

Reſp. diſt. ant. ante diem naturalem, vel artificialem feſtivitatis, con. ante diem legalem, neg. ant. Dies feſtivitatis magnæ, ſeu Paſchæ erat 15. Martii; ſed ſecundum legem incipiebat a veſpera diei 14. & tunc debebat immolari agnus.

Objic. 2. Chriſtus paſſus eſt ſequenti die hujus inſtitutionis; ſed hæc dies paſſionis non fuit 15. ſed 14. ergo dies inſtitutionis non fuit 14. ſed 13. Prob. min. Nam in concilio judæorum decreverant non occidere

[1] *Ibid.* [2] *Exod.* 12.
[3] *hom.* 82. & 83. *Matth. item* 30. *Joann.* 13.

re illum *in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo:* ſed ille dies feſtus erat 15. ergo occiderunt eum die 15. ergo die 13. inſtituerat Sacramentum.

Reſp. neg. min. Nam ita quidem decreverant, ſed oblata occaſione occidendi eum, depoſuerunt ſcrupulum, & timorem; & malitia prævaluit ſuper prudentiam illam.

Objic. 3. Si dies mortis fuiſſet feſtivitas magna, Joſeph non emiſſet ſindonem, nec mulieres aromata ad ſepeliendum Chriſtum; ſed emerunt utraque, ut conſtat ex Euangelio; ergo dies mortis non erat feſtus. Prob. maj. Nam diebus feſtis non licebat mercari; ergo.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. non licebat ad opera ſervilia, con. ad opera pietatis, neg. ant. Nam ſi licebat Aſinum educere ex fovea, & adaquare illum, licebat curare infirmos, &c. a fortiori ſepelire mortuos, & maxime in feſtis, in quibus non ita prohibebantur hæc opera, ut in Sabbatis. De Tobia legitur in die Sabbato ſuſtuliſſe mortuum in domum, ut de nocte ſepeliret.

Objic. 4. Judæi [1] illa die non auſi ſunt intrare in prætorium, ne contaminarentur, & ſic non poſſent comedere Paſcha; ergo illa die nondum manducaverant agnum, ſed illum debebant ſolum manducare ad veſperam; ergo ille dies eſt 14. & non 15.

Reſp. neg. conſ. Non enim ille ingreſſus erat ex lege prohibitus, ſed ex Phariſaica ſuperſtitione, & hypocriſi dicebant; nec illud, de quo ibi fit mentio, intelligendum eſt de Agno, ſed de aliis victimis, quas per illos ſeptem dies immolare ſolebant, & qui Paſchales erant.

Inſt. Ille dies dicitur [2] *Paraſceve: Erat autem paraſceve Paſchæ hora quaſi ſexta*; ergo mortuus eſt ad vigiliam Paſchæ, ſc. 14. non 15. nam *paraſceve* eſt præparatio ad feſtum celebrandum,

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. ant. Nam *paraſceve* proprie pertinebat ad Sabbatum, in quo non licebat parare cibos, bene vero in aliis diebus feſtis, ſicut & alia pietatis officia exercere, ut diximus.

CON-

[1] *Joan.* 18. (2) *Joan.* 19.

CONCLUSIO II.

DE *potentia Dei abſoluta potuiſſet Deus inſtituere Euchariſtiam ante Incarnationem, ſeu ante exiſtentiam naturalem Chriſti, qualem habuit in utero Mariæ, aut alibi circumſcriptive.* Eſt communis inter Scotiſtas contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto in terminis: [1] *Ante Incarnationem potuit ita vere Euchariſtia fuiſſe, ſicut & nunc eſt; & hoc tam quantum ad ſignificationem, quam quantum ad rem ſignatam, & contentam.* Et 2. *Poſſet corpus Chriſti deſinere eſſe ſub modo naturali, & tamen Euchariſtia vere remanere quantum ad veritatem ſigni, & ſignati, ſeu contenti:* ergo &c.

Prob. 2. quia exiſtentia Sacramentalis Chriſti in Euchariſtia non dependet ab exiſtentia ejus in utero virginis, vel in cruce, vel in cœlo nec in fieri, nec in conſervari; nec difficilius fuiſſet, vel eſſet Deo producere corpus ejus primo in Euchariſtia eo modo, quo ibi exiſtit, antequam produceret ipſum in utero Virginis, aut poſtquam ceſſaret ab ejus conſervatione in omnibus aliis locis, & ſtatibus; nec ulla in hoc poteſt fingi implicantia. Vno verbo, exiſtentia realis Chriſti in Euchariſtia non dependet ab exiſtentia reali, & naturali in alio ullo loco, in quo fuit, vel exiſtit; ergo Deus potuiſſet inſtituere Euchariſtiam cum reali præſentia corporis Chriſti ante illius incarnationem in carne paſſibili; vel poſſet eam inſtituere, aut conſervare non exiſtente illo alibi, vel alio modo, quam Sacramentaliter, prout eſt in Euchariſtia. Prob. ant. Nam exiſtentia Chriſti naturalis in aliis ſtatibus, & locis, in quibus eſt, vel fuit, nihil confert nec phyſice efficienter, vel in alio ullo genere cauſæ ad illius exiſtentiam ſacramentalem in Euchariſtia; ergo &c. Prob. ant. Nam utramque exiſtentiam, ſc. in utero Mariæ, & in altari habet Chriſtus ab omnipotentia Dei, illam per generationem, iſtam per adductionem; prout de facto ſe habet; ſed ad hanc ſecundam exiſtentiam Sacramentalem, quæ fit per adductionem, nihil phyſice influit illa prima, quæ

[1] *d.10.q.4.E.n.6.*

quæ fit per generationem: ſicut nec Sacramentalis influeret in generationem; ergo &c.

Fateor, quod in caſu noſtro, quo prius exiſteret Sacramentaliter, quam naturaliter, tunc productio Chriſti in Euchariſtia non diceretur adductio, ſicut dicitur nunc, & de facto, ſed deberet dici ccreatio; quia eſſet productio ex nihilo.

Prob. 3. Corpus Chriſti ex ſe eſt indifferens ad exiſtendum in utero virginis modo naturali, & per generationem, & circumſcriptive, aut in Euchariſtia modo ſupernaturali, & definitive, ſeu Sacramentaliter; ergo poteſt exiſtere uno modo ſine alio; ſicut animal poteſt exiſtere ſub rationali, ſive irrationali: ergo Corpus Chriſti poſſet exiſtere Sacramentaliter in Euchariſtia ſine exiſtentia naturali in utero matris per incarnationem. Prob. ant. nam habet eſſe in utero, in cœlo, in cruce, &c. ſine eſſe in Euchariſtia; & eſſe, quod habet in Euchariſtia, non dependet ab eo, quod habet alibi.

Confir. Nam ſi Chriſtus perderet præſentiam realem, quam habet alibi, v. g. in cœlo, non perderet per hoc præciſe illam, quam habet in Euchariſtia ſub ſpeciebus; ergo poteſt habere unam ſine aliis.

Objic. 1. Euchariſtia continet corpus, & ſanguinem Chriſti; ſed non poterat hæc continere ante incarnationem; ergo nec inſtitui. Prob. min. Chriſtus non erat, nec poterat eſſe homo Deus, nec habens carnem, & ſanguinem ante incarnationem; ergo nec eſſe in Euchariſtia ante incarnationem.

Reſp. neg. min. abſolute, & diſt. ant. homo Deus per unionem hypoſtaticam cum carne, & ſanguine ſecundum eſſe circumſcriptivum, & naturale, quale de facto habuit, con. ſecundum eſſe definitivum, & Sacramentale, quale habuit ſub ſpeciebus panis, & vini, neg. ant. & conſ. Si extitiſſet in Euchariſtia ante incarnationem eo modo, quo peracta eſt, verbum aſſumpſiſſet humanitatem exiſtentem definitive, & Sacramentaliter, ſicut de facto exiſtit in hoc ſacramento; nec difficilius fuiſſet Deo talis aſſumptio ante illam aliam incarnationem naturalem, quam poſt illam, aut illa deficiente.

Inſt. Præſentia Sacramentalis, & definitiva ſupponit naturalem, ſeu circumſcriptivam; ſed iſta non po-

putuit eſſe ſine incarnatione ſub modo naturali; ergo nec illa. Prob. min. nam debuit eſſe homo naturalis, ſupernaturalis, & ſacramentaliter.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam iſte modus Sacramentalis, & ſupernaturalis non magis dependebat ab iſto modo naturali, ſeu circumſcriptivo ante incarnationem, quam poſt illam.

Inſt. 2. Ut Verbum divinum eſſet in Euchariſtia cum carne, & ſanguine humano ſuo, debuit incarnari; ergo incarnatio debuit neceſſario præcedere inſtitutionem Euchariſtiæ.

Reſp. diſt. maj. debebat incarnari, ideſt uniri carni veræ, ac reali quomodocumque exiſtenti, con. uniri carni exiſtenti circumſcriptive, & modo connaturali corporibus materialibus, neg. maj. & conſ. in eodem ſenſu. Nam Incarnatio Verbi in carne exiſtentis realiter, & definitive impaſſibiliter, qualiter exiſtit in Euchariſtia, non minus eſt vera, & realis incarnatio, quam quæ facta eſt in utero Mariæ cum carne paſſibili.

Objic. 2. Prius eſt eſſe abſolute, & *ſimpliciter*, quam eſſe tale, & ſecundum quid; ſed eſſe Chriſti per incarnationem naturalem, ſeu in carne paſſibili, & modo naturali corporibus eſt eſſe abſolutè, & ſimpliciter; & eſſe ſacramentaliter, ſeu definitive eſt eſſe tale, & ſecundum quid; ergo illud eſſe præcedit iſtud neceſſario. Prob. min. quoad 2. p. Nam eſſe Chriſti in Euchariſtia eſt eſſe replicatum, & adductum; ergo eſt eſſe tale, & ſecundum quid.

Reſp. neg. min. abſolute, & ant. Nam in caſu concluſionis eſſe Crhiſti in Euchariſtia fuiſſet eſſe primo productum, & ſimpliciter, ſicut nunc eſt eſſe replicatum, & adductum; & iſtud diceretur de illa incarnatione naturali, ſi poſtea extitiſſet.

Inſt. 1. Si præcederet incarnatio ſacramentalis, impoſſibilis eſſet poſtea naturalis; ſed conſ. eſt falſum, ut patet; ergo &c. Prob. maj. Si ſemel humanitas Chriſti exiſteret impaſſibiliter in Euchariſtia, non poſſet formari, ſeu generari ex ſanguine Mariæ; quia ille ſanguis, nec illa caro non eſt impaſſibilis, nec indiviſibilis, nec penetrabilis, nec inextenſa, qualis eſt caro Chriſti in Euchariſtia.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam præexiſtente

Chri-

Chriſto in Euchariſtia, ut nunc exiſtit, non eſſet difficilius Deum formare corpus idem ex puriſſimo ſanguine Mariæ, quam de facto cum illud primo formavit; ſed tunc illa productio non fuiſſet quoad eſſe ſimpliciter, ſed quoad eſſe adductum, & ſecundum quid, ut nunc dicimus de ejus eſſe ſacramentali.

CONCLUSIO III.

PRobabile eſt, quod inſtitutum fuiſſet Euchariſtiæ Sacramentum in ſtatu innocentiæ.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] de Sacramentis in communi, ubi diximus, quod in ſtatu innocentiæ futura erant Sacramenta. Nam inquit: *Pro quocumque ſtatu, in quo eſt morbus, neceſſaria eſt medicina:* & ideo non putat, quod tunc neceſſaria fuiſſent Sacramenta in remedium, bene vero in alios fines; quod maxime verum eſt de Euchariſtia, per quam Chriſtus nobis tam largiter & mirabiliter communicatur, & amorem ſum teſtatur.

Prob. 2. Nam Adamo ſtante, & innocentia hominum durante, non minus nos Deus dilexiſſet, quam poſt peccatum; ergo ſi poſt peccatum hoc illis Deus dedit amoris ſui pignus, a fortiori dediſſet innocentibus, & amicis.

Prob. 2. Nam Deus omnia propter ſemetipſum, & gloriam ſuam primariò operatur; ſed non minus reluxiſſet glora ejus in hoc opere durante innocentia; ergo &c. Prob. min. Non minus elucerent in eo bonitas, ſapientia, potentia; & denique homines in eo haberent, unde Auguſtiſſima illi offerrent ſacrificia; ergo &c.

Objic. Euchariſtia inſtituta eſt in memoriā ſacrificii crucis, & mortis Chriſti: *Mortem Domini annunciabitis* &c. *Hoc facite in meam commemorationem:* ergo in ſtatu innocentiæ non potuiſſet inſtitui, quia licet Chriſtus fuiſſet venturus, non tamen fuiſſet paſſibilis.

Reſp. diſt. conſ. non potuiſſet inſtitui ſub illo reſpectu, & circumſtantia, con. ſub aliis motivis, & circumſtantiis, neg. conſ. Nam licet non potuiſſet inſtitui

[1] *diſp. 1. q. 3. con. 1.*

tui in memoriam paſſionis, & ut repræſentativum ſacrificii crucis, potuiſſet tamen inſtitui ut convivium ſpirituale, & ſignum efficax gratiæ nutritivæ, & unitivæ cum Chriſto.

Alia argumenta ſoluta ſunt loco citato, & in Tract. de Incarnatione.

DISPUTATIO II.

De materia, & forma Euchariſtiæ.

QUæ de exiſtentia, & eſſentia hujus ſacramenti diximus, percipientur ex dicendis in ſequentibus, & maxime de materia, & forma ejus, quæ videntur partes ejus melius eſſentiales.

QUÆSTIO I.

Quæ ſit materia remota Euchariſtiæ.

OMiſſis variis erroribus circa materiam hujus ſacramenti, qui non merentur confutationem, certum eſt Chriſtum in hoc uſum fuiſſe pane, & vino, ut conſtat ex ipſo textu Evangelii; ſed quæſtio eſſe poteſt de panis genere, an ſit triticeus, vel ex aliis granis, & de qualitate ejus, an ſit azymus, vel fermentatus, de quo litigamus cum Græcis, qui putant non valere conſecrationem, niſi in fermentato. Item de vino, an ſit vinum de vite, an poſſet eſſe alterius ſpeciei liquoris: & an debeat miſceri cum aqua, quod negant Lutherani.

CONCLUSIO I.

M*Ateria, ex qua conficitur ſacramentum Euchariſtiæ, eſt panis triticeus.* Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quod [1] *certum ſit, farinam tritici purgatam ſecundum communem purgationem eo modo, quo piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam convenientem ad conficiendum panem conſecrabilem*; ergo ille panis eſt materia conſecrabilis in Euchariſtia; & id patere dixerat ex c. 1. de conſecr. & cap. *non oportet* diſt. 2. &c. *quia Chriſtus talem materiam conſecrandam inſtituit, & in ſignum inſtitutionis*

[1] *d.* 11. *q.* 6. *A. n.* 3. *Ibid. n.* 1.

nis tali materia conſecranda uſus eſt; & quod *etiam panis triticeus, & non alius habetur de conſecr. d. 2. in ſacramento* &c.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in Carthagin. III. habetur, [3] ut *in Sacramentis corporis, & ſanguinis nihil amplius offeratur, quam ipſemet Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquæ mixtum, nec amplius in ſacrificiis offeratur, quam de uvis, & frumentis*. Et in Florent. ſſ. ultima circa finem: [3] *De pane, ſive azymus, ſive fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex tritico conſtet*. Et in Decreto enumerando Sacramenta dicitur: *Tertium eſt ſacramentum Euchariſtiæ, cujus materia eſt panis triticeus, & vinum de vite*. Et tandem in Trident. [3] *Semper fuit hæc fides in Eccleſia Dei, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini Noſtri Corpus, verumque ſanguinem ſub ſpecie panis, & vini ... exiſtere* &c. ergo panis, & vinum ſunt materia conſecrationis, ex qua conficitur hoc ſacramentum.

Prob. 3. ex Scriptura citata in præcedenti. Nam [4] *accepit Jeſus panem &c. Hoc eſt corpus meum*, & calicem, in quo fuiſſe vinum de vite colligitur ex verbis ſequentibus, *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*, ſive, ut dicit Lucas, *de hac generatione vitis*.

Prob. denique ex Catechiſmo Romano, [5] ubi habes congruentias, & motiva hujus inſtitutionis.

Quod autem ſit panis triticeus patet ex uſu, & perpetua traditione Eccleſiæ, quæ numquam alio pane, aut vino uſa eſt: & patet ex citato Concilio Carthaginen. [6] in quo prohibetur offerri aliud, quam *de uvis, & frumentis*. Et refertur in cap. *in ſacramento*, de conſecr. & ex Florent. etiam cit. [6] *in azymo, ſive fermentato pane triticeo*.

Objic. 1. Chriſtus utebatur pane hordeaceo æque, ac triticeo; ergo iſte panis tam poſſet eſſe materia conſecrationis. Patet ant. ex Evangelio, [8] ubi legitur diſtribuiſſe populis quinque panes hordeaceos. Prob. conſ.

[1] *cap.24.* [2] *decr. uni.*
[3] *Seſſ.13.cap.3.& can.2.* [4] *Matth.26.*
[5] *de Euchariſ. n. 19.* [6] *d.2.C.5.* [7] *decr.unio*
[8] *Joan. 6.*

conſ. Nam Chriſtus ipſe conſecravit, & inſtituit hoc ſacramentum in pane ſibi, & aliis uſuali; ſed panis hordeaceus fuit Chriſto, & aliis uſualis; ergo & in eo cenſendus eſt conſecraſse, aut conſecrationi deſtinaſſe, ſicut & quemvis alium.

Reſp. neg. conſ. & maj. prob. Nam Chriſtus inſtituit Sacramentum in pane, quo tunc utebatur; & tunc utebatur pane apud Judæos tunc in uſu, ſc. triticeo; & licet alias potuerit uti aliis panibus, non ſequitur, quod in illa cæna uſus fuerit alio, quam triticeo.

Obij. 2. Quidquid repræſentat alimoniam ſpiritualem poteſt eſse materia Euchariſtiæ, per quam hæc cauſatur; ſed omnis alius panis, & omnis alius potus repræſentare poſsunt hanc alimoniam, & maxime panis ex aliis granis, & vinum ex aliis fructibus, cum deeſt panis, aut vinum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quidquid repræſentat ex inſtitutione divina, con. aliunde quam ex inſtitutione illa, neg. maj. & conſ. Nam ſacramentorum ſignificatio eſt quidem in rebus aptioribus ad repræſentationem effectus ſpiritualis; ſed tamen repræſentatio principaliter pendet a voluntate Dei: & quia Deus ad hoc ſpecialiter inſtituit panem triticeum, & vinum de vite, ideo iſta, & non alia ſufficiunt.

Obijc. 3. In multis regionibus deeſt panis triticeus, & in aliis pluribus vinum; & tamen in illis debet adeſſe Euchariſtia; ergo in illis ſufficere debet alius panis, & aliud vinum, quam de vite; alioquin fideles privarentur hoc Sacramento. Prob. ant. Nam in America plures populi conficiunt panem ex radicibus: & in Norvegia nequidem vinum aliunde portatum conſervari poteſt; & ideo ſcribit Volaterranus, indultum illis fuiſse, ut ſine vino conſecrarent calicem; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. quia in illas regiones poteſt aliunde provideri de vero pane, & vino, ſaltem pro hoc Sacramento; nec creditur vera illa diſpenſatio pro Norvegianis. Immo in frigidiori tempore melius conſervatur vinum, ſicut corrumpitur calore.

Objic. 4. De omnibus frugibus, & alimoniis fiunt oblationes in altari; ergo & de omnibus ſumi poteſt materia conſecrationis.

Reſp. neg. conſ. Nam aliud eſt de omnibus frugibus obla-

oblationes fieri ex religione in gratiarum actionem ad Dei cultum, pro miniſtrorum ſuſtentatione, & ſimilibus motivis piis; aliud, quòd Deus voluiſſet ex illis confici hoc Sacramentum: iſtud prohibent SS. Canones: [1] ut Can. 3. & 4. Apoſt. & in Conc. Vormacienſi, & Bracarenſi III. cap. 10. &c.

CONCLUSIO II.

P*Anis tam azymus, quàm fermentatus eſt materia apta conſecrationis ubique; ſed in Eccleſia Latina non licet uti fermentato*. Eſt communis apud Latinos contra Græcos putantes invalidum eſſe panem azymum.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] *Hoc ergo ſimpliciter tenendum eſt, quod de neceſſitate panis conſecrabilis non eſt, neque quòd ſit azymus, neque quòd ſit fermẽtatus; quia, ſecundum Anſelmum, [3] azymus, & fermentatus non differunt ſubſtantialiter, & ideò non negamus verè conficere Græcos*.

Prob. 1. ex Conc. Florent. cit. *Definimus in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, ſacerdoteſque in alterutro ipſius Domini corpus conficere debere, unumquemque juxta Eccleſiæ ſuæ ſive Orientalis, ſive Occidentalis conſuetudinem*. Hìc habes utramque partem concluſionis, ſc. ſufficientiam utriuſque panis, & obligationem Latinorum conſecrandi in azymo; quia talis eſt Eccleſiæ Latinæ, ſeu Occidentalis conſuetudo.

Prob. 2. p. tum ex Concil. cit. tum ex Conſtit. Pii V. 1566. revocantis facultates datas ſacerdotibus Græcis, ut celebrarent more Latino, & Latinis, ut celebrarent more Græco; ergo in Eccleſia Latina non licet uti pane fermentato.

Confir. ex Catechiſmo Rom. ubi dicitur, nulli licere propria auctoritate mutare ritum ſuæ Eccleſiæ.

Objic. 1. Materia ordinaria, & apta conſecrationi eſt panis uſualis; ſed ſolus panis fermentatus, non autem azymus eſt uſualis; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. panis uſualis, ideſt, qui uſui ex ſubſtantia, & natura ſua eſt aptus nutritioni, conc. qui per

[1] *cap.* 4. [2] *ibid. B. n.* 6.
[3] *lib. de azymo.*

accidens eſt frequentior in uſu, neg. maj. & conſeq. Nam fermentatus eſt magis in uſu propter ſaporem guſtui magis accommodatum; ſed hoc nihil facit ad ſubſtantiam.

Objic. 2. Uſus panis azymi eſt obſervatio legis Moſaicæ; ſed tales obſervationes Chriſtus abrogavit per Euangelicam; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. abrogavit figurativas ſui adventus, & ſuæ legis, & prout legales erant, conc. alias omnes, neg. min. & conſeq. Uſus panis azymi in Euchariſtia eſt indifferens ad figurationem, & prophetiam, & non adhibetur hìc ex præſcripto legis Judaicæ, ſed Euangelicæ; & ſufficit, quòd Chriſtus in ſui novi agni comeſtione retinere voluerit hunc panem.

Objic. 3. Chriſtus uſus eſt pane fermentato in illa Cœna ultima; ergo & nos uti debemus in eodem ſacramento.

Reſp. neg. ant. ut patet ex præcedenti quæſtione, ubi probatum eſt, Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe ad veſperam Lunæ 14. Martii, in qua non licebat Judæis habere fermentatum panem, nequidem domi.

Objic.4. Olim conſecrabatur in pane à fidelibus oblato; ſed illi non offerebant azymum; ergo, &c.

Reſp. neg. min. quid enim impedit, quin tunc obtulerint azymum pro conſecratione, ſicut & fermentatum pro Clericorum ſuſtentatione?

Inſt. Ebionitæ notati ſunt erroris, quia in azymo celebrabant; ergo tempore illo Eccleſia etiam Latina celebrabat in fermentato; & ita celebrandum putabat. Unde ante Schiſma Photii azyma non erat in uſu apud Latinos; alioqui non omiſiſſent Græci hoc illis exprobrare.

Reſp. neg. ant. Nam Ebionitæ non arguebantur de uſu azymi, ſed de opinione, quòd in hoc eſſet judaizandum; in hoc enim errabant: Et ante Photii tempora Latini utebantur azymo, licèt Græci nondum ſchiſmatici hoc illis non exprobrarent.

Objic. 5. Scotus dicit, [1] Græcos peccare graviter utentes fermentato; ergo ille uſus eſt illis illicitus.

Reſp. neg. ant. Non enim id abſolutè dicit, ſed quaſi dubitanter; ſed id dicit propter non conformitatem cum

[1] *ibid. C. n. 7.*

cum Latinis, & defectu ſolidi fundamenti ad diſcedendum ab uſu Eccleſiæ Romanæ. *Forte etiam graviter peccant Græci, qui non ſe conformant Eccleſiæ Petri, cùm hìc habeatur fundamentum ſolidum, quod ſic Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, ad minùs licet non neceſſario, quin aliter fieri poſſet, tamen ſic magis congruè celebratur.* Vides, quòd poſitivè non aſſerit peccatum, niſi fortè propter non conformitatem cum Latinis.

Quæres 1. *An panis ex diverſis ſpeciebus granorum, v. gr. frumenti, avenæ, hordei, &c. ſit materia apta conſecrationi.*

Reſp. ſi adeo prævaleat copia frumenti, ut panis cenſeatur abſolutè triticeus, ſufficiet; ſi verò prævaleat avena, ita ut potiùs cenſeatur panis avenæ, non ſufficit.

Prob. 1. p. quia ex mente Conciliorum, & Patrum ſufficit panis uſualis, & æſtimatus communiter triticeus, & ſi qualibet mixtura ſeminum alienorum hoc impediret, difficillima eſſet certitudo hujus panis; quia difficilis, & rara eſt tanta frumenti puritas ſine ulla mixtione.

Prob. 2. p. quia ſi prævalerent alia ſemina, non eſſet panis ille, quem exigit hoc Sacramentum ex mente Eccleſiæ: non eſſet panis ex tritico, ſeu *ex adipe frumenti.*

Unde ſequitur, non valere panem ex hordeo, millio, oriza, ſiliquis, &c. quia non ſunt triticum, nec ſpecies tritici in communi æſtimatione.

Aliud eſt de ſiligine, quam multi cenſent ſpeciem tritici; ſed tamen ſatius eſſet tali pane non uti.

Quæres 2. *Quid de pane confecto ex lacte, butyro, melle, aqua roſacea, & aliis liquoribus, an debeat eſſe ex pura farina triticea, & aqua naturali.*

Reſp. rem eſſe dubiam; quia panes illi non ſunt uſuales, & ſatius eſſet ab illis abſtinere; nulluſque eſt certò ſufficiens præter panem ex aqua naturali confectum.

Quæres 3. *Quid de maſſa cruda paſtæ, aut aqua elixa, aut frixa in oleo, vel butyro?*

Reſp. maſſam illam non eſſe propriè panem, ſicut nec illas alias materias; & ideo non ſufficiunt.

Quæres 4. *Quid de amido?*

Reſp. cum Scoto. [1] *Cùm certum ſit, farinam tritici purgatam ſecundum communem purgationem eo modo, quo piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam convenientem ad faciendum panem conſecrabilem; &, cùm dubium ſit, an amidum ſit hujuſmodi materia, & pars negativa multis ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio*, &c.

CONCLUSIO III.

M*Ateria conſecrationis in calice eſt vinum de vite, cum aqua modica.* Eſt communiſſima inter Catholicos contra Armenos, & Hæreticos hujus temporis, qui nolunt iſtam mixtionem aquæ.

Prob. ex Scoto. [2] *Dico, quòd vinum artificiale, ſive quodcumque aliud vinum, quod non eſt vinum vitis, ver. grat. vinum pomorum, & hujuſmodi non eſt vinum, niſi ſecundum quid, & æquivoce: unde nullum tale eſt aptum conſecrationi in ſanguinem*; ergo, &c.

Prob. 2. ex Concilio Florentino cit. [3] & Carthaginenſi: [4] prohibet enim, aliud offerri in Sacramentis, *quam quod Dominus ipſe tradidit, hoc eſt panis, & vinum aqua mixtum*: & ex Liturgia S. Jacobi: *Similiter & calicem, poſtquam cænavit, accipiens, & permiſcens ex vino, & aqua*: & S. Martii, *Factaque vini, & aquæ commixtione*: & S. Baſilii, *Et cùm calicem ex genimine vitis acccpiſſet, miſcuiſſet*, &c.

Confir. ex SS.Patribus, ex Alexandro I. [6] qui ante 1500. annos florebat: *Non debet, ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum.* Idem colligitur ex Innocentio III. cap. *in quadam:* [6] ex Damaſceno, *Chriſtus calicem ex vino, & aqua tradidit*, &c.

Prob. 3. ex inſtitutione Chriſti, qui in vino tali conſecravit: ideo dixit, [7] *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.*

Prob. denique cum Scoto ex congruentiis: Nam inquit:

[1] *ibid.4.* [2] *ibid.p.2. A ſeu q.7.n.1.* [3] *can.* 32. [4] *can.32.* [5] *Epiſt.ad Orthodox.* [6] *De celebr.Miſſ.* [7] *Matth. 26. & Marc.14.*

quit: 2. *pars principalis nutritionis, ideſt potus, principaliter conſiſtit in vino, ut potu principali*; ergo cum hoc ſacramentum ſignificet convivium ſpirituale, aptius repræſentatur in vino de vite, quod eſt abſolutè, & propriè vinum, quàm in alio ullo liquore, etiam potabili.

Prob. ſpecialiter quoad mixtionem aquæ, tum ex auctoritatibus citatis, tum ex congruentiis; ver. gr. quia, ut vidimus, creditur Chriſtum ſic miſcuiſſe in ipſa inſtitutione Sacramenti: *Miſcuit vinum*, (inquit Eccleſia) 2. in memoriam ſanguinis, & aquæ fluentis ex latere Chriſti. 3. ſignificatur unio populi Chriſtiani cum Chriſto capite, &c.

Objic. 1. Euchariſtia figuratur in ſacrificio Melchiſedech; ſed iſte non dicitur obtuliſſe niſi vinum; ergo ita debet eſſe in Euchariſtia.

Reſpon. diſt. maj. figuratur ſecundum ſubſtantiam, conc. ſecundum omnes circumſtantias, neg. major. & conſ. Non enim eſt neceſſe, ut figuratum conformetur figuræ in omnibus circumſtantiis; ſufficit conformitas in ſubſtantialibus. Unde licèt admittatur, quòd Melchiſedech obtulit vinum prorsùs purum, de quo non conſtat certò, adhuc reſtaret ſufficiens conformitas hujus ſacrificii cum illo; quia mixtio parum aquæ non impedit, quin dicatur offerri vinum.

Objic. 2. Iſaias exprobrat Judæis, quòd vino eorum miſceatur aqua; ergo à fortiori improbanda eſt in calice talis mixtio. Prob. ant. *Vinum tuum mixtum eſt aqua.*

Reſp. diſt. ant. quando mixtio fit in fraudem ementium, conc. quando fit ad temperantiam, vel ex obedientia, neg. ant. Nam hìc non miſcetur in fraudem, ſed ex obedientia, præcepto, vel ex imitatione Chriſti. Iſaias etiam loquitur ibi myſticè de vino pro doctrina Scripturæ Sacræ, cui miſcebant doctrinam Philoſophiæ profanæ, ut notat Hugo Card. Sapiens invitat, [1] *bibite vinum, quod miſcui vobis*. Et ſapientia: *Miſcuit in cratere vinum*.

Objic. 3. Chriſtus non miſcuit vinum calicis, quem conſecravit; ergo nec nos miſcere debemus; quia eſt contra inſtitutionem. Prob. ant. 1. ex S. Chryſoſt.[2] qui hoc negat. Et ex Innocét. III. de celebr. Miſſ. Can.

[1] *Prov.9.* [2] *hom.88.Matth.*

in quadam; ubi negat mixtionem hanc probari per aquam, quæ ex latere Chriſti fluxit; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam Chryſoſt. ibi loquitur contra *aquarios, qui pura aqua in myſteriis utebantur*; & Innocentius negat mixtionem illam inferri ex fluxu lateris Chriſti, quia non aquam, ſed flegma emiſit; non autem negat eam inferri aliunde.

Sequitur autem ex dictis in hac concluſione 1. quòd vinum ſive album, ſive rubrum, aut nigrum nihil refert, quia tota differentia hæc eſt in colore, & omnia ſunt ex vite.

2. Vina frugum, v. g. malorum granatorum, aut pomorum, &c. non eſſe materiam conſecrabilem in calice; quia non ſunt propriè, ſed æquivocè vina.

3. Nec uvarum grana, quantumvis matura, ſed ſuccum, ſeu vinum, aut ſaltem muſtum expreſſum; quia uvæ in granis ſunt potius comeſtibiles, quàm potabiles.

Dico, *muſtum*; nam licèt ſatius ſit vinum poſt expreſſionem purgari, & concoqui; tamen Sacri Canones in caſu neceſſitatis non videntur improbare muſtum in ipſo calice expreſſum ex racemis, ſi neceſſe fuerit: *Botrus in calice comprimatur*, cap. *Didicimus*, [1] & ſeq.

4. Loram, nec cerviſiam, nec acetum, nec agreſtum, ſeu omphacium non eſſe conſecrabilia; quia lora, & cerviſia ſunt ex aqua ſola; & acetum non eſt ampliùs vinum, & agreſtum non eſt adhuc vinum, ſed ſuccus racemi immaturi.

Quæri ſolet *de vino congelato*; & tenetur magis communiter, illud poſſe conſecrari; quia vinum congelatum eſt ſemper vinum, & potabile ex natura ſua, licèt debeat diſſolvi; nec per congelationem corrumpitur; & ſi poſt conſecrationem congelentur ſpecies adhuc remanet ſub illis ſanguis Chriſti.

[1] *de conſecr. diſt.* 2.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An mixtio aquæ in calice ſit de neceſſitate Sacramenti? Et an aqua immediatius convertatur in vinum, quam in ſanguinem.

CErtum eſt, quòd qui ſcienter omitteret infundere aquam in calicem, graviter peccaret; quia faceret contra Rubricas in re gravi: ſed quæſtio eſt, an verè conſecraret, ita ut illa mixtio aquæ in vinum ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Quantùm ad 2. par. quæſtionis, legimus ex Innocentio III. c. *Quæſiſti*, (1) tres olim fuiſſe opiniones de conſecratione aquæ in Calice. 1. dicebat vinum converti in ſanguinem, & aquam mutari in illam, quæ cum ſanguine fluxit de latere Chriſti. 2. dicebat, aquam priùs converti in vinum, & cum illo converti in ſanguinem. 3. Aquam remanere in ſua ſubſtantia cum ſanguine Chriſti ſub ſpeciebus vini. Et ipſe Pontifex inclinat in 2. opinionem, quæ dicit, aquam prius converti in vinum, & cum vino in ſanguinem. Idem referunt, & in idem inclinant SS. Bonaventura, & Thomas, (2) & Doctor Subtilis, ut mox videbimus: ſed tamen currit 4. opinio, docens aquam immediatè converti in ſanguinem Chriſti, ſicut & vinum.

CONCLUSIO I.

M*Ixtio aquæ in vino calicis non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Græci non apponunt aquam, ut dicit Innocentius de officio miſſæ; eſt tamen de neceſſitate miniſtri propter præceptum Eccleſiæ; & etiam Chriſtus vinum, cum quo fuit aqua mixta, conſecravit.*

Prob. 2. ex Conciliis. Nam Florentinum [4] docet, *admiſcendam modicam aquam, & hoc debere facere Armenos, ut ſe Eccleſiæ conforment; ergo non ex neceſſitate ſacramenti, ſed ſolius præcepti Eccleſiaſtici.* Idem colligitur ex Trident. [5] ubi monet S. Synodus, *præ-*

[1] *de celebr. miſſ.* [2] *q. 74. n. 8.*
[3] *Ibid. q. 7. B. n. 2.* [4] *litt. union.* [5] *ſeſſ. 22. c. 7*

ceptum eſſe ab Eccleſiæ ſacerdotibus; ut aquam vino in calice offerendo miſceant, &c. ergo ex illis Conciliis neceſſitas hujus mixtionis petitur ex ſolo præcepto, & quidem humano Eccleſiaſtico.

Prob. 3. Id non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſine quo poteſt eſſe Sacramentum; ſed hoc poteſt eſſe ſine aqua; ergo, &c. Prob. min. Nam Armeni, & Græci, ut multi docent, non apponunt aquam in Calice; & tamen Eccleſia putat eos validè conſecrare; ergo, &c. Pr. ant. ex Concil. Flor. cit. quod, ut ſuadeat Armenis hanc mixtionem, non adducit aliud argumentum, aut motivum, quàm conformitatem cum univerſali Eccleſia, quæ ab initio ſic ſervavit, & modo ſervat: *Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino*; & de Græcis id docet Scotus cit. ex Innocentio Tertio. (1)

Prob. 3. Nam ſi hæc mixtio eſſet de præcepto Divino, invalidè conſecraretur ſine illa; & ſic illa eſſet de neceſſitate ſacramenti: ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex Conciliis cit. ergo, &c.

Prob. 4. quia nullibi conſtat de alia neceſſitate, quàm præcepti purè Eccleſiaſtici; ergo non alia eſt. Antec. patebit ſolutione objectionum.

Objic. 1. ex Concilio Carthaginenſi cit. *Nihil aliud in ſacramentis Corporis, & Sanguinis Domini offertur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquæ mixtum*. Et ex Conſtantinop. VI. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino non miſcet .... deponatur*; ergo illa mixtio aquæ eſt de inſtitutione Apoſtolica, & Divina.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt hanc mixtionem Chriſtus ipſe fecerit, & Apoſtoli tradiderint, non ſequitur, quòd id præceperit quaſi de neceſſitate Sacramenti; ſicut ex hoc, quòd conſecraverit in pane azymo, vel fermentato, non ſequitur conſecrari non poſſe alium, quàm quem ipſe conſecravit.

Inſt. S. Cyprianus dicit, mixtionem eſſe divinum mandatum, & traditionem Apoſtolicam; ergo eſt de jure divino, & ſic de neceſſitate ſacramenti.

Reſp.

(1) *in Decreto*.

Reſp. neg.conſ.quia S. Cyprianus dicere potuit contra aquarios, qui puram aquam offerebant, & contra Ebionitas, qui nullam adhibebant, Chriſtum conſecraſſe vinum aqua mixtum; nec propterea id aſſeruit præceptum fuiſſe, ſed exemplum: nec enim omnia, quæ fecit Chriſtus, ſunt nobis de præcepto, ut dicebamus de pane. Denique credere potuit Cyprianus eſſe præceptum divinum; nec tamen ita credunt Concilia citata, nec cæteri Patres, & Theologi.

Objic.2. ex Auguſtino: [1] *Quæ in Eccleſia perpetuò ſervantur, nec probantur primitùs conſtituta ab aliquo Concilio, vel Eccleſiæ præcepto ordinata, credendum eſt à Chriſto fuiſſe ordinata:* ſed de hac mixtione nullibi conſtat, eam eſſe præceptam: ergo eſt à Chriſto.Prob. min. Nam Alexander I. dicit, eam à Patribus traditam: & Concilium Carthaginen. traditionem ejus tribuit Apoſtolis; ergo, &c.

Reſp.neg. min. Nam ex Conciliis, & rationibus dictis ſatis conſtat de præcepto Eccleſiaſtico. Et ipſe Alexander, cùm dicit ſe hoc habere à Patribus, ſatis indicat hanc traditionem eſſe quidem antiquiſſimam, ſed non præceptum Divinum.

Inſt. Non licet aliud offerre conſecrandum, quàm quod Chriſtus ipſe conſecravit; ſed Chriſtus conſecravit vinum cum aqua; ergo ex inſtitutione Chriſti aqua eſt neceſſaria.

Reſp. diſt.maj. aliud quoad ſubſtantiam, conc.aliud quoad circumſtantias, & accidentalia,neg.maj. & conſ. Nam mixtio parum aquæ in calice non videtur de ſubſtantia conſecrationis, neque id ita Chriſtus ordinaſſe; alioqui Eccleſia id aliter declaraſſet. Denique ſufficiat nobis Eccleſiæ declaratio de origine hujus præcepti.

CONCLUSIO II.

P*Robabilius eſt, aquam Calicis immediatè fieri vinum, quod convertitur in Sanguinem Chriſti.* Eſt communiſſima inter Scotiſtas, & Thomiſtas, & alios contra quoſdam recentiores, qui putant, aquam cum vino immediatè converti in ſanguinem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui de aqua iſta dicit, quòd

Q 5 quan-

[1] 2. *de bapt.* 7. *&* *l.* 4. *c.* 14. [2] *Ibid.*

quando appoſita eſt, non convertitur in ſanguinem, niſi priùs ſit converſa in vinum; & ita modica eſt apponenda, & ita tempeſtivè, quod ante conſecrationem poſſit converſa fuiſſe in vinum.

Prob. 2. ex Decretali citata, ubi Pontifex dicit:(1) *Verum inter opiniones prædictas illa judicatur probabilior, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*: ſed iſta opinio docet, illam tranſmutationem aquæ cum vino in ſanguinem tunc fieri, *cùm in vinum tranſeat mixta vino*; ergo de mente Pontificis probabilius eſt, aquam immediatè converti in vinum, & mediatè in ſanguinem.

Confir. ex Catechiſmo Romano juſsu Concil. Trident. edito, & à Pio V. confirmato. Nam ibi dicitur, quòd *Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur*: & ideò docet, aquam illam modicam eſſe debere, ut ſc. facilius convertatur in vinum.

Prob. 2. Sola materia Calicis immediatè convertitur in ſanguinem; ſed vinum eſt ſola per ſe materia Calicis, & non aqua; ergo, &c. Prob. min. ex illis Patribus, qui de ſolo vino faciunt mentionem in hoc Sacramento; ut Hieron. [2] *Chriſtus in typo ſanguinis ſui non obtulit aquam, ſed vinum*. Et Auguſt. [3] *Corpus Chriſti, & Sanguinem dicimus illud tantùm, quod de frugibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus*, &c. Et in Concil. Carthagin. III. cit. (4) *Nec amplius in ſacrificio offeratur, quam de uvis, & frumentis*; ergo nihil dicitur de aqua, ut materia neceſſaria Calicis. 2. eadem min. conſtat ex dictis ſupra: nam aqua non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, ſed ex præcepto Eccleſiæ; ergo vinum eſt per ſe ſola materia Calicis conſecrandi. 3. quia id per ſe eſt materia calicis, ſub cujus ſpeciebus conſervatur ſanguis; ſed ſanguis non conſervatur ſub ſpeciebus aquæ, ſed ſolius vini: unde ſi ſpecies aquæ ſepararentur à ſpeciebus vini, aut poſſibile putant Chymici, ſanguis Chriſti non remaneret ſub illis; ergo: &c. Alioqui aqua ſeorſim poſſet conſecrari, ſicut vinum ſeorſim; quod nemo dixerit prꝫter aquarios hæreticos; ergo, &c.

Confir.

[1] *c. cum arte* 5. *quæſt.* [2] *con. Jovin.*
[3] 3. *Trin.* [4] *can.* 24.

Confir. Ex Conc. Trid. [1] definitur, non remanere poſt conſecrationem niſi ſpecies panis, & vini; ergo totum, quod convertitur per conſecrationem, eſt panis, & vinum, non verò aqua; alioquin remanerent etiam ſpecies aquæ; ergo ante converſionem illam aqua fit vinum. Item ex aliis Conciliis, quibus probatur, materiam calicis eſſe vinum de vite; ergo aqua non eſt per ſe materia calicis, nec conſecrabilis, niſi ut facta eſt vinum: nam ante hanc converſionem non eſt vinum de vite, ſed aqua elementaris.

Objic. 1. Vinum non eſt ſola materia calicis, ſed etiam aqua; ergo hæc convertitur immediatè, ſicut & vinum. Prob. ant. ex Conciliis, & Patribus, ex quibus probavimus neceſſitatem mixtionis aquæ: Dicunt enim, aquam offerri, benedici, & conſecrari. *Non debet in Calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri*, ait Alexander I. cit. & ſic de aliis; ergo quando offertur, aut benedicitur, vel conſecratur, eſt adhuc aqua.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam ſufficit illis Patribus, & Conciliis, ut adſit aqua in calice: de modo autem converſionis ejus non diſputant.

Inſt. Patres dicunt, aquam in ſanguinem converti; ſed hoc eſſet falſum, ſi priùs converteretur in vinum; ergo, &c. Prob. maj. Nam inquit Ambroſ. *Ante verba Chriſti calix eſt vino, & aqua plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur*; ergo tam de aqua, quàm de vino dicitur, quòd fiat ſanguis Chriſti.

Reſp. diſt. maj. & ant. converti mediatè, vel immediatè, conced. maj. immediatè, neg. maj. & conſ. & ant. Nam, ut dicebam, non curat Ambroſ. de converſione mediata, vel immediata, modo ſit vera.

Inſt. 2. Juſtinus Martyr dicit: *Etiam poſt conſecrationem Diaconi dant ſingulis, qui adſunt, panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt*; ergo aqua ante conſecrationem non fit vinum; ſed ſemper manent ſpecies aquæ, ſicut & vini.

Reſp. diſt. ant. panem, vinum, aquam, quæ parata fuerant pro conſecratione, conc. quæ poſt conſecrationem exiſtunt panis, vinum, & aqua, neg. antec. & conſeq. Nam Sanctus Martyr vult tantùm illa quæ parata fuerant in ſubſtantia panis, & vini, & a-

Q 6 quæ

[1] *Seſſ. 13. can. 2.*

accidens eſt frequentior in uſu, neg. maj. & conſeq. Nam fermentatus eſt magis in uſu propter ſaporem guſtui magis accommodatum; ſed hoc nihil facit ad ſubſtantiam.

Objic. 2. Uſus panis azymi eſt obſervatio legis Moſaicæ; ſed tales obſervationes Chriſtus abrogavit per Euangelicam; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. abrogavit figurativas ſui adventus, & ſuæ legis, & prout legales erant, conc. alias omnes, neg. min. & conſeq. Uſus panis azymi in Euchariſtia eſt indifferens ad figurationem, & prophetiam, & non adhibetur hìc ex præſcripto legis Judaicæ, ſed Euangelicæ; & ſufficit, quòd Chriſtus in ſui novi agni comeſtione retinere voluerit hunc panem.

Objic. 3. Chriſtus uſus eſt pane fermentato in illa Cœna ultima; ergo & nos uti debemus in eodem ſacramento.

Reſp. neg. ant. ut patet ex præcedenti quæſtione, ubi probatum eſt, Chriſtum hoc Sacramentum inſtituiſſe ad veſperam Lunæ 14. Martii, in qua non licebat Judæis habere fermentatum panem, nequidem domi.

Objic. 4. Olim conſecrabatur in pane à fidelibus oblato; ſed illi non offerebant azymum; ergo, &c.

Reſp. neg. min. quid enim impedit, quin tunc obtulerint azymum pro conſecratione, ſicut & fermentatum pro Clericorum ſuſtentatione?

Inſt. Ebionitæ notati ſunt erroris, quia in azymo celebrabant; ergo tempore illo Eccleſia etiam Latina celebrabat in fermentato; & ita celebrandum putabat. Unde ante Schiſma Photii azyma non erat in uſu apud Latinos; alioqui non omiſiſſent Græci hoc illis exprobrare.

Reſp. neg. ant. Nam Ebionitæ non arguebantur de uſu azymi, ſed de opinione, quòd in hoc eſſet judaizandum; in hoc enim errabant: Et ante Photii tempora Latini utebantur azymo, licèt Græci nondum ſchiſmatici hoc illis non exprobrarent.

Objic. 5. Scotus dicit, [1] Græcos peccare graviter utentes fermentato; ergo ille uſus eſt illis illicitus.

Reſp. neg. ant. Non enim id abſolutè dicit, ſed quaſi dubitanter; ſed id dicit propter non conformitatem

cum

[1] *ibid. C. n. 7.*

cum Latinis, & defectu ſolidi fundamenti ad diſcedendum ab uſu Eccleſiæ Romanæ. *Forte etiam graviter peccant Græci, qui non ſe conformant Eccleſiæ Petri, cùm hic habeatur fundamentum ſolidum, quod ſit: Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum, ad minùs licet non neceſſario, quin aliter fieri poſſit, tamen ſic magis congruè celebratur.* Vides, quòd poſitivè non aſſerit peccatum, niſi fortè propter non conformitatem cum Latinis.

Quæres 1. *An panis ex diverſis ſpeciebus granorum, v. gr. frumenti, avenæ, hordei, &c. ſit materia apta conſecrationi.*

Reſp. ſi adeo prævaleat copia frumenti, ut panis cenſeatur abſolutè triticeus, ſufficiet; ſi verò prævaleat avena, ita ut potiùs cenſeatur panis avenæ, non ſufficit.

Prob. 1. p. quia ex mente Conciliorum, & Patrum ſufficit panis uſualis, & æſtimatus communiter triticeus, & ſi quælibet mixtura ſeminum alienorum hoc impediret, difficillima eſſet certitudo hujus panis; quia difficilis, & rara eſt tanta frumenti puritas ſine ulla mixtione.

Prob. 2. p. quia ſi prævalerent alia ſemina, non eſſet panis ille, quem exigit hoc Sacramentum ex mente Eccleſiæ: non eſſet panis ex tritico, ſeu *ex adipe frumenti.*

Unde ſequitur, non valere panem ex hordeo, millio, oriza, ſiliquis, &c. quia non ſunt triticum, nec ſpecies tritici in communi æſtimatione.

Aliud eſt de ſiligine, quam multi cenſent ſpeciem tritici; ſed tamen ſatius eſſet tali pane non uti.

Quæres 2. *Quid de pane confecto ex lacte, butyro, melle, aqua roſacea, & aliis liquoribus, an debeat eſſe ex pura farina triticea, & aqua naturali.*

Reſp. rem eſſe dubiam; quia panes illi non ſunt uſuales, & ſatius eſſet ab illis abſtinere; nullusque eſt certò ſufficiens præter panem ex aqua naturali confectum.

Quæres 3. *Quid de maſſa cruda paſtæ, aut aqua elixa, aut frixa in oleo, vel butyro?*

Reſp. maſſam illam non eſſe propriè panem, ſicut nec illas alias materias; & ideo non ſufficiunt.

Quæres 4. *Quid de amido?*

Reſp. cùm Scoto. [1] *Cùm certum ſit, farinam tritici purgatam ſecundum communem purgationem eo modo, quo piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam convenientem ad faciendum panem conſecrabilem; & cùm dubium ſit, an amidum ſit hujuſmodi materia, & pars negativa multis ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio*, &c.

CONCLUSIO III.

M*Ateria conſecrationis in calice eſt vinum de vite, cum aqua modica.* Eſt communiſſima inter Catholicos contra Armenos, & Hæreticos hujus temporis, qui nolunt iſtam mixtionem aquæ.

Prob. ex Scoto. [2] *Dico, quòd vinum artificiale, ſive quodcumque aliud vinum, quod non eſt vinum vitis, ver. grat. vinum pomorum, & hujuſmodi non eſt vinum, niſi ſecundum quid, & æquivoce: unde nullum tale eſt aptum conſecrationi in ſanguinem*; ergo, &c.

Prob. 2. ex Concilio Florentino cit. [3] & Carthaginenſi: [4] prohibet enim, aliud offerri in Sacramentis, *quam quod Dominus ipſe tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquæ mixtum*: & ex Liturgia S. Jacobi: *Similiter & calicem, poſtquam cænavit, accipiens, & permiſcens ex vino, & aqua*: & S. Martii, *Factaque vini, & aquæ commixtione*: & S. Baſilii, *Et cùm calicem ex genimine vitis accepiſſet, miſcuiſſet*, &c.

Confir. ex SS. Patribus, ex Alexandro I. [6] qui ante 1500. annos florebat: *Non debet, ut à Patribus accepimus, & ipſa ratio docet, in calice Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed utrumque permixtum*. Idem colligitur ex Innocentio III. cap. *in quadam*: [6] ex Damaſceno, *Chriſtus calicem ex vino, & aqua tradidit*, &c.

Prob. 3. ex inſtitutione Chriſti, qui in vino tali conſecravit: ideo dixit, [7] *Non bibam amodo de hoc genimine vitis*.

Prob. denique cum Scoto ex congruentiis: Nam inquit:

[1] *ibid*. 4. [2] *ibid. p. 2. A ſeu q. 7. n. 1.* [3] *can.* 32. [4] *can.* 32. [5] *Epiſt. ad Orthodox.* [6] *De celebr. Miſſ.* [7] *Matth.* 26. *& Marc.* 14.

quit: 2. *pars principalis nutritionis, ideſt potus, principaliter conſiſtit in vino, ut potu principali*; ergo cum hoc ſacramentum ſignificet convivium ſpirituale, aptius repræſentatur in vino de vite, quod eſt abſolutè, & propriè vinum, quàm in alio ullo liquore, etiam potabili.

Prob. ſpecialiter quoad mixtionem aquæ, tum ex auctoritatibus citatis, tum ex congruentiis; ver. gr. quia, ut vidimus, creditur Chriſtum ſic miſcuiſſe in ipſa inſtitutione Sacramenti: *Miſcuit vinum*, (inquit Eccleſia) 2. in memoriam ſanguinis, & aquæ fluentis ex latere Chriſti. 3. ſignificatur unio populi Chriſtiani cum Chriſto capite, &c.

Objic. 1. Euchariſtia figuratur in ſacrificio Melchiſedech; ſed iſte non dicitur obtuliſſe niſi vinum; ergo ita debet eſſe in Euchariſtia.

Reſpon. diſt. maj. figuratur ſecundum ſubſtantiam, conc. ſecundum omnes circumſtantias, neg. major. & conſ. Non enim eſt neceſſe, ut figuratum conformetur figuræ in omnibus circumſtantiis; ſufficit conformitas in ſubſtantialibus. Unde licèt admittatur, quòd Melchiſedech obtulit vinum prorsùs purum, de quo non conſtat certò, adhuc reſtaret ſufficiens conformitas hujus ſacrificii cum illo; quia mixtio parum aquæ non impedit, quin dicatur offerri vinum.

Objic. 2. Iſaias exprobrat Judæis, quòd vino eorum miſceatur aqua; ergo à fortiori improbanda eſt in calice talis mixtio. Prob. ant. *Vinum tuum mixtum eſt aqua*.

Reſp. diſt. ant. quando mixtio fit in fraudem ementium, conc. quando fit ad temperantiam, vel ex obedientia, neg. ant. Nam hìc non miſcetur in fraudem, ſed ex obedientia, præcepto, vel ex imitatione Chriſti. Iſaias etiam loquitur ibi myſticè de vino pro doctrina Scripturæ Sacræ, cui miſcebant doctrinam Philoſophiæ profanæ, ut notat Hugo Card. Sapiens invitat, [1] *bibite vinum, quod miſcui vobis*. Et Sapientia: *Miſcuit in cratere vinum*.

Objic. 3. Chriſtus non miſcuit vinum calicis, quem conſecravit; ergo nec nos miſcere debemus; quia eſt contra inſtitutionem. Prob. ant. 1. ex S. Chryſoſt. [2] qui hoc negat. Et ex Innocét. III. de celebr. Miſſ. Can.

[1] *Prov*. 9. [2] *hom*. 88. *Matth*.

in quadam; ubi negat mixtionem hanc probari per aquam, quæ ex latere Chriſti fluxit; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam Chryſoſt. ibi loquitur contra *aquarios, qui pura aqua in myſteriis utebantur*; & Innocentius negat mixtionem illam inferri ex fluxu lateris Chriſti, quia non aquam, ſed flegma emiſit; non autem negat eam inferri aliunde.

Sequitur autem ex dictis in hac concluſione 1. quòd vinum ſive album, ſive rubrum, aut nigrum nihil refert, quia tota differentia hæc eſt in colore, & omnia ſunt ex vite.

2. Vina frugum, v. g. malorum granatorum, aut pomorum, &c. non eſſe materiam conſecrabilem in calice; quia non ſunt propriè, ſed æquivocè vina.

3. Nec uvarum grana, quantumvis matura, ſed ſuccum, ſeu vinum, aut ſaltem muſtum expreſſum; quia uvæ in granis ſunt potius comeſtibiles, quàm potabiles.

Dico, *muſtum*; nam licèt ſatius ſit vinum poſt expreſſionem purgari, & concoqui; tamen Sacri Canones in caſu neceſſitatis non videntur improbare muſtum in ipſo calice expreſſum ex racemis, ſi neceſſe fuerit: *Botrus in calice comprimatur*, cap. *Didicimus*, [1] & ſeq.

4. Loram, nec cerviſiam, nec acetum, nec agreſtum, ſeu omphacium non eſſe conſecrabilia; quia lora, & cerviſia ſunt ex aqua ſola; & acetum non eſt ampliùs vinum, & agreſtum non eſt adhuc vinum, ſed ſuccus racemi immaturi.

Quæri ſolet *de vino congelato*; & tenetur magis communiter, illud poſſe conſecrari; quia vinum congelatum eſt ſemper vinum, & potabile ex natura ſua, licèt debeat diſſolvi; nec per congelationem corrumpitur; & ſi poſt conſecrationem congelentur ſpecies, adhuc remanet ſub illis ſanguis Chriſti.

[1] *de conſecr. diſt. 2.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An mixtio aquæ in calice ſit de neceſſitate Sacramenti. Et an aqua immediatius convertatur in vinum, quam in ſanguinem.

CErtum eſt, quòd qui ſcienter omitteret infundere aquam in calicem, graviter peccaret; quia faceret contra Rubricas in re gravi: ſed quæſtio eſt, an verè conſecraret, ita ut illa mixtio aquæ in vinum ſit neceſſaria ad valorem Sacramenti.

Quantùm ad 2. par. quæſtionis legimus ex Innocentio III. c. *Quæſiſti*, (1) tres olim fuiſſe opiniones de conſecratione aquæ in Calice. 1. dicebat vinum converti in ſanguinem, & aquam mutari in illam, quæ cum ſanguine fluxit de latere Chriſti. 2. dicebat, aquam priùs converti in vinum, & cum illo converti in ſanguinem. 3. Aquam remanere in ſua ſubſtantia cum ſanguine Chriſti ſub ſpeciebus vini. Et ipſe Pontifex inclinat in 2. opinionem, quæ dicit, aquam prius converti in vinum, & cum vino in ſanguinem. Idem referunt, & in idem inclinant SS. Bonaventura, & Thomas, (2) & Doctor Subtilis, ut mox videbimus: ſed tamen currit 4. opinio, docens aquam immediatè converti in ſanguinem Chriſti, ſicut & vinum.

CONCLUSIO I.

M*Ixtio aquæ in vino calicis non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti Eccleſiaſtici.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [3] *Græci non apponunt aquam, ut dicit Innocentius de officio miſſæ; eſt tamen de neceſſitate miniſtri propter præceptum Eccleſiæ; & etiam Chriſtus vinum, cum quo fuit aqua mixta, conſecravit.*

Prob. 2. ex Conciliis. Nam Florentinum [4] docet, *admiſcendam modicam aquam, & hoc debere facere Armenos, ut ſe Eccleſiæ conforment; ergo non ex neceſſitate ſacramenti, ſed ſolius præcepti Eccleſiaſtici*. Idem colligitur ex Trident. [5] ubi monet S. Synodus, *præ-*

Q 4 ce-

[1] *de celebr. miſſ.* [2] *q. 74. n. 8.*
[3] *Ibid. q. 7. B. n. 2.* [4] *litt. union.* [5] *ſeſſ. 22. c. 7*

ceptum eſſe ab Eccleſiæ ſacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miſceant, &c. ergo ex illis Conciliis neceſſitas hujus mixtionis petitur ex ſolo præcepto, & quidem humano Eccleſiaſtico.

Prob. 3. Id non eſt de neceſſitate ſacramenti, ſine quo poteſt eſſe Sacramentum; ſed hoc poteſt eſſe ſine aqua; ergo, &c. Prob. min. Nam Armeni, & Græci, ut multi docent, non apponunt aquam in Calice; & tamen Eccleſia putat eos validè conſecrare; ergo, &c. Pr. ant. ex Concil. Flor. cit. quod, ut ſuadeat Armenis hanc mixtionem, non adducit aliud argumentum, aut motivum, quàm conformitatem cum univerſali Eccleſia, quæ ab initio ſic ſervavit, & modo ſervat: *Decernimus igitur, ut etiam ipſi Armeni ſe cum univerſo orbe Chriſtiano conforment, eorumque ſacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino*; & de Græcis id docet Scotus cit. ex Innocentio Tertio. (1)

Prob. 3. Nam ſi hæc mixtio eſſet de præcepto Divino, invalidè conſecraretur ſine illa; & ſic illa eſſet de neceſſitate ſacramenti: ſed conſ. eſt falſum, ut patet ex Conciliis cit. ergo, &c.

Prob. 4. quia nullibi conſtat de alia neceſſitate, quàm præcepti purè Eccleſiaſtici; ergo non alia eſt. Antec. patebit ſolutione objectionum.

Objic. 1. ex Concilio Carthaginenſi cit. *Nihil aliud in ſacramentis Corporis, & Sanguinis Domini offertur, quam ipſe Dominus tradidit, hoc eſt panis, & vinum aquæ mixtum*. Et ex Conſtantinop. VI. *Si quis Epiſcopus, vel Presbyter non ſecundum traditum ab Apoſtolis ordinem facit, & aquam vino non miſcet .... deponatur*; ergo illa mixtio aquæ eſt de inſtitutione Apoſtolica, & Divina.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt hanc mixtionem Chriſtus ipſe fecerit, & Apoſtoli tradiderint, non ſequitur, quòd id præceperit quaſi de neceſſitate Sacramenti; ſicut ex hoc, quòd conſecraverit in pane azymo, vel fermentato, non ſequitur conſecrari non poſſe alium, quàm quem ipſe conſecravit.

Inſt. S. Cyprianus dicit, mixtionem eſſe divinum mandatum, & traditionem Apoſtolicam; ergo eſt de jure divino, & ſic de neceſſitate ſacramenti.

Reſp.

[1] *in Decreto*.

Reſp. neg.conſ.quia S. Cyprianus dicere potuit contra aquarios, qui puram aquam offerebant, & contra Ebionitas, qui nullam adhibebant, Chriſtum conſecraſſe vinum aqua mixtum; nec propterea id aſſeruit præceptum fuiſſe, ſed exemplum: nec enim omnia, quæ fecit Chriſtus, ſunt nobis de præcepto, ut dicebamus de pane. Denique credere potuit Cyprianus eſſe præceptum divinum; nec tamen ita credunt Concilia citata, nec cæteri Patres, & Theologi.

Objic.2. ex Auguſtino: [1] *Quæ in Eccleſia perpetuò ſervantur, nec probantur primitùs conſtituta ab aliquo Concilio, vel Eccleſiæ præcepto ordinata, credendum eſt à Chriſto fuiſſe ordinata:* ſed de hac mixtione nullibi conſtat, eam eſſe præceptam: ergo eſt à Chriſto.Prob. min. Nam Alexander I. dicit, eam à Patribus traditam: & Concilium Carthaginen. traditionem ejus tribuit Apoſtolis; ergo, &c.

Reſp.neg. min. Nam ex Conciliis, & rationibus dictis ſatis conſtat de præcepto Eccleſiaſtico. Et ipſe Alexander, cùm dicit ſe hoc habere à Patribus, ſatis indicat hanc traditionem eſſe quidem antiquiſſimam, ſed non præceptum Divinum.

Inſt. Non licet aliud offerre conſecrandum, quàm quod Chriſtus ipſe conſecravit; ſed Chriſtus conſecravit vinum cum aqua; ergo ex inſtitutione Chriſti aqua eſt neceſſaria.

Reſp. diſt.maj. aliud quoad ſubſtantiam, conc.aliud quoad circumſtantias, & accidentalia,neg.maj. & conſ. Nam mixtio parum aquæ in calice non videtur de ſubſtantia conſecrationis, neque id ita Chriſtus ordinaſſe; alioqui Eccleſia id aliter declaraſſet. Denique ſufficiat nobis Eccleſiæ declaratio de origine hujus præcepti.

CONCLUSIO II.

P*Robabilius eſt, aquam Calicis immediatè fieri vinum, quod convertitur in Sanguinem Chriſti*. Eſt communiſſima inter Scotiſtas, & Thomiſtas, & alios contra quoſdam recentiores, qui putant, aquam cum vino immediatè converti in ſanguinem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui de aqua iſta dicit, quòd

Q 5 quan-

[1] 2. *de bapt.* 7. *&* *l.* 4. *c.* 14. [2] *Ibid.*

quando appoſita eſt, non convertitur in ſanguinem, niſi priùs ſit converſa in vinum; & ita modica eſt apponenda, & ita tempeſtivè, quod ante conſecrationem poſſit converſa fuiſſe in vinum.

Prob. 2. ex Decretali citata, ubi Pontifex dicit: (1) *Verum inter opiniones prædictas illa judicatur probabilior, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem transmutari*: ſed iſta opinio docet, illam transmutationem aquæ cum vino in ſanguinem tunc fieri, *cùm in vinum tranſeat mixta vino*; ergo de mente Pontificis probabilius eſt, aquam immediatè converti in vinum, & mediatè in ſanguinem.

Confir. ex Catechiſmo Romano juſſu Concil. Trident. edito, & à Pio V. confirmato. Nam ibi dicitur, quòd *Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententia, & judicio aqua illa in vinum convertitur*: & ideò docet, aquam illam modicam eſſe debere, ut ſc. facilius convertatur in vinum.

Prob. 2. Sola materia Calicis immediatè convertitur in ſanguinem; ſed vinum eſt ſola per ſe materia Calicis, & non aqua; ergo, &c. Prob. min. ex illis Patribus, qui de ſolo vino faciunt mentionem in hoc Sacramento; ut Hieron. [2] *Chriſtus in typo ſanguinis ſui non obtulit aquam, ſed vinum.* Et Auguſt. [3] *Corpus Chriſti, & Sanguinem dicimus illud tantùm, quod de frugibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ritè ſumimus*, &c. Et in Concil. Carthagin. III. cit. (4) *Nec amplius in ſacrificio offeratur, quam de uvis, & frumentis*; ergo nihil dicitur de aqua, ut materia neceſſaria Calicis. 2. eadem min. conſtat ex dictis ſupra: nam aqua non eſt de neceſſitate hujus Sacramenti, ſed ex præcepto Eccleſiæ; ergo vinum eſt per ſe ſola materia Calicis conſecrandi. 3. quia id per ſe eſt materia calicis, ſub cujus ſpeciebus conſervatur ſanguis; ſed ſanguis non conſervatur ſub ſpeciebus aquæ, ſed ſolius vini: unde ſi ſpecies aquæ ſepararentur à ſpeciebus vini, aut poſſibile putant Chymici, ſanguis Chriſti non remaneret ſub illis; ergo &c. Alioqui aqua ſeorſim poſſet conſecrari, ſicut vinum ſeorſim; quod nemo dixerit præter aquarios hæreticos; ergo, &c.

Confir.

[1] *c. cum arte 5. quæſit.* [2] *con. Jovin.*
[3] *3. Trin.* [4] *can. 24.*

Confir. Ex Conc. Trid. [1] definitur, non remanere poſt conſecrationem niſi ſpecies panis, & vini; ergo totum, quod convertitur per conſecrationem, eſt panis, & vinum, non verò aqua; alioquin remanerent etiam ſpecies aquæ; ergo ante converſionem illam aqua fit vinum. Item ex aliis Conciliis, quibus probatur, materiam calicis eſſe vinum de vite; ergo aqua non eſt per ſe materia calicis, nec conſecrabilis, niſi ut facta eſt vinum: nam ante hanc converſionem non eſt vinum de vite, ſed aqua elementaris.

Objic. 1. Vinum non eſt ſola materia calicis, ſed etiam aqua; ergo hæc convertitur immediatè, ſicut & vinum. Prob. ant. ex Conciliis, & Patribus, ex quibus probavimus neceſſitatem mixtionis aquæ: Dicunt enim, aquam offerri, benedici, & conſecrari. *Non debet in Calicem Domini aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri*, ait Alexander I. cit. & ſic de aliis; ergo quando offertur, aut benedicitur, vel conſecratur, eſt adhuc aqua.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam ſufficit illis Patribus, & Conciliis, ut adſit aqua in calice: de modo autem converſionis ejus non diſputant.

Inſt. Patres dicunt, aquam in ſanguinem converti; ſed hoc eſſet falſum, ſi priùs converteretur in vinum; ergo, &c. Prob. maj. Nam inquit Ambroſ. *Ante verba Chriſti calix eſt vino, & aqua plenus; ubi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur*; ergo tam de aqua, quàm de vino dicitur, quòd fiat ſanguis Chriſti.

Reſp. diſt. maj. & ant. converti mediatè, vel immediatè, conced. maj. immediatè, neg. maj. & conſ. & ant. Nam, ut dicebam, non curat Ambroſ. de converſione mediata, vel immediata, modo ſit vera.

Inſt. 2. Juſtinus Martyr dicit: *Etiam poſt conſecrationem Diaconi dant ſingulis, qui adſunt, panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt*; ergo aqua ante conſecrationem non fit vinum; ſed ſemper manent ſpecies aquæ, ſicut & vini.

Reſp. diſt. ant. panem, vinum, aquam, quæ parata fuerant pro conſecratione, conc. quæ poſt conſecrationem exiſtunt panis, vinum, & aqua, neg. antec. & conſeq. Nam Sanctus Martyr vult tantùm illa quæ parata fuerant in ſubſtantia panis, & vini, & a-

[1] Seſſ. 13. can. 2.

quæ diſtribui poſt conſecrationem converſa in ſubſtantiam Chriſti remanentibus ſpeciebus, non ſingulis formaliter, ſed principalioribus, ut ſunt ſpecies panis, & vini.

Objic. 2. Non poſſet aliquando vinum aquam in ſe convertere vel propter nimiam quantitatem aquæ, vel propter brevitatem temporis inter infuſionem, & conſecrationem: ergo converſio aquæ in vinum non eſt vera, aut ſaltem eſt rariſſima; ergo magis ordinariè converſio aquæ in ſanguinem eſt immediata. Prob. ant. 1. quia Conc. Triburienſe [1] volebat in calice duas partes vini, & unam aquæ, & tunc non ſufficeret virtus vini ad converſionem aquæ: & fortè ita fecit Chriſtus ex temperantia, & quidem immediatè ante conſecrationem. 2. contingit ſæpè caſus, in quo immediatè poſt infuſionem materiæ calicis, aut aquæ profertur forma conſecrationis: v. g. ſi inſtante conſecratione recordetur ſe non appoſuiſſe aquam, aut vinum: ergo ſæpè non fit converſio aquæ in vinum propter nimiam quantitatem ejus, aut propter brevitatem temporis.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam licèt aliquando poſſet fieri, ut tota aqua non ſit converſa in vinum, & deinde in ſanguinem, ſufficit, quod totum vinum ſit converſum, ut fiat Sacramentum. 2. quod dicitur de Concilio Triburienſi, non fecit legem univerſalem, ſicut nec Concilium fuit generale; & habemus generaliora, quibus præcipitur, ut ponatur modica aqua. 3. quod dicitur de Chriſto incertum eſt: quia non ex motivo temperantiæ ſic agebat, ſed myſterii, & charitatis: & inter infuſionem calicis, & conſecrationem mediarunt cœremoniæ, & benedictiones; & ipſe potuit augere activitatem vini, & ſupplere defectum temporis.

Inſt. In illis caſibus, in quibus aqua nondum eſſet facta vinum, vel illa converteretur in ſanguinem cum vino, vel remaneret cum ſpeciebus vini; ſi 1. ergo aqua eſt convertibilis immediatè, & conſecrabilis, & id fieret ſemper: ſi 2. ergo falſa eſset forma conſecrationis; & non deberet totus calix adorari; ſed neutrum eſt admittendum; ergo, &c.

Reſpon. neg. min. quia dici poſſet tunc aquam non trans-

[1] *cap.* 19.

tranſire in ſanguinem, ſed manere prioris vini accidentibus circumfuſam, ut dicebant quidam apud Innocentium III. cit. & neg. ſeq. prob. quoad utramque partem. 1. enim forma conſecrationis calicis cadit tota in vinum, & non in alium liquorem, & ſufficit, quod totum vinum conſecretur. 2. non offertur populo adorandum; nec iſte intendit adorare aliud, quam ſanguinem Chriſti: & ſic nullum eſt inconveniens in neutra ſequela. Idem dicendum eſſet de pane, caſu quo aliqua ejus particula eſſet de granis avenæ, aut milii, aut alterius ſpeciei inconſecrabilis: illæ enim particulæ manerent inconſecratæ; & tunc eadem objicerentur, quæ nunc de vino objiciuntur.

Inſt. 2. Si in aliquo caſu conſecraretur vinum ſine aqua, Sacerdos hauriens calicem frangeret jejunium naturale neceſſarium ad ſumptionem Euchariſtiæ; & ita ſi hoc contingeret in prima trium miſſarum diei Nativitatis, Sacerdos non poſſet alias celebrare, aut celebraret eas non jejunus; ſed hoc eſt inconveniens, & contra præceptum; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Nullum enim ibi eſt inconveniens. Nam vel Eccleſia, quæ omnino præcipit mixtionem aquæ propter myſticas ejus ſignificationes, diſpenſat tunc a præcepto jejunii naturalis; vel non prætendit jejunium ad Euchariſtiæ ſuſceptionem requiſitum ſolvi per bibitionem talis aquæ cum ſanguine.

Objic. 3. Aqua naturaliter eſt inconvertibilis; eſt enim corpus ſimplex, quod non poteſt tranſire in mixtum; unde per artem chimicam poteſt ſeparari a vino, cui miſcetur; ergo in calice non convertitur.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nam illa converſio nulla ratione repugnat, ut docent meliores Philoſophi; ergo, &c.

Inſt. Si aqua converteretur in vinum, iſtud per infuſionem aquæ non debilitaretur; ſed conſ. eſt falſum, & contra experientiam; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam omne agens agendo repatitur, & debilitatur; & ita eſt de vino, cum agit in aquam, ut eam convertat, debilitatur per qualitates ſibi formaliter, aut virtualiter contrarias.

Objic. 4. Concilia requirunt ad conſecrationem vinum de vite; ſed vinum, quod fieret ex aqua per il-

Iam converſionem non eſſet tale ; ergo illud non tranſiret in ſanguinem.

Reſp. neg. min. Nam ſicut vinum convertens eſt de vite ; ita & converſum fit vinum ejuſdem ſpeciei, ſc. de vite ; ſicut aer converſus in ignem eſt ignis ; & panis converſus in carnem hominis fit caro humana.

Dixi autem *probabilius eſſe*, &c. non enim opiniones aliæ, & maxime illa, quæ docet converſionem immediatam aquæ in ſanguinem cum vino, ſunt improbabiles, & a graviſſimis Theologis docentur hodie. Dici tamen poteſt aliquo modo nova: nam de illa non fit mentio in illa Decretali Innocentii III. ut patuit ex initio quæſtionis. Regnabat vero hic Papa circa an. 1198. ad 1216.

QUÆSTIO III.

An conſecratio ſub utraque ſpecie ſit de neceſſitate ſacramenti. Et quænam requirantur conditiones ex parte materiæ ad conſecrationem.

QUidam olim, ut refert Innocentius III. [1] putaverunt invalidam eſſe conſecrationem unius ſpeciei ſine alia ; & de hoc 1. quæritur hic : & 2. quæritur, an, & qualiter materia conſecranda præſens eſſe debeat Sacerdoti. Et an determinata ſit ejus quantitas ſive in magnitudine, ſive in parvitate.

Loquimur autem hic de conſecratione ; nam de communione ſub una, vel utraque ſpecie dicemus poſtea. Unde hoc ſpecialiter ſpectat ad ſacerdotem, non ad ſuſcipientem.

CONCLUSIO I.

UTraque materia, ſeu ſpecies in conſecratione eſt neceſſaria, non neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti non ſolum Eccleſiaſtici, ſed etiam divini. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto [2] dicente, jure non ſolum Eccleſiaſtico, ſed & divino prohiberi diviſionem hujus Sacramenti: *imo ipſa diviſio prohibetur a Chriſto* ; ergo, &c.

Prob.

[1] *l. 4. de offic. miſſæ c. 23.* [2] *d. 8. q. 3. F. n. 7.*

Prob.2. quoad 1. p. Nam Chriſtus creditur conſecraſſe panem ſolum in Caſtello Emmaus coram duobus diſcipulis: & certum eſt, quod in cœnaculo conſecravit panem ſeorſim a vino; & ita fit ordinarie in Eccleſia, ita ut panis oſtendatur adorandus, antequam vinum conſecretur; & ſi ſacerdos poſt conſecrationem panis moreretur, aut muteſceret, aut ſi proferret verba ſuper aquam putans ineſſe vinum, adhuc panis maneret conſecratus; ergo poteſt conſecrari unum ſine alio. 1. p. ant. patet ex Patribus. Nam id videtur innuere Theophylactus dicens, [1] *Communicantibus panem conſecratum aperiuntur oculi ad cognoſcendum Chriſtum: caro enim Domini vim habet magnam*, &c. Idem innuit Auguſt. *Dominus Noſter J. C. ante panis fractionem ignotus loquitur cum hominibus; in panis fractione cognoſcitur, quia ibi percipitur, ubi vita æterna participatur.* Certe cum diſparuit, non tetigerat adhuc vinum, ut patet ex Euangelii textu.

Confir: quia panis conſecratus conſervatur ſine calice, ut fides docet; ergo & poteſt conſecrari vere, & valide ſine calice.

Prob.2. p. ex Scoto, [2] qui ſic utrumque præceptum aſſerit loquens de obligatione conficiendi, & percipiendi utrumque: *Iſte ergo neceſſario tenetur ex inſtitutione Chriſti, & propter integritatem ſacramenti conficere ſanguinem, & ex ſtrictiſſimo præcepto Eccleſiæ, ſub pœna repulſæ, uno anno tenetur conſecratum percipere.*

Prob.2. pars de præcepto Eccleſiæ: nam cap. *Comperimus*, & cap. *Relatum* præcipitur ſacerdotibus, ut *ſacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, quia diviſio ſacramenti ſine magno ſacrilegio non poteſt provenire*. Idem patet ex Conciliis Florentino, & Tridentino citatis. Et conſtat ex perpetua praxi Eccleſiæ, & maxime quia potius dipenſat in præcepto de jejunio prævio ad Euchariſtiam percipiendam, quam a præcepto iſto de integrando hoc Sacramento, & ſacrificio: Jubet, ut qui inadvertenter ſumpſerit aquam, putans eſſe vinum conſecratum, reponat vinum, quod conſecret, & conſecratum ſumat.

Prob. 3. p. de præcepto divino. Quod Chriſtus fecit,

[1] *Luc.24.ſer.146.* [2] *Ibid.* [3] *1. de conſecr.*

tit, & inſtituit in ſacramentis, pendet ex præcepto divino; ſed Chriſtus inſtituit, & fecit in Euchariſtia, ut conficiatur in utraque ſpecie: [1] *Accepto pane*, &c. *Similiter & calice* &c. Addit, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo, &c.

Confir. ex Trident. [2] *Corpus, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri, ac ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit, & eiſdem, eorũque ſucceſſoribus in ſacerdotio ut offerrent præcepit per hæc verba, hoc facite.* &c. ergo de mente Concilii conſecratio in utraque ſpecie eſt de neceſſitate præcepti divini.

Objic.1.De neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ eſt, ut habeat eſſentiam ſacrificii; ſed non habet rationem ſacrificii, niſi ſub utraque ſpecie: non enim eſt immolatio ſine effuſione ſanguinis; ergo nec Sacramenti.

Reſp. diſt.maj. de neceſſitate præcepti divini, & ex ratione extrinſeca Sacramenti, conc. ex ratione intrinſeca, & præciſo præcepto, neg. maj. & conſ. Nam Chriſtus revera voluit Euchariſtiam confici in utrũque finem, ſed non ita ut unum ſine alio non poſſet conſecrari, nec fieri ſub ratione ſola Sacramenti.

Reſp.2. diſt. min. non habet rationem ſacrificii integri, con. ſacrificii partialis, neg.min. Nam hæ duæ partes ſacrificii non ſunt eſſentiales, ſed integrales; & ideo valet ſub alterutra quoad eſſentiam, ut patet ex dictis.

Objic. con.3.p. Eccleſia diſpenſat, ut ſub unica ſpecie fiat conſecratio; ergo ut fiat ſub utraque non eſt de jure divino; quia in hoc jure illa non diſpenſat. Prob. ant. 1.quia in feria ſexta Paraſceves Sacerdos ſacrificat in ſolo pane ſacrificato die præcedenti,&ſumit vinum non conſecratum, & tamen intendit ſacrificare; dicit enim, [3] *orate fratres, ut meum, ac veſtrum ſacrificium*, &c. 3. ex Conciliis Trullano, ſeu Conſtantinopolitano quiniſexto, & Laodiceno [4] prohibebatur conſecratio certis diebus quadrageſimæ, ſed ſumebatur panis antea conſecratus. 3. Volateranus ſcribit: *Diſpenſatur ab Innocentio VIII. cum Norvegiis, ut in ſolo pane conſecrent propter inopiam vini*; &c.

[1] *Luc.22.* [2] *Seſſ.22.cap.2.*
[3] *cap.52.* [4] *can.49.*

&c. Sed iſtud non potuiſſet decerni, vel diſpenſari, ſi ſub divino præcepto neceſſaria crederetur conſecratio in utraque ſpecie; ergo, &c.

Reſp.neg.ant.& ad probationem 1. n. in Paraſceve ſacrificari; ſed tantum eo die ſumitur panis pridie conſecratus; & illa ſumptio dicitur ſacrificium improprie, quatenus ſumuntur reliquiæ ſacrificii præcedentis. Ad 2. negatur etiam, illos Canones loqui de pane Euchariſtico, ſed tantum de pane benedicto, quem vocant *præſanctificatum*, ex quo fiebant ſacra miniſteria. Ad 3. non creditur quoad hanc diſpenſationem Volaterano; quia nulla de hoc alibi apparet mentio; nec probabile eſt, in Norvegia, vel ulla orbis parte tantam eſſe inopiam vini, quod ad hoc ſacrificium non ſufficiat: ita reſpondet noſter Gavatius. (1)

Objic. 2. Manducatio ſub unica ſpecie non eſt illicita; ergo nec conſecratio: nam plus eſt manducare, quam conſecrare; quia conſecratio ad manducationem ordinatur.

Reſp. diſt. ant. non eſt illicita in ſuſcipiente laico, ſeu non ſacerdote, con. in conſecrante, neg. ant. & ratio petitur ex voluntate Chriſti, quam talem agnoſcit Eccleſia. Ideo Sacerdos tenetur & conſecrare, & manducare in utraque ſpecie.

CONCLUSIO II.

Materia conſecrationis debet eſſe præſens ſacerdoti, ſaltem moraliter, adeo ut ſecundum communem ſenſum illa cenſeatur deſignari per verba conſecrationis, hoc eſt corpus, hic eſt calix, &c. Eſt communis.

Prob.ex Scoto. *Nam in forma conſecrationis ly, hoc, non demonſtrat niſi ſingulare entis, quod eſt notiſſimum ſenſui, & intellectui .... Fit autem demonſtratio partim ad ſenſum, ut quantum ad ſpecies continentes Corpus Chriſti, partim ad intellectum, ut quoad Corpus Chriſti, quod eſt contentum ſub illis ſpeciebus* &c. ergo ſpecies ex Scoto [2] debent eſſe præſentes ſenſui, ut vera ſit forma conſecrationis, & per conſequens ut valida ſit conſecratio.

Prob.2.quia de neceſſitate Sacramenti eſt, ut forma ver-

[1] *diſp.7.n.44.& 48.K.* [2] *in Repor.d.8.q.2.n.13.*

verborum verificetur circa materiam, circa quam applicatur, ut in ea operetur quod ſignificat; ſed niſi ita panis, & vinum ſint præſentia ſufficienter, ut dicitur in concluſione, verba conſecrationis non habent verum, & proprium ſenſum juxta moralem æſtimationem; ergo, &c. Prob. min. Nam hæc verba in hominum ſana, & communi æſtimatione important quandam præſentiam, & propinquitatem localem, & notitiam ſenſuum: nam pronomina illa *hoc*, & *hic* ſunt demonſtrativa rei, de qua enuntiantur, ut præſentis loquenti, & maxime cum ſumuntur ſubſtantive, ut in hoc Sacramento; ergo, &c.

Confir. Nam, ut dicemus, hæc pronomina duo ſignificant, 1. rem ſingularem, ſeu *ſupponunt pro ſingulari entis* (inquit Doctor) [1] & 2. præſentiam ejus localem, quæ percipiatur per aliquem ſenſum; quia hoc Sacramentum perficitur in materia ſenſibili, & demonſtrabili per pronomen, *hoc*.

Non tamen neceſſe eſt, ut tangatur, aut præ manibus habeatur; alioqui vinum, quod non tangitur, non poſſet conſecrari; & quando in pixide apponuntur plurimæ particulæ, illæ, quæ non videntur, aut non tanguntur, non poſſent ita conſecrari: quod eſt contra praxim Eccleſiæ. Quanta autem debeat eſſe propinquitas localis, non eſt facile determinare; id pendet a communi ſenſu, ſecundum quem poſſunt verificari verba conſecrationis. De quo ex profeſſo ſingulos caſus, in quibus conſecratio eſt valida, aut invalida, expendunt Caſuiſtæ: nobis non vacat his diutius inhærere, quæ non ad ſpeculationem, ſed ad praxim ſpectant.

CONCLUSIO III.

Materia conſecranda debet neceſſario eſſe determinata in intentione ſacerdotis, dum profert verba conſecrationis.

Prob. 1. ex Scoto mox cit. [2] Nam niſi materia ſit determinata, non poterit verificari forma conſecrationis; *hoc eſt corpus* v. g. nam ly, *hoc*, ſupponit *pro ſingulari entis*, quod per illa verba demonſtratur; ſed ſingulare entis, quod demonſtratur, eſt quid determi-

na-

[1] *Ibid. &d.* 8. *q.* 2. *Q.* [2] *Ibid.*

natum; ergo, &c. Item patet ex dictis de neceſſitate intentionis ex parte miniſtri.

Prob. 2. Nam, ut diximus, intentio miniſtri eſt de neceſſitate Sacramenti, & debet eſſe conformis actioni externæ, ut Sacramentum efficiat, quod ſignificat; ſed ſignum externum eſt determinatum, & determinatum habet ſenſum; ergo & determinata debet eſſe intentio circa materiam. Prob. min. Nam dicit, *hoc eſt corpus*: ſed ly *hoc* determinatum habet ſenſum, & ſupponit pro ſingulari; ergo, &c.

Confir. Nam ſacerdos debet ſcire, quam hoſtiam, & quem calicem conſecravit: ergo, &c.

Ideo ſi quis de multis hoſtiis ſibi propoſitis, certum numerum ex illis, verbi gratia 6. aut 7. non deſignatas, nec ab aliis ſejunctas vellet conſecrare per intentionem certam, nihil faceret. Idem eſt de illo, qui vellet tantum unam partem, verbi gratia medietatem hoſtiæ conſecrare, non deſignando illam, bene vero ſi illam deſignaret, verbi gratia dextram, aut ſiniſtram.

Idem eſſet de illo, qui tenens duas hoſtias nollet niſi unam conſecrare, & non deſignaret illam: nam neutra eſſet conſecrata defectu intentionis, quamvis poſſet judicari eum voluiſſe conſecrare proximiorem. Alios caſus vide apud Caſuiſtas.

CONCLUSIO.

Qualibet magna quantitas panis, & vini, quæ ſufficienter præſens poſſet eſſe ſacerdoti cum debita intentione ejus, poteſt valide conſecrari, ſicut & tam exigua, quæ ſit ſenſibilis. Eſt etiam communis.

Prob. Præſentia, & ſenſibilitas ſunt conditiones neceſſariæ ad veritatem verborum conſecrationis, & ex natura rei; neque ex inſtitutione divina ulla eſt determinatio magnitudinis, aut parvitatis; ergo quælibet quantitas panis, & vini, quæ ſufficienter præſens eſſe poteſt ſacerdoti, & ſenſibilis, ut vere dicere poſſit, *hoc eſt corpus*, *hic eſt calix*, eſt materia ſufficiens ad validam conſecrationem. Prob. ant. ex dictis: nam ſacramenta ſunt eſſentialiter ſigna ſenſibilia, & efficacia rei inſenſibilis, quam ſignificant: ſed utrumque habet forma conſecrationis in quamcum-

qua

que quantitatem parvam, aut magnam, in qua panis, & vinum ſunt ita præſentia, aut ſenſibilia: ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Quantitas poteſt eſſe tanta, ut non poſſet eſſe uſui fidelium quoad ſe totam; ergo magnitudo materiæ debet eſſe mediocris, & proportionata uſui. Probat. conſ. Nam ex intentione Chriſti non debet conſecrari, niſi ad uſum; ergo, &c.

Reſp. neg. utramque conſ. Nam licet Chriſtus non intenderit inſtituere hoc Sacramentum, ſicut nec alia, niſi ad uſum; nihil tamen determinavit quoad quantitatem: verum quidem eſt nos non debere excedere notabiliter, ſed in hoc ſervare aliquam menſuram prudentiæ; ſed loquimur de Sacramento, & conſecratione materiæ ſecundum ſe: unde non nego, quin in hoc poſſet peccari.

Objic. 2. Virtus activa miniſtri eſt limitata; ergo materia, quam debet conſecrare, & convertere in corpus Chriſti, debet eſſe limitata in quantitate.

Reſp. neg. conſ. quia converſio non fit phyſice per virtutem activam miniſtri, ſed Dei.

Objic. 1. cont. 2. p. Si particula imperceptibilis ſpecierum conſervaretur ſeparata poſt conſecrationem totius, hæc maneret conſecrata, & corpus Chriſti ſub illa; ergo & ipſa poſſet conſecrari ſeparatim. Ant. patet ex Conc. Trident. [1] dicente, *ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus ſeparatione facta totum Chriſtum contineri*.

Reſp. neg. conſ. quia plus requiritur ad conſecrationem, quæ debet eſſe ſignum ſenſibile, quam ad conſervationem; ideo particula imperceptibilis nec poſſet conſecrari, nec ſumi Sacramentaliter: conſecratur in toto, ſicut in eo eſt quid ſenſibile, non autem ſeparata, ut ſupponitur.

Inſt. Si pars imperceptibilis non poſſet conſecrari, hoc eſſet, vel quia debet ſentiri a conſecrante, vel quia in ea non poſſet conſervari corpus Chriſti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non defectu ſenſibilitatis; quia cæcus, & mancus, ſeu privatus ſenſibus viſus, & tactus poſſet conſecrare: 2. non defectu conſervabilitatis ex conceſſis; ergo &c.

Reſp.

[1] *Seſſ. 13. can. 3.*

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam ex utroque capite id venit: materia enim debet aliquo ſenſu percipi a conſecrante, ſaltem per alium certificantem de præſentia, & ſufficientia materiæ: &, ut dicebam, facilius eſt Chriſtum conſervari in minima parte, quam ibi poni per conſecrationem ob rationem allatam.

Inſt. 2. Pars illa inſenſibilis poſſet uniri aliis partibus, cum quibus fieret ſenſibilis; & tunc Chriſtus totus poneretur ſub illa; ergo & poſſet poni ſub eadem ſeparata.

Reſp. diſt. ant. poni ſub illa ratione totius ſenſibilis, & inadæquate, con. ratione ſui totaliter, & adæquate, neg. ant. Nam quando conſecratur hoſtia diviſibilis, actio conſecrativa per ſe cadit ſuper totam hoſtiam ſenſibilem adæquate: Chriſtus vero ponitur totus in tota, & totus in qualibet parte, quantumvis parva. Hæc magis patebunt ex dicendis de præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus.

QUÆSTIO IV.

De forma conſecrationis Euchariſtiæ ſub ſpeciebus panis.

DIximus ſupra, quod verba Sacramentalia ſunt quidem forma conſecrationis, ſed non forma intrinſeca Sacramenti hujus; quia illa tranſeunt, & iſtud permanet. De illa forma hic agimus, & quærimus, quænam illa ſit pro utraque parte Sacramenti. Nam in conſecratione communiter proferuntur a ſacerdote plura verba, de quibus ſolet diſputari, an omnia ſint de neceſſitate ſacramenti: verbi gratia incipit Sacerdos accipere panem dicens: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc eſt enim corpus meum*, &c. Et pro calice dicit, *ſimili modo, &c.* Et addit, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*, &c. Quæritur ergo an verba illa antecedentia, & ſequentia ſint de neceſſitate conſecrationis, aut præcepti tantum: nam de iſto nullus dubitat; qui enim illa omitteret voluntarie, imo & aliqua, quæ præcipiuntur in Canone, & maxime

xime ex iis, quæ præcedunt conſecrationem, peccaret graviter.

Principalis controverſia eſt, an de neceſſitate Sacramenti debeant præmitti verbis conſecrationis aliqua ex præcedentibus, quæ hiſtorice dicuntur, ut ſignificetur, quod ſacerdos profert verba illa conſecrationis non in ſua propria perſona, ſed in perſona Chriſti: v. g. an quia abſolute diceret ſupra panem, *Hoc eſt corpus meum*, & non præmitteret illa, *Qui pridie*, &c. valide conſecraret?

CONCLUSIO I.

F*Orma neceſſaria, & ſufficiens conſecrationis panis conſiſtit in his quatuor verbis, aut æquivalentibus, Hoc eſt corpus meum.* Eſt de fide contra Græcos aliquot, & contra hæreticos Calviniſtas, qui putant hæc verba non eſſe conſecrativa, ſed inſtructiva, & Lutheranos, qui non putant hæc ſufficere.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Dico, quod verba conſecrationis ſunt quatuor, ſc. illud pronomen hoc, & verbum eſt, & in appoſito, corpus meum.*

Prob.2. ex Conciliis. Nam in Florent. dicitur: *Forma hujus ſacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc ſacramentum conficitur*, &c. Et Trident. docet, [2] *corpus, & ſanguinem Chriſti exiſtere ſub ſpeciebus panis, & vini ex vi verborum*, &c.

Prob.3. ex Scriptura. Nam ſinguli Evangeliſtæ, ſicut & D. Paulus, narrant hæc verba, ut a Chriſto prolata in inſtitutione, & confectione hujus Sacramenti; ergo &c.

Prob.4. Nam in illis verbis conſiſtit forma hujus conſecrationis, quibus perfecte ſignificatur id, quod efficitur per illam; ſed id præſtatur per illa verba; ſcilicet ſignificatur ibi poni realiter corpus Chriſti, ſeu panem illum fieri corpus Chriſti; ergo &c.

Obji. 1. ex Patribus, imo ex Evangelio conſecratio fit benedictione; ſed in illis verbis nulla apparet benedictio; ergo non ſufficiunt ad conſecrationem: Prob. maj. quia Chriſtus ſumens panem *benedixit*: & quando dixit, *hoc eſt corpus meum*, jam

[1] *D.8.1.3.n.4.*
[2] *Seſſ.13.cap.3.*

jam exiſtebat ſub ſpeciebus panis: hoc enim ſignificavit dicens, *Accipite, & comedite, hoc eſt*, &c. Et Apoſtolus [1] dicit, *Calix, cui benedicimus*. 2. In Liturgiis SS. Marci, & Jacobi, & Baſilii adduntur verbis illis preces, & orationes, quibus invocant, *Mitte Spiritum tuum Sanctiſſimum in nos, & in hæc dona .... & efficiat hunc panem corpus ſanctum Chriſti tui*, &c. inquit S. Jacobus: ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam Scriptura, & Patres nomine benedictionis intelligunt conſecrationem, quatenus ſupponit benedictiones, & orationes, quæ illam præcedunt, aut ſequuntur, non quod earum virtute fiat conſecratio, ſed quod petimus, ut ipſa recte fiat, & ad ſalutem noſtram ſuccedat. Unde ad illas preces Liturgiarum populus reſpondet, *Amen*, utſignificet ſe ita credere, vel ſperare. Quod autem dicitur de conſecratione eam præceſſiſſe diſtributionem, & verba, *hoc eſt corpus meum*, jam diximus ſupra illa non eſſe ſumenda in ordine, quo narrantur ab Evangeliſtis, ſed ordine, quo res peractæ ſunt; & pronuntiata ſunt a Chriſto in actu conſecrationis.

Inſt. Juſtinus Martyr dicit: *Per precem Euchariſtiam factam cibum ſumimus*. Et Cyrillus [2] Hieroſ. *Quemadmodum Euchariſtia poſt Sancti Spiritus invocationem non eſt amplius panis, ſed eſt corpus Chriſti*. Et Nicæn. [3] *Hic panis per Verbum Dei, & orationem ſanctificatur*. Et Auguſt. [4] *Quod prece myſtica conſecratum ſumimus ad ſalutem*, ſcilicet Sacramentum Euchariſtiæ, & ſic de aliis: ergo ex Patribus forma conſecrationis conſiſtit in orationibus, qualia non ſunt illa verba, aut ſaltem non conſiſtit in illis verbis ſine oratione.

Reſp. 1. Illud argumentum, & authoritates nimis probare: nam hinc ſequeretur preces omnes, quæ ſunt in Liturgiis, & Canone Miſsæ, eſſe de eſſentia hujus formæ: nihil enim in eis eſt præter orationes, & invocationes; ſed hoc eſt abſurdum, & falſum; ergo &c.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam illa verba virtualiter continent, & æquivalent invocationi potentiæ divinæ, ſeu

[1] *Cor*.10. [2] *Catech. Orat.*
[3] *Catech*.17. [4] 3. *Tri*.4.

ſeu Spiritus Sancti, per quam panis convertatur in corpus Chriſti, ut vinum in ſanguinem. Et præterea loquuntur de invocationibus, quæ fiunt ante, & poſt conſecrationem ad majorem efficaciam, & reverentiam: *Ante, & poſt* (Conſecrationem) *alia dicimus, veluti magnum robur ad myſterium habentia*, ſcilicet non ex neceſſitate Sacramenti, ſed ex præcepto, & reverentia, & ut magis abundet gratia, & benedictio.

Objic. 3. Scotus [1] exigit ad conſecrationem panis verba præcedentia, ſcilicet, *Qui pridie quam pateretur*; ergo illa quatuor non ſufficiunt.

Reſp. diſt. ant. illa exigit ad melius eſſe, & ut facilius intelligamus illa dici in perſona Chriſti, conc. ut eſſentialia, ſeu de neceſſitate abſoluta Sacramenti, neg. ant. & conſ. Nam contrarium patet ex verbis Scoti adductis pro concluſione. Igitur verba illa ſunt quidem neceſſario præmittenda, ut debite proferatur forma conſecrationis, & intelligatur ejus efficacitas, ſed non ut ſit efficax, & valida: ſed de hoc infra.

Objic. 4. Forma conſecrationis conſiſtit eſſentialiter in verbis Chriſti, quibus uſus eſt inſtituens, & conficiens hoc Sacramentum; ſed Chriſtus aliis, & pluribus verbis uſus eſt, quam iſtis quatuor; ergo iſta quatuor non ſufficiunt. Prob. min. Nam Chriſtus accipiens panem conſecrandum, *gratias agens benedixit, & fregit*; ſed hæc non continentur in illis quatuor verbis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quibus uſus eſt præciſe conficiens, ſeu conſecrans, conc. maj. & neg. min. quibus uſus eſt ante, vel poſt conſecrationem, neg. maj. & conſ. Ad prob. dico, quod verba omnia, & actiones Chriſti circa inſtitutionem, & confectionem Sacramentorum, & maxime iſtius, non ſunt conſecratoria, ſed præparationes, & circumſtantiæ quædam; *ut cum accepit panem gratias egit, & benedixit, &c.* loquimur hic de ſolis conſecratoriis præciſe, qualia ſunt hæc quatuor.

Inſt. Deberet hic aſſignari differentia præciſa verborum Sacramentalium a non Sacramentalibus; ſed hic nulla apparet talis differentia; ergo vel omnia ſunt

[1] *Ibid. A. n. B.*

ſunt Sacramentalia, vel nulla. Prob. min. Nam omnia æquè directè ſignificant, & præ ſe ferunt efficaciam, & præſentiam corporis Chriſti; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. Nam luce clarius eſt, hæc quatuor verba ſola prolata in perſona Chriſti, & cum debita intentione ſignificare exiſtentiam corporis Chriſti, quam efficiunt, non autem alia præcedentia, vel ſequentia, niſi ad majorem claritatem, & reverentiam.

CONCLUSIO II.

L*icèt forma tota eſſentialis conſecrationis conſiſtat in prædictis quatuor verbis; tamen neceſſario præmittenda ſunt verba* (qui pridie quàm pateretur, &c.) *aut æquivalentia, ſine quibus probabiliter dubium eſſet Sacramentum*. Quoad 1. partem eſt communis, & patet ex præcedenti; quoad 2. eſt Scotiſtarum; licèt non conveniant de dubietate Sacramenti, ſed probabiliorem cenſeant opinionem, quæ docet abſolutè validam fore conſecrationem ſine illis verbis.

Prob. 1. ex Scoto. Nam referens verba S. Ambroſii, qui videtur velle, quòd [1] *verbis conſecratoriis debent conjungi verba præcedentia* (ſc. Accipite, &c.) *tanquam verba conſecrationis*, ait: *Sed hoc non eſt intelligendum, tanquam ſint eſſentialiter pertinentia ad conſecrationis neceſſitatem, ſed tanquam neceſſariò præmittenda*: non dicit autem ibi, an hæc neceſſitas ſit præcepti, vel Sacramenti, & in hoc dubius eſt Doctor: nam infrà dicit, quòd [2] *ſi quis ſacerdos inciperet ita loqui* (hoc eſt corpus meum) *non prædicens verba præmiſſa*, qui pridiè &c. dicit, inquam, quòd [3] *in omnibus talibus non eſt adorandum niſi ſub conditione, ſi verè conſecratum eſt* &c. ergo dubitat Scotus de validitate ſacramenti, ſi omittantur verba illa præcedentia.

Rurſus repetit rationem ſuæ primæ aſſertionis, qua ſuſtinet neceſſitatem talium verborum. [4] *Concedo, quòd ly* meum *oportet, quòd ex virtute ſermonis denotetur referri ad perſonam Chriſti: hoc autem non*

[1] *Ibid.* F. 10.
[2] *Ibid.* Y. 26. [3] *Ibid.* F. n. 10.
[4] *Ibid.* Y. n. 26.

eſt, niſi priùs fiat mentio de Chriſto, in cujus perſona proferuntur hæc verba: ſicut ſi dicerem, Chriſtus dixit (mea doctrina non eſt mea) *de veritate iſtius propoſitionis ſignificaretur, quòd ly*, mea, *refertur ad Chriſtum, non autem ſic, ſi quis non præmiſſa loquutione de Chriſto, ſtatim diceret*, mea doctrina &c. Per hæc verba, ut patet, videtur ſentire, quòd verba, *hoc eſt corpus meum*, abſolutè prolata, & ſine præcedentibus, quibus oſtenditur illa proferri in perſona Chriſti, non ſignificant quod debent, ut fiat conſecratio.

Denique inferiùs dicit, quòd [1] *nec fortè abſolutè quis conficeret, ut ſupra tactum eſt d. 8. niſi præmitteret ad minùs verba illa, per quæ ſignificat ſe proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti, non in perſona ſacerdotis*; ergo ſemper dubitat de valore conſecrationis, ſi omittantur verba illa præcedentia, vel æquivalentia.

Prob. 2. ex eodem. Nam verba ſacramentalia debent ſignificare ſenſibiliter ex vi verborum id, quod efficiunt; ſed verba conſecrativa, *hoc eſt corpus meum* de vi ſua non ſignificant ſenſibiliter id, quod efficiunt, niſi ad id determinarentur per aliqua antecedentia; ergo hæc neceſſariò ſunt præmittenda de neceſſitate Sacramenti. Maj. ſupponitur ex tr. de Sacramentis in communi. Prob. min. Verba conſecrationis efficiunt Corpus Chriſti; ſed illud non ſignificant ſenſibiliter ex vi ſuæ propriæ inſtitutionis ſine præcedentibus; ergo nec illud efficiunt. Prob. min. Nam cùm ſine addito dicuntur, nihil aliud ex vi ſuæ inſtitutionis ſignificant, quàm corpus loquentis; ergo non ſignificant per ſe corpus Chriſti.

Dices 1. falſam eſſe majorem; quia ſufficit, ut verba ſacramentalia ſignificent ex inſtitutione divina, non autem ex ſe, vel ex inſtitutione humana, & ut proferuntur à miniſtro cum debita intentione, eo ſc. modo, quo Chriſtus inſtituit: & hoc ita fieri poteſt, ſi Sacerdos abſolutè proferat illa quatuor verba eſſentialia.

Contra 1. De ratione omnis Sacramenti ex inſtitutione divina eſt, ut ſit ſignum ſenſibile effectus inſenſibilis, quem cauſat; ſed niſi præmittantur verba, quibus quatuor illa determinentur ad ſignificandum Cor-

[1] *d.13.q.2.O.2.18.*

Corpus Chiſti, iſta non ſignificabunt illud ſenſibiliter, ſed corpus loquentis; ergo etiam ex inſtitutione divina verba illa debent ſenſibiliter ſignificare id, quod efficiunt, ſc. corpus Chriſti.

Contra 2. Nam niſi verba ſacramentalia deberent ſignificare ſenſibiliter, & modo humano, quod operantur, ſufficeret miniſtro illa proferre mentaliter, aut ſub aliis quibuſcumque verbis ſibi ſoli intelligibilibus, & quæ nulla ratione id ſignificarent audientibus; v. g. *hoc eſt peculium*, *aut marſupium meum*, modò intenderet nomine peculii, aut marſupii, quod Chriſtus inſtituit; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Nam verba mentalia tam ſignificant miniſtro id, quod ipſe, & Chriſtus intendit, quàm vocalia; & tamen ipſe poteſt intendere corpus per marſupium, aut peculium, aut aliud quodvis nomen per illud verbum Canonis; ergo &c.

Confir. Verba conſecrationis debent dici ſacramentaliter, ſeu ſenſibiliter, ita ut ſignificent ex ſua inſtitutione communi tam audienti, quàm loquenti quod loquitur de corpore Chriſti, non de ſuo; alioqui, ut dicebam, ſufficeret illa proferre purè mentaliter, aut ſub aliis quibuſcumque vocibus ad arbitrium ſacerdotis; ſed hæc ſunt abſurda, & falſa; & ſine præcedentibus audiens deberet ea intelligere de corpore ſacerdotis ipſius, & non Chriſti; ergo &c. Prob. min. Si quis proferret illa verba Chriſti abſolutè, & ſine ulla mentione Chriſti, *Tempus meum nondum advenit*, vel *mea doctrina non eſt mea*, nemo eſſet audiens, qui non putaret eum loqui de ſeipſo; ergo ita eſt in propoſito, quamvis Chriſtus æquè dixerit iſta, ſicut & *hoc eſt corpus meum*: nec agitur hic de efficacitate, ſed de ſignificato, à quo dependet efficacitas Sacramenti.

Confir. 2. ex S. Ambroſio relato in Canone [1] *Panis eſt*, ubi ſic loquitur: *Vis ſcire quia verbis cœleſtibus conſecratur, accipe quæ ſunt verba, dicit ſacerdos, fac nobis, inquit, hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis, & ſanguinis Domini N. J. C. qui pridie quàm pateretur in SS. manibus accepit panem... vide omnia verba ſunt Euangeliſtæ* (ſc. narrantis) *uſque ad accipite... inde verba ſunt Chriſti* &c. ergo ex Ambroſio, & Sa-

[1] 4. *de conſec. c. 4. d. 2.*

cro Canone non intelligitur verba conſecratoria eſſe verba Chriſti, niſi ex præcedentibus verbis narrativis de Chriſto. Alias rationes non contemnendas affert noſter P. Faber, & Eminentiſſimus Brancatus.

Objic. 1. ex Concil. Florent. ſępè cit. [1] *Sacramenta omnia tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri cum intentione* &c. ſed cum illis quatuor verbis habentur illa tria; & verba pręcedentia non pertinent ad ullum illorum trium; ergo illa tria ſufficiunt ſine ullis pręcedentibus. Min. patet de 1. & 3. prob. de 2. ſc. quòd non pertinent ad formam; quia hęc conſiſtit in verbis Chriſti, qualia non ſunt illa, ſed ſolius Euangeliſtę, aut Eccleſię; ergo non ſunt de forma.

Reſp. diſt. min. non pertinent ut aliquid eis intrinſecum, v. g. ad formam, con. ut quid extrinſecum, neg. min. & conſ. Nam verba illa pertinent ad formam, & velut pręrequiſita, & conditiones, ut ſignificent tanquam verba Chriſti; quia ſine illa ſignificatione, & conditione non habent rationem formæ ſacramentalis. Nam, ut docet Concilium, *Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum*: non intelligitur autem, nec cenſetur loqui in perſona Chriſti, niſi præmittat illa verba, vel æquivalentia.

Objic. 2. ex Scoto. [2] *Sufficit miniſtro... intendere proferre iſtam orationem eo modo, quo Chriſtus eam inſtituit proferendam; & ſic habetur intentio debita, & inſtrumentum debitum, ſc. illa oratio, cui Deus aſſiſtit* &c. ſed hæc haberi poſſunt ſine ullis verbis præcedentibus; ergo illa ſola ſufficiunt.

Reſp. neg. min. abſolutè. Nam ſine verbis, per quæ determinetur oratio ut prolata in perſona Chriſti, nihil fit; & ſic ſine illis non profertur eo modo, quo Chriſtus eam inſtituit proferendam: unde hoc argumentum facit pro nobis.

Objic. 3. Ut verba formæ Sacramenti operentur præſentiam realem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non attenditur eorum ſignificatio naturalis, vel ad placitum humanum, ſed ad placitum Chriſti, & prout ab eo inſtituta ſunt; ſed Chriſtus hæc ſola verba,

[1] *diſp. 34. n. 31. diſp. 19. n. 10.* [2] *Ibid. q. 2. Y. n. 25.*

ba, *hoc eſt corpus meum*, inſtituit ad ſignificandam illam operationem; ergo illa ſufficiunt ſine aliis. Prob. min. Non enim conſtat, quòd aliis uſus ſit, vel quòd alia præceperit; ergo &c.

Reſp. neg. min. abſolutè: nam illa inſtituit ad hoc ſignificandum, ut prolata in ſua perſona, & non in perſona miniſtri; & hæc non habent hanc ſignificationem ſine præcedentibus.

Inſt. Ut ſacramentalia proferantur in perſona Chriſti, & ſic operentur tranſubſtantiationem panis, non pendet ex verbis præcedentibus in Canone, ſed ex intentione miniſtri ea proferentis ſecundum voluntatem Chriſti; ergo verba præcedentia nihil faciunt ad validam conſecrationem. Prob. ant. Nam cum verbis præcedentibus adhuc requiritur ad conſecrationem validam, ut ſacerdos intendat proferre formam in perſona Chriſti; & ſi hoc intendat, ſufficienter intelligitur loqui in perſona Chriſti; ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque. Non enim ſufficit, ut quomodocumque, & cum tali intentione interiori proferat; ſed debet id apparere in ipſa confectione Sacramenti, ſc. quòd gerat perſonam Chriſti; quod nunquam per ſe apparebit ſine verbis præcedentibus: dico, *per ſe*, & ex natura rei; nam poſſet id apparere ex aliis ſignis ſenſibilibus æquivalentibus, & tunc haberemus intentum.

Hæc dicta ſint, ut probabilis appareat hæc ſententia, in quam inclinat Doctor ſubtilis, & inſignes Scotiſtæ: & favet ratio: nam opinio de valore formæ ſine talibus verbis non caret probabilitate, & maximè propter graviſſimorum Theologorum auctoritatem, inter quos numerantur inſignes admodum Scotiſtæ, ut teſtantur Gavatius, Maſtrius, Poncius, Hiqueus, Fraſſen, Durandus, & alii.

CONCLUSIO III.

Particula, enim, *quæ ponitur inter quatuor verba prædicta conſecrationis, non eſt de eſſentia illius formæ, nec de neceſſitate ſacramenti*. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Conjunctio*, Enim, *non eſt*

[1] *Ibid. B.* 3.

de eſſentia formæ ... ſed ponitur ad continuandum, ne verba illa, quæ ſunt de forma, proferantur ſine præcedentibus: nam Chriſtus illam protulit, quia præmiſerat, *Accipite, & manducate, hoc eſt enim* &c.

Prob. 2. quia, ut dicebam, licèt Canon Miſſæ, & praxis Eccleſiæ illam ponat ut prolatam à Chriſto; tamen Euangeliſtæ, nec Apoſtolus eam non recitant in conſecratione panis, benè verò in conſecratione Calicis.

Dico, *de neceſſitate ſacramenti*; quia nullus dubitat de neceſſitate præcepti: ideò Caſuiſtæ cenſent, quòd qui ſcienter illam particulam omitteret, peccaret mortaliter.

QUÆSTIO V.

De forma conſecrationis Calicis.

QUia in conſecratione Calicis plura præſcribuntur verba, quàm in conſecratione panis, ideò plures occurrunt circa formam iſtam difficultates. Nam præter ſimilia antecedentia, dicimus, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: Et quærimus, an hæc omnia ſint de eſſentia formæ conſecrationis, & de neceſſitate ſacramenti: dico, *ſacramenti*; nam de neceſſitate præcepti nemo dubitat.

Quantùm ad præcedentia, *ſimili modo accipiens* &c. uſque ad iſta, *hic eſt enim*, eadem eſt difficultas, & controverſia, quæ in conſecratione panis de illis, *qui pridie* &c. & quæ diximus de iſtis, inſervient pro illis. Idem eſt de particula *enim*: difficultas eſt de iſtis, *novi, & æterni teſtamenti*: item, *myſterium fidei*, & *qui pro vobis* &c.

CONCLUSIO I.

FOrma eſſentialis conſecrationis calicis, & ſufficiens eſt, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, vel *hic eſt ſanguis meus*. Eſt communis contra antiquiores Thomiſtas, & quoſdam alios volentes, reliqua verba, quæ ponuntur in Canone Miſſæ iiſdem characteri-

bus,

bus, eſſe de eſſentia, & neceſſitate ſacramenti, Quidam excipiunt iſta, *novi, & æterni teſtamenti*; alii verò iſta, *myſterium fidei*. Non negamus autem omnia eſſe de neceſſitate præcepti.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd (1) *non eſt nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineant aliqua verba poſt illud*, ſanguinis mei, *vel aliquod illorum ſequentium uſque illuc*, Hoc facite &c. Unde colligitur, Scotum eſſe quidem certum, verba iſta, *hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe de eſſentia formæ conſecrativæ ſanguinis; ſed non eſt certus, an aliqua ex ſequentibus, v. g. *novi, & æterni teſtamenti*, aut, *myſterium fidei*, aut, *qui pro vobis, & pro multis effundetur* &c. ſint de eſſentia illius formæ, ita ut ſi aliqua ex illis omittantur, invalida ſit conſecratio.

Prob. 2. ex Euangeliſtis. Nam licèt inter ſe nonnihil varientur in verbis, tamen in ſubſtantia conveniunt. Matthæus refert Chriſtum dixiſſe: [2] *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum:* & huic convenit noſtra aſſertio quoad verba eſſentialia; ſicut & Marcus, qui ſcribit: (3) *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Lucas verò: (4) *Hic eſt calix, novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur*. Vides, quòd omnes conveniunt in ſubſtantia hujus formæ, *hic eſt ſanguis meus, hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſed non conveniunt in aliis: omittunt ly *æterni*, & *myſterium fidei*, & *pro vobis*: Marcus, & Lucas omittunt *enim*: Lucas omittit, *qui pro multis effundetur*: omnes omittunt, *myſterium fidei* &c. ergo ſola verba, in quibus conveniunt, ſunt de eſſentia formæ, non autem alia; vel Euangeliſtæ defecerunt in traditione veræ formæ conſecrationis, quod dici non debet.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Juſtinus, *Apoſtoli in commentariis ſuis, qui Euangelia dicuntur, ita ſibi Jeſum præcepiſſe tradiderunt .... dixiſſe etiam accepto poculo, hic eſt ſanguis meus*. Et auctor ſermonis in Cœna apud Cyprian. *Ex quo a Domino dictum*

[1] *Ibid. D. 9.*
[2] *Matth.* 26. (3) *Marc.* 14.
[4] *Luc.* 22.

ctum eſt, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus. Et Gaudentius, *Cum panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus* &c. Et S. Ambroſius docet, hæc verba, *hic eſt ſanguis meus*, eſſe verba Chriſti; & ſic de aliis.

Prob. 4. ex Liturgiis Græcorum, & Maronitarum, in quibus non habentur alia verba, quàm iſta; & tamen validè conſecrant. Idem eſt de Liturgiis S. Joannis Euangeliſtæ, S. Euſtachii, S. Joannis Patriarchæ, & aliorum, ut refert Pater Fraſſen &c.

Prob. denique. Nam illa ſola verba tam perfectè, & integrè ſignificant converſionem vini in ſanguinem Chriſti, quàm iſta, *hoc eſt corpus meum* converſionem panis in corpus ejus; ſed iſta ſufficiunt pro pane; ergo & illa pro vino.

Confir. Nam reliqua non dicuntur à ſacerdote formaliter, ſed recitativè tantùm; ergo non ſunt eſſentialia formæ, quæ dicitur etiam ſignificativè.

Objic. 1. Sine illis omnibus verbis, quæ ponuntur in Canone Eccleſiæ noſtræ, non cenſetur valere conſecrationem; ergo omnia illa ſunt de eſſentia conſecrationis. Prob. Ant. Nam Eccleſia non vult calicem elevari, ut adoretur, antequam omnia dicta ſint; omnia ponit eodem modo in Canone, & proferuntur continuè, & eodem ritu; ergo cenſet eandem eſſe neceſſitatem, & efficaciam omnium.

Reſp. neg. min. & 2. conſeq. Nam eodem modo, & ritu ponuntur, & dicuntur, non quòd ſint ejuſdem neceſſitatis Sacramenti; ſed quia reddunt verba eſſentialia magis explicata, & clara, ſicut in aliis ſacramentis multa adduntur, & proferuntur eodem ritu, licèt non ſint æqualis neceſſitatis; ut cum in pœnitentia dicit Confeſſarius, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris* &c. nec enim omnia illa verba ſunt de eſſentia formæ, ut videbimus.

Inſt. Eccleſia vetat, ne ullum ex hi. verbis omittatur: alioqui ex integro repetenda eſt tota oratio. Et in Concilio Colonienſi [1] omnia ponuntur ut forma Calicis; ergo Eccleſia prætendit omnia eſſe æque eſſentialia.

Reſp. neg. conſ. Nam inde ſequitur neceſſitas non ſacra-

[1] *n.* 2. *c.* 14.

ſacramenti, ſed præcepti; & in caſu omiſſionis alicujus verbi jubet repeti integram orationem ad majorem cautelam, quo nihil juſtius. Denique Concilium Colonienſe dicit quidem ibi contineri formam calicis, ſed non dicit, quòd omnia, & ſingula ſint æqualis neceſſitatis.

Inſt. 2. Catechiſmus Rom. omnia ponit ut formam. Unde Pius V. juſſit expungi ex libris Cardinalis Cajetani diſſenſionem doctrinæ S. Thomæ, qui docet omnia illa verba eſſe eſſentialia formæ; ergo S. ille Pontifex cenſet omnia eſſe de forma.

Reſp. neg. conſ. ob eandem rationem quoad Catechiſmum. Pontifex autem illa expungi voluit, non quoad punctum hujus controverſiæ, ſed quia Cajetanus non ſatis reverenter ſcribebat de mente Angelici ſui Doctoris; nam alioqui juſſiſſet etiam corrigi tot alios inſignes Theologos, præcipuè Scotiſtas, qui noſtram docebant, & docuerant opinionem. S. Thomas autem potiùs favet noſtræ ſententiæ, cùm dicit: *Per verba, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur converſio vini in ſanguinem ... per verba autem ſequentia ſignificatur virtus ſanguinis* &c. ergo tota vis conſecrativa calicis eſt in illis verbis, ex Sancto Thoma.

Objic. 2. Omnia illa verba complent unam propoſitionem cum præcedentibus: nam ſe tenent ex parte ſanguinis, cujus ſignificatio manet incompleta ſine illis; ergo æquè ſunt de eſſentia formæ illius.

Reſp. diſt. ant. complent accidentaliter, & ad majorem explicationem, con. ſubſtantialiter, ita ut propoſitio non ſignificet ſine illis ſubſtantiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, neg. ant. Verba ſequentia ſignificant proprietatem, & efficaciam ſanguinis quoad finem, & effectus, ad quos ponitur; quod non eſt eſſentiale illius realis præſentiæ.

Inſt. Licet hæc verba, *ego te baptizo*, ſignificent poſitivè, & directè abſolutionem internam, quam cauſat baptiſmus, adhuc non valet, niſi addantur alia, *in nomine Patris* &c. ergo ita eſt de iſtis, *hic eſt ſanguis meus*, licet ſignificent præſentiam realem ſanguinis, debent addi cætera.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia cùm baptiſmus ſit janua fidei, ablutio baptiſmalis non fit, niſi

invocetur SS. Trinitas: & ideò Chriſtus juſſit, ut ita conferretur Baptiſmus. Non ita eſt de Euchariſtia, quæ quia conſiſtit in eſſe permanenti corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ſufficit, ut id ſignificetur efficaciter per verba conſecrationis.

Objic. 3. Sanguis Chriſti in calice repræſentat eſſentialiter ſacrificium crucis, in quo effuſus eſt pro redemptione; ſed hoc non repræſentat ſine illis verbis, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem &c.* ergo hæc verba ſunt de eſſentia formæ conſecrationis calicis. Maj. patet ex verbis Chriſti, (1) *hoc facite in meam commemorationem*: min. etiam prob. ex Apoſtolo dicente, (2) *ſacrificium non fieri ſine ſanguinis effuſione*.

Reſp. 1. neg. maj. Nam licèt præſentia realis corporis, & ſanguinis non efficeret niſi ſacramentum, adhuc ſubſiſteret, qualis eſt eſsentialiter.

Reſp. 2. neg. min. Nam hoc ipſo, quòd ſanguis ibi ponitur ſeorſim à corpore, ſufficienter ſignificatur, & repræſentatur ſacrificium crucis, & effuſio ſanguinis Chriſti, licèt verba illa, *qui pro vobis effundetur*, illud explicatius ſignificent. Præterea cùm dicitur de corpore, *quod pro vobis tradetur*, ſufficienter ſignificatur ſacrificatio: non enim traditur morti corpus ſine effuſione, nec ſine ſacrificio.

Objic. 4. Verba ſacramentalia non tantùm debent ſignificare exiſtentiam ſanguinis, & converſionem vini in ſanguinem, imò neque purè illius effuſionem, ſed etiam motivum, & effectus effuſionis; ſed hæc non ſignificantur ſine his verbis, *qui pro vobis* &c. ergo hæc ſunt eſſentialia huic formæ.

Reſp. neg. maj. quia, ut dictum eſt, hoc Sacramentum habet eſſe permanens; & ſic ſufficit, ut per verba conſecrationis ſignificetur exiſtentia ſanguinis in calice, & converſio vini in ipſum; & effuſio illa non debet ampliùs ſignificari ut futura.

Reſp. neg. min. Nam ſeparatio ſanguinis à corpore ſatis ſignificat illam effuſionem, & effectùm redemptionis. Denique in conſecratione corporis non dicitur, *quod pro vobis tradetur*; ergo &c.

Inſt. Niſi hæc verba eſſent eſſentialia conſecrationi

(1) *Luc.* 22. (2) *Heb.* 9.

ni vini, non magis deberent hìc poni, quàm in conſecratione panis; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam ſufficit Eccleſiam judicaſſe verba illa hìc apponenda, & non ibi. Cur autem id fecerit, fortè 1. ad meliùs repræſentandum novum hoc teſtamentum jam habuiſſe hunc effectum, ſcilicet mortem Chriſti, quam ſignificat intervenientem. 2. quia ideò ſanguis ibi ponitur ſeorſim a corpore; & per illa verba iſtud motivum, & myſterium magis explicatur. 3. quia illa ſeparatio, & effuſio meliùs repræſentat illam mortem.

Reſtat igitur, quòd tota forma conſecrationis calicis, quæ ponitur in Canône Miſſæ, eſt de neceſſitate præcepti; ſed ad valorem ſacramenti ſufficerent, abſolutè loquendo, verba poſita in concluſione, ſc. *hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *hic eſt ſanguis meus*, pronuntiata ſuper debitam materiam in perſona Chriſti, cum debita intentione.

QUÆSTIO VI.

An verba conſecrationis dicantur hiſtorice, ſeu pure materialiter, & recitative, An formaliter, & ſignificative.

Aliquid dicitur recitativè, & materialiter, ſeu hiſtoricè, quando purè narratur ut dictum ab alio, ita ut narrans non intendat aſſerere, vel negare, quod narratur; ut ſi dicam; *Ariſtoteles docet mundum eſſe ab æterno:* dicitur vero *ſignificative, & formaliter*, quando loquens intendit aſſerere, vel negare id, quod verba ejus ſignificant, ut cùm dico, *Deus eſt unus, & trinus*: dicitur verò utroque modo, ſc. *recitative*, & *formaliter* ſimul, quando narratur aliquid ut ab alio dictum eſt, & ſimul intenditur affirmare, aut negare id eſſe tale, ut narratur. Unde ſenſus quæſtionis eſt, an Sacerdos proferens verba conſecrationis, *hoc eſt Corpus meum*, nihil aliud intendat, quàm narrare qualiter dicta ſunt à Chriſto, non curans an vera ſint, an falſa; quod erit proferre illa purè hiſtoricè, & materialiter, ſeu recitativè? An ſimul etiam intendat ea proferre, ut vera, & cum eadem intentione, & efficacia, cum quibus ea Chri-

eſt, niſi prius fiat mentio de Chriſto, in cujus perſonæ proferuntur hæc verba: ſicut ſi dicerem, Chriſtus dixit (mea doctrina non eſt mea) *de veritate iſtius propoſitionis ſignificaretur, quòd ly*, mea, *refertur ad Chriſtum, non autem ſic, ſi quis non præmiſſa loquutione de Chriſto, ſtatim diceret*, mea doctrina &c. Per hæc verba, ut patet, videtur ſentire, quòd verba, *hoc eſt corpus meum*, abſolutè prolata, & ſine præcedentibus, quibus oſtenditur illa proferri in perſona Chriſti, non ſignificant quod debent, ut fiat conſecratio.

Denique inferiùs dicit, quòd [1] *nec fortè abſolutè quis conficeret, ut ſupra tactum eſt d. 8. niſi præmitteret ad minùs verba illa, per quæ ſignificat ſe proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti, non in perſona ſacerdotis*; ergo ſemper dubitat de valore conſecrationis, ſi omittantur verba illa præcedentia, vel æquivalentia.

Prob. 2. ex eodem. Nam verba ſacramentalia debent ſignificare ſenſibiliter ex vi verborum id, quod efficiunt; ſed verba conſecrativa, *hoc eſt corpus meum* de vi ſua non ſignificant ſenſibiliter id, quod efficiunt, niſi ad id determinarentur per aliqua antecedentia; ergo hæc neceſſariò ſunt præmittenda de neceſſitate Sacramenti. Maj. ſupponitur ex tr. de Sacramentis in communi. Prob. min. Verba conſecrationis efficiunt Corpus Chriſti; ſed illud non ſignificant ſenſibiliter ex vi ſuæ propriæ inſtitutionis ſine præcedentibus; ergo nec illud efficiunt. Prob. min. Nam cùm ſine addito dicuntur, nihil aliud ex vi ſuæ inſtitutionis ſignificant, quàm corpus loquentis; ergo non ſignificant per ſe corpus Chriſti.

Dices 1. falſam eſſe majorem; quia ſufficit, ut verba ſacramentalia ſignificent ex inſtitutione divina, non autem ex ſe, vel ex inſtitutione humana, & ut proferuntur à miniſtro cum debita intentione, eo ſc. modo, quo Chriſtus inſtituit: & hoc ita fieri poteſt, ſi Sacerdos abſolutè proferat illa quatuor verba eſſentialia.

Contra 1. De ratione omnis Sacramenti ex inſtitutione divina eſt, ut ſit ſignum ſenſibile effectus inſenſibilis, quem cauſat; ſed niſi præmittantur verba, quibus quatuor illa determinentur ad ſignificandum Cor-

[1] *d.13.q.2.0.2.18.*

Corpus Chiſti, iſta non ſignificabunt illud ſenſibiliter, ſed corpus loquentis; ergo etiam ex inſtitutione divina verba illa debent ſenſibiliter ſignificare id, quod efficiunt, ſc. corpus Chriſti.

Contra 2. Nam niſi verba ſacramentalia deberent ſignificare ſenſibiliter, & modo humano, quod operantur, ſufficeret miniſtro illa proferre mentaliter, aut ſub aliis quibuſcumque verbis ſibi ſoli intelligibilibus, & quæ nulla ratione id ſignificarent audientibus; v. g. *hoc eſt peculium, aut marſupium meum*, modò intenderet nomine peculii, aut marſupii, quod Chriſtus inſtituit; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Nam verba mentalia tam ſignificant miniſtro id, quod ipſe, & Chriſtus intendit, quàm vocalia; & tamen ipſe poteſt intendere corpus per marſupium, aut peculium, aut aliud quodvis nomen per illud verbum Canonis; ergo &c.

Confir. Verba conſecrationis debent dici ſacramentaliter, ſeu ſenſibiliter, ita ut ſignificent ex ſua inſtitutione communi tam audienti, quàm loquenti quod loquitur de corpore Chriſti, non de ſuo; alioqui, ut dicebam, ſufficeret illa proferre purè mentaliter, aut ſub aliis quibuſcumque vocibus ad arbitrium ſacerdotis; ſed hæc ſunt abſurda, & falſa; & ſine præcedentibus audiens deberet ea intelligere de corpore ſacerdotis ipſius, & non Chriſti; ergo &c. Prob. min. Si quis proferret illa verba Chriſti abſolutè, & ſine ulla mentione Chriſti, *Tempus meum nondum advenit*, vel *mea doctrina non eſt mea*, nemo eſſet audiens, qui non putaret eum loqui de ſeipſo; ergo ita eſt in propoſito, quamvis Chriſtus æquè dixerit iſta, ſicut & *hoc eſt corpus meum*: nec agitur hic de efficacitate, ſed de ſignificato, à quo dependet efficacitas Sacramenti.

Confir. 2. ex S. Ambroſio relato in Canone [1] *Panis eſt*, ubi ſic loquitur: *Vis ſcire quia verbis cœleſtibus conſecratur, accipe quæ ſunt verba, dicit ſacerdos, fac nobis, inquit, hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem, quod eſt figura corporis, & ſanguinis Domini N. J. C. qui pridie quàm pateretur in SS. manibus accepit panem... vide omnia verba ſunt Evangeliſtæ* (ſc. narrantis) *uſque ad accipite... inde verba ſunt Chriſti* &c. ergo ex Ambroſio, & Sacro

[1] 4. *de conſec. c. 4. d. 2.*

ero Canone non intelligitur verba conſecratoria eſſe verba Chriſti, niſi ex præcedentibus verbis narrativis de Chriſto. Alias rationes non contemnendas affert noſter P. Faber, & Eminentiſſimus Brancatus.

Objic. 1. ex Concil.Florent.ſępè cit. [1] *Sacramenta omnia tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & perſona miniſtri cum intentione* &c. ſed cum illis quatuor verbis habentur illa tria; & verba prçcedentia non pertinent ad ullum illorum trium; ergo illa tria ſufficiunt ſine ullis prçcedentibus. Min. patet de 1. & 3. prob. de 2. ſc. quòd non pertinent ad formam; quia hęc conſiſtit in verbis Chriſti, qualia non ſunt illa, ſed ſolius Euangeliſtę, aut Eccleſię; ergo non ſunt de forma.

Reſp. diſt. min. non pertinent ut aliquid eis intrinſecum, v. g. ad formam, con. ut quid extrinſecum, neg. min. & conſ. Nam verba illa pertinent ad formam, & velut prçrequiſita, & conditiones, ut ſignificent tanquam verba Chriſti; quia ſine illa ſignificatione, & conditione non habent rationem formæ ſacramentalis. Nam, ut docet Concilium, *Sacerdos in perſona Chriſti loquens hoc conficit ſacramentum*: non intelligitur autem, nec cenſetur loqui in perſona Chriſti, niſi præmittat illa verba, vel æquivalentia.

Objic. 2. ex Scoto. [2] *Sufficit miniſtro... intendere proferre iſtam orationem eo modo, quo Chriſtus eam inſtituit proferendam; & ſic habetur intentio debita, & inſtrumentum debitum, ſc. illa oratio, cui Deus aſſiſtit* &c. ſed hæc haberi poſſunt ſine ullis verbis præcedentibus; ergo illa ſola ſufficiunt.

Reſp. neg. min. abſolutè. Nam ſine verbis, per quæ determinetur oratio ut prolata in perſona Chriſti, nihil fit; & ſic ſine illis non profertur eo modo, quo Chriſtus eam inſtituit proferendam: unde hoc argumentum facit pro nobis.

Objic. 3. Ut verba formæ Sacramenti operentur præſentiam realem corporis Chriſti ſub ſpeciebus, non attenditur eorum ſignificatio naturalis, vel ad placitum humanum, ſed ad placitum Chriſti, & prout ab eo inſtituta ſunt; ſed Chriſtus hæc ſola verba,

[1] *diſp.34.n.31.diſp.19.n.10.* [2] *Ibid.q.2.Y.n.25.*

ba, *hoc eſt corpus meum*, inſtituit ad ſignificandam illam operationem; ergo illa ſufficiunt ſine aliis. Prob. min. Non enim conſtat, quòd aliis uſus ſit, vel quòd alia præceperit; ergo &c.

Reſp. neg. min. abſolutè: nam illa inſtituit ad hoc ſignificandum, ut prolata in ſua perſona, & non in perſona miniſtri; & hæc non habent hanc ſignificationem ſine præcedentibus.

Inſt. Ut ſacramentalia proferantur in perſona Chriſti, & ſic operentur tranſubſtantiationem panis, non pendet ex verbis præcedentibus in Canone, ſed ex intentione miniſtri ea proferentis ſecundum voluntatem Chriſti; ergo verba præcedentia nihil faciunt ad validam conſecrationem. Prob. ant. Nam cum verbis præcedentibus adhuc requiritur ad conſecrationem validam, ut ſacerdos intendat proferre formam in perſona Chriſti; & ſi hoc intendat, ſufficienter intelligitur loqui in perſona Chriſti; ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque. Non enim ſufficit, ut quomodocumque, & cum tali intentione interiori proferat; ſed debet id apparere in ipſa confectione Sacramenti, ſc. quòd gerat perſonam Chriſti; quod nunquam per ſe apparebit ſine verbis præcedentibus: dico, *per ſe*, & ex natura rei; nam poſſet id apparere ex aliis ſignis ſenſibilibus æquivalentibus, & tunc haberemus intentum.

Hæc dicta ſint, ut probabilis appareat hæc ſententia, in quam inclinat Doctor ſubtilis, & inſignes Scotiſtæ: & favet ratio: nam opinio de valore formæ ſine talibus verbis non caret probabilitate, & maximè propter graviſſimorum Theologorum auctoritatem, inter quos numerantur inſignes admodum Scotiſtæ, ut teſtantur Gavatius, Maſtrius, Poncius, Hiqueus, Fraſſen, Durandus, & alii.

CONCLUSIO III.

P*Articula*, enim, *quæ ponitur inter quatuor verba prædicta conſecrationis, non eſt de eſſentia illius formæ, nec de neceſſitate ſacramenti*. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Conjunctio*, Enim, *non eſt de*

[1] *Ibid. B.* 3.

de eſſentia formæ ... ſed ponitur ad continuandum, ne verba illa, quæ ſunt de forma, proferantur ſine præcedentibus: nam Chriſtus illam protulit, quia præmiſerat, *Accipite, & manducate, hoc eſt enim* &c.

Prob. 2. quia, ut dicebam, licèt Canon Miſſæ, & praxis Eccleſiæ illam ponat ut prolatam à Chriſto; tamen Euangeliſtæ, nec Apoſtolus eam non recitant in conſecratione panis, benè verò in conſecratione Calicis.

Dico, *de neceſſitate ſacramenti*; quia nullus dubitat de neceſſitate præcepti: ideò Caſuiſtæ cenſent, quòd qui ſcienter illam particulam omitteret, peccaret mortaliter.

QUÆSTIO V.

De forma conſecrationis Calicis.

Quia in conſecratione Calicis plura præſcribuntur verba, quàm in conſecratione panis, ideò plures occurrunt circa formam iſtam difficultates. Nam præter ſimilia antecedentia, dicimus, *Hic eſt enim calix ſanguinis mei novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: Et quærimus, an hæc omnia ſint de eſſentia formæ conſecrationis, & de neceſſitate ſacramenti: dico, *ſacramenti*; nam de neceſſitate præcepti nemo dubitat.

Quantùm ad præcedentia, *ſimili modo accipiens* &c. uſque ad iſta, *hic eſt enim*, eadem eſt difficultas, & controverſia, quæ in conſecratione panis de illis, *qui pridie* &c. & quæ diximus de iſtis, inſervient pro illis. Idem eſt de particula *enim*: difficultas eſt de iſtis, *novi, & æterni teſtamenti*: item, *myſterium fidei*, & *qui pro vobis* &c.

CONCLUSIO I.

Forma eſſentialis conſecrationis calicis, & ſufficiens eſt, Hic eſt Calix ſanguinis mei, vel *hic eſt ſanguis meus*. Eſt communis contra antiquiores Thomiſtas, & quoſdam alios volentes, reliqua verba, quæ ponuntur in Canone Miſſæ iiſdem characteri-

bus,

bus, eſſe de eſſentia, & neceſſitate ſacramenti, Quidam excipiunt iſta, *novi, & æterni teſtamenti*; alii verò iſta, *myſterium fidei*. Non negamus autem omnia eſſe de neceſſitate præcepti.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd (1) *non eſt nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam conſecrationis ſanguinis pertineant aliqua verba poſt illud*, ſanguinis mei, *vel aliquod illorum ſequentium uſque illuc*, Hoc facite &c. Unde colligitur, Scotum eſſe quidem certum, verba iſta, *hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe de eſſentia formæ conſecrativæ ſanguinis; ſed non eſt certus, an aliqua ex ſequentibus, v. g. *novi, & æterni teſtamenti*, aut, *myſterium fidei*, aut, *qui pro vobis, & pro multis effundetur* &c.ſint de eſſentia illius formæ, ita ut ſi aliqua ex illis omittantur, invalida ſit conſecratio.

Prob. 2. ex Euangeliſtis. Nam licèt inter ſe nonnihil varientur in verbis, tamen in ſubſtantia conveniunt. Matthæus refert Chriſtum dixiſſe: [2] *Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*: & huic convenit noſtra aſſertio quoad verba eſſentialia; ſicut & Marcus, qui ſcribit: (3) *Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur*. Lucas verò: (4) *Hic eſt calix, novum teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur*. Vides, quòd omnes conveniunt in ſubſtantia hujus formæ, *hic eſt ſanguis meus, hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſed non conveniunt in aliis: omittunt ly *æterni*, & *myſterium fidei*, & *pro vobis*: Marcus, & Lucas omittunt *enim*: Lucas omittit, *qui pro multis effundetur*: omnes omittunt, *myſterium fidei* &c. ergo ſola verba, in quibus conveniunt, ſunt de eſſentia formæ, non autem alia; vel Euangeliſtæ defecerunt in traditione veræ formæ conſecrationis, quod dici non debet.

Prob. 2. ex Patribus. Nam, inquit Juſtinus, *Apoſtoli in commentariis ſuis, qui Euangelia dicuntur, ita ſibi Jeſum præcepiſſe tradiderunt .... dixiſſe etiam accepto poculo, hic eſt ſanguis meus*. Et auctor ſermonis in Cœna apud Cyprian. *Ex quo a Domino dictum*

[1] *Ibid.D.9.*
[2] *Matth. 26.* (3) *Marc. 14.*
[4] *Luc. 22.*

ſtum eſt, hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus. Et Gaudentius, *Cum panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait, hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus* &c. Et S. Ambroſius docet, hæc verba, *hic eſt ſanguis meus*, eſſe verba Chriſti; & ſic de aliis.

Prob. 4. ex Liturgiis Græcorum, & Maronitarum, in quibus non habentur alia verba, quàm iſta; & tamen validè conſecrant. Idem eſt de Liturgiis S. Joannis Euangeliſtæ, S. Euſtachii, S. Joannis Patriarchæ, & aliorum, ut refert Pater Fraſſen.&c.

Prob. denique. Nam illa ſola verba tam perfectè, & integrè ſignificant converſionem vini in ſanguinem Chriſti, quàm iſta, *hoc eſt corpus meum* converſionem panis in corpus ejus; ſed iſta ſufficiunt pro pane; ergo & illa pro vino.

Confir. Nam reliqua non dicuntur à ſacerdote formaliter, ſed recitativè tantùm; ergo non ſunt eſſentialia formæ, quæ dicitur etiam ſignificativè.

Objic. 1. Sine illis omnibus verbis, quæ ponuntur in Canone Eccleſiæ noſtræ, non cenſetur valere conſecrationem; ergo omnia illa ſunt de eſſentia conſecrationis. Prob. Ant. Nam Eccleſia non vult calicem elevari, ut adoretur, antequam omnia dicta ſint; omnia ponit eodem modo in Canone, & proferuntur continuè, & eodem ritu; ergo cenſet eandem eſſe neceſſitatem, & efficaciam omnium.

Reſp. neg. min. & 2. conſeq. Nam eodem modo, & ritu ponuntur, & dicuntur, non quòd ſint ejuſdem neceſſitatis Sacramenti; ſed quia reddunt verba eſſentialia magis explicata, & clara, ſicut in aliis ſacramentis multa adduntur, & proferuntur eodem ritu, licèt non ſint æqualis neceſſitatis; ut cum in pœnitentia dicit Confeſſarius, *Ego te abſolvo à peccatis tuis in nomine Patris* &c. nec enim omnia illa verba ſunt de eſſentia formæ, ut videbimus.

Inſt. Eccleſia vetat, ne ullum ex his verbis omittatur: alioqui ex integro repetenda eſt tota oratio. Et in Concilio Colonienſi [1] omnia ponuntur ut forma Calicis; ergo Eccleſia prætendit omnia eſſe æque eſſentialia.

Reſp. neg.conſ. Nam inde ſequitur neceſſitas non ſacra-

[1] *n. 2. c. 14.*

ſacramenti, ſed præcepti; & in caſu omiſſionis alicujus verbi jubet repeti integram orationem ad majorem cautelam, quo nihil juſtius. Denique Concilium Colonienſe dicit quidem ibi contineri formam calicis, ſed non dicit, quòd omnia, & ſingula ſint æqualis neceſſitatis.

Inſt. 2. Catechiſmus Rom. omnia ponit ut formam. Unde Pius V. juſſit expungi ex libris Cardinalis Cajetani diſſenſionem doctrinæ S. Thomæ, qui docet omnia illa verba eſſe eſſentialia formæ; ergo S. ille Pontifex cenſet omnia eſſe de forma.

Reſp. neg. conſ. ob eandem rationem quoad Catechiſmum. Pontifex autem illa expungi voluit, non quoad punctum hujus controverſiæ, ſed quia Cajetanus non ſatis reverenter ſcribebat de mente Angelici ſui Doctoris; nam alioqui juſſiſſet etiam corrigi tot alios inſignes Theologos, præcipuè Scotiſtas, qui noſtram docebant, & docuerant opinionem. S. Thomas autem potiùs favet noſtræ ſententiæ, cùm dicit: *Per verba, hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificatur converſio vini in ſanguinem... per verba autem ſequentia ſignificatur virtus ſanguinis* &c. ergo tota vis conſecrativa calicis eſt in illis verbis, ex Sancto Thoma.

Objic. 2. Omnia illa verba complent unam propoſitionem cum præcedentibus: nam ſe tenent ex parte ſanguinis, cujus ſignificatio manet incompleta ſine illis; ergo æquè ſunt de eſſentia formæ illius.

Reſp. diſt. ant. complent accidentaliter, & ad majorem explicationem, con. ſubſtantialiter, ita ut propoſitio non ſignificet ſine illis ſubſtantiam ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus, neg. ant. Verba ſequentia ſignificant proprietatem, & efficaciam ſanguinis quoad finem, & effectus, ad quos ponitur; quod non eſt eſſentiale illius realis præſentiæ.

Inſt. Licet hæc verba, *ego te baptizo*, ſignificent poſitivè, & directè ablutionem internam, quam cauſat baptiſmus, adhuc non valet, niſi addantur alia, *in nomine Patris* &c. ergo ita eſt de iſtis, *hic eſt ſanguis meus*, licet ſignificent præſentiam realem ſanguinis, debent addi cætera.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia cùm baptiſmus ſit janua fidei, ablutio baptiſmalis non fit, niſi

invocetur SS. Trinitas: & ideò Chriſtus juſſit, ut ita conferretur Baptiſmus. Non ita eſt de Euchariſtia, quæ quia conſiſtit in eſſe permanenti corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini, ſufficit, ut id ſignificetur efficaciter per verba conſecrationis.

Objic. 3. Sanguis Chriſti in calice repræſentat eſſentialiter ſacrificium crucis, in quo effuſus eſt pro redemptione; ſed hoc non repræſentat ſine illis verbis, *qui pro vobis effundetur in remiſſionem &c.* ergo hæc verba ſunt de eſſentia formæ conſecrationis calicis. Maj. patet ex verbis Chriſti, (1) *hoc facite in meam commemorationem*: min. etiam prob. ex Apoſtolo dicente, (2) *ſacrificium non fieri ſine ſanguinis effuſione*.

Reſp. 1. neg. maj. Nam licèt præſentia realis corporis, & ſanguinis non efficeret niſi ſacramentum, adhuc ſubſiſteret, qualis eſt eſſentialiter.

Reſp. 2. neg. min. Nam hoc ipſo, quòd ſanguis ibi ponitur ſeorſim à corpore, ſufficienter ſignificatur, & repræſentatur ſacrificium crucis, & effuſio ſanguinis Chriſti, licèt verba illa, *qui pro vobis effundetur*, illud explicatius ſignificent. Præterea cùm dicitur de corpore, *quod pro vobis tradetur*, ſufficienter ſignificatur ſacrificatio: non enim traditur morti corpus ſine effuſione, nec ſine ſacrificio.

Objic. 4. Verba ſacramentalia non tantùm debent ſignificare exiſtentiam ſanguinis, & converſionem vini in ſanguinem, imò neque purè illius effuſionem, ſed etiam motivum, & effectus effuſionis; ſed hæc non ſignificantur ſine his verbis, *qui pro vobis* &c. ergo hæc ſunt eſſentialia huic formæ.

Reſp. neg. maj. quia, ut dictum eſt, hoc Sacramentum habet eſſe permanens; & ſic ſufficit, ut per verba conſecrationis ſignificetur exiſtentia ſanguinis in calice, & converſio vini in ipſum; & effuſio illa non debet ampliùs ſignificari ut futura.

Reſp. neg. min. Nam ſeparatio ſanguinis à corpore ſatis ſignificat illam effuſionem, & effectùm redemptionis. Denique in conſecratione corporis non dicitur, *quod pro vobis tradetur*; ergo &c.

Inſt. Niſi hæc verba eſſent eſſentialia conſecrationi

(1) *Luc.* 22. (2) *Heb.* 9.

ni vini, non magis deberent hìc poni, quàm in conſecratione panis; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam ſufficit Eccleſiam judicaſſe verba illa hìc apponenda, & non ibi. Cur autem id fecerit, fortè 1. ad meliùs repræſentandum novum hoc teſtamentum jam habuiſſe hunc effectum, ſcilicet mortem Chriſti, quam ſignificat intervenientem. 2. quia ideò ſanguis ibi ponitur ſeorſim à corpore; & per illa verba iſtud motivum, & myſterium magis explicatur. 3. quia illa ſeparatio, & effuſio meliùs repræſentat illam mortem.

Reſtat igitur, quòd tota forma conſecrationis calicis, quæ ponitur in Canóne Miſſæ, eſt de neceſſitate præcepti; ſed ad valorem ſacramenti ſufficerent, abſolutè loquendo, verba poſita in concluſione, ſc. *hic eſt calix ſanguinis mei*, vel, *hic eſt ſanguis meus*, pronuntiata ſuper debitam materiam in perſona Chriſti, cum debita intentione.

QUÆSTIO VI.

An verba conſecrationis dicantur hiſtorice, ſeu pure materialiter, & recitative, An formaliter, & ſignificative.

ALiquid dicitur recitativè, & materialiter, ſeu hiſtoricè, quando purè narratur ut dictum ab alio, ita ut narrans non intendat aſſerere, vel negare, quod narratur; ut ſi dicam; *Ariſtoteles docet mundum eſſe ab æterno:* dicitur vero *ſignificative, & formaliter*, quando loquens intendit aſſerere, vel negare id, quod verba ejus ſignificant, ut cùm dico, *Deus eſt unus, & trinus:* dicitur verò utroque modo, ſc. *recitative*, & *formaliter* ſimul, quando narratur aliquid ut ab alio dictum eſt, & ſimul intenditur affirmare, aut negare id eſſe tale, ut narratur. Unde ſenſus quæſtionis eſt, an Sacerdos proferens verba conſecrationis, *hoc eſt Corpus meum*, nihil aliud intendat, quàm narrare qualiter dicta ſunt à Chriſto, non curans an vera ſint, an falſa; quod erit proferre illa purè hiſtoricè, & materialiter, ſeu recitativè? An ſimul etiam intendat ea proferre, ut vera, & cum eadem intentione, & efficacia, cum quibus ea Chri-

ſtus protulit; quod eſt dicere illa formaliter, & ſignificative, & ſimul recitative.

CONCLUSIO.

VErba *conſecrationis dicuntur in hoc ſacramento non ſolum hiſtoricè, ſeu recitativè, & materialiter, ſed etiam formaliter, & ſignificativè ſecundum regulas logicales: probabiliter autem ad valorem ſufficeret illa dicere formaliter, & ſignificativè.* Eſt communis Scotiſtarum, & Thomiſtarum contra quoſdam antiquos volentes eà dici pure materialiter, & alios volentes ea dici pure formaliter.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui poſt longam diſcuſſionem harum propoſitionum, in quibus conſiſtit forma conſecrationis, tandem concludit: *Theologi. ſufficit; quod iſta oratio* (hoc eſt corpus meum) *ut eſt tale ſignum ſenſibile inſtitutum a Deo, eſt inſtrumentum Dei ad conſecrationem illam, quæ ſequitur in ultimo inſtanti; ita quod Deus aſſiſtat ſibi tanquam cuidam diſpoſitioni præviæ efficaci, ut ea completa cauſet talem effectum inviſibilem* &c. ... *Sufficit igitur miniſtro non diſputanti tunc pro quo intelligitur oratio, intendere proferre iſtam orationem eo modo, quo Chriſtus inſtituit eam proferendam; & ſic habetur intentio debita, & inſtrumentum debitum;* ergo ex Scoto verba illa proferuntur non tantum recitative ut a Chriſto dicta, ſed etiam ſignificative, cum eadem intentione, cum qua Chriſtus ea protulit, & voluit a ſacerdotibus proferri.

Prob. 1. p. Nam ex terminis patet, quod ſacerdos recitative dicit, *qui pridie, quam pateretur* &c. & ante conſecrationem calicis dicit eodem ſenſu, *ſimili modo* &c. & poſt totam conſecrationem dicit pariter, *hæc quotieſcumque feceritis* &c. Hæc inquam, omnia, & ipſa verba conſecrationis profert velut dicta a Chriſto: ergo omnia profert recitative, & hiſtorice: nam ſic proferre nihil aliud eſt, quam aliquid narrare non ex ſe, ſed ut ab alio dictum.

Confir. Nam illa alia verba, *qui pro vobis effundetur* non poſſunt dici pure formaliter, & ſignificative quo- ad

[1] *Ibid.* X. 23.

ad ſanguinem, quem ponit in calice de præſenti; quia tunc non effunditur realiter, ſed intelligitur de ſanguine fuſo in Cruce.

Prob. 2. p. Nam aliquid dicitur ſignificative, & formaliter, quando loquens, & recitans intendit affirmare ex ſe, & ſignificare verum eſſe, quod dicit; ſed ſacerdos proferens hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, vult etiam ſignificare non ſolum illa eſſe dicta a Chriſto, ſed etiam rem ita eſſe, ut narrat, ſc. ibi eſſe vere corpus Chriſti; ergo hæc dicit etiam ſignificative.

Prob. 3. p. Nam in probabili ſententia eorum, qui dicunt, ad validam conſecrationem ſufficere hæc verba abſolute prolata, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus* ſine præcedentibus, quæ dicuntur recitative, in illa, inquam, ſententia hæc verba dicerentur ſolum ſignificative, quamvis Sacerdos intenderet loqui in perſona Chriſti: ergo ad eſſentiam formæ, & valorem conſecrationis ſufficeret, illa dici formaliter, & ſignificative.

Objic. 1. con. 1. p. Implicat idem dici recitative, & ſignificative; ergo vel forma conſecrationis non dicitur recitative, vel non dicitur ſignificative. Prob. ant. Quod dicitur recitative, non affirmatur, nec negatur, dicitur ſine aſſenſu, vel diſſenſu; & quod dicitur ſignificative, dicitur cum aſſenſu, vel diſſenſu: ſed dicere cum aſſenſu, & ſine aſſenſu ſunt contradictoria; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. ſi dicitur pure materialiter, & hiſtorice, con. quod dicitur cum utraque intentione, neg. maj. & diſt. min: cum aſſenſu, & ſine aſſenſu ſub eodem reſpectu, & motivo, con. ſub diverſis motivis, & reſpectibus, neg. min. Quatenus aliquid narramus pure ut ab alio dictum, non affirmamus niſi factum; ſed quando id narramus ut ab alio dictum, & ut verum, & cum intentione ut id credatur, aut fiat, dicimus cum aſſenſu. Aliud eſt narrare, quod Ariſtoteles hoc dicebat; & aliud narrare, quod verum eſt quod dicebat; hic duo ſunt, ſc. factum, & jus, ſeu veritas. Sacerdos proferens verba Canonis, & conſecrationis intendit recitare, quod Chriſtus dixit, & fecit dicendo, & ſimul id facere, quod fecit per eadem, ſeu ſimilia verba.

Objic. 2. Quando quis recitat verba abſentis, vult ſigni-

ſignificare id, quod ille ſignificavit; ſed Sacerdos non intendit ſignificare per verba conſecrationis idem, quod Chriſtus: ergo non profert verba illa recitative. Prob.min. Chriſtus per illa verba ſignificabat corpus ſuum proprium eſſe ſub ſpeciebus panis, quem ipſe tenebat; ſed ſacerdos non intendit ſignificare corpus ſuum, nec panem cœnaculi, ſed corpus Chriſti panem præſentem; ergo non recitat.

Reſp. neg. min. utramque. Nam ſacerdos dicens, *hoc eſt corpus meum*, loquitur in perſona Chriſti, & de corpore ipſo Chriſti, quod facit præſens ſub ſpeciebus panis, quem tenet, ſicut Chriſtus illud poſuit per illa verba ſub ſpeciebus panis, quem tenebat: & ideo ſacerdos ſic loquitur non pure hiſtorice, & materialiter, ſed etiam formaliter, & ſignificative, & Sacramentaliter aſſerendo, & efficiendo, quod dicit.

Objic. con. 2. Verba, quæ dicuntur ſignificative, ſumuntur in proprio ſenſu, & ut ſonant; ſed in conſecratione hæc non ita ſumuntur, quia ly *meum*, aut *meus*, aut *mei* ſumuntur non de corpore, vel ſanguine loquentis, ſed Chriſti, de quo recitantur; ergo dicuntur pure hiſtorice, & non ſignificative.

Reſp. neg.min.& conſ. prob. Nam cum ſacerdos loquatur non in propria perſona, ſed Chriſti, ly *meum* idem ſignificat in ore ſacerdotis, quod in ore ipſius Chriſti, & hoc ex intentione recitantis.

Inſt. Si loqueretur in perſona Chriſti, & ſignificative, propoſitio in conſecratione calicis eſſet falſa; ſed conſ. eſt abſurdum, & verba illa non eſſent rite ſignificativa; ergo. &c. Prob. maj. dicit Sacerdos, *hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur*: ſed hoc eſt falſum de ſanguine, qui eſt in calice; ergo &c.

Reſp.neg. 1. maj. & diſt. 2. dicit recitative, conc. ſignificative, neg. maj. Nam per illa verba ſequentia conſecrationem intendit ſacerdos dicere, quod ille ſanguis, qui ponitur in calice, eſt ille ipſe ſanguis, quem præbuit bibendum Apoſtolis in cœna ultima ante mortem ſuam, & qui effundendus erat pro nobis.

Inſt. Sacerdos eodem orationis contextu, & modo pro-

profert omnia, ſc. antecedentia, media, & poſteriora; ergo vel recitative, vel ſignificative dicit utraque.

Reſp. neg. conſ. quia ſicut non eumdem ſenſum, nec efficaciam habent antecedentia, & poſteriora, quem habent media; ita non eodem modo, nec eadem intentione debent proferri. Media ſunt conſecrativa, & effectiva Sacramenti, non illa alia, licet connectantur materialiter, & quoad orationis, vel hiſtoriæ ſeriem, non quoad efficaciam.

Inſt. Si hæc deberent dici ſignificative, ſequeretur inſignes admodum Theologos numquam vere conſecraſſe; quia putant omnia dici pure materialiter, & numquam habuerunt aliam intentionem, quam recitandi; ſed conſ. eſt incredibile de tantis viris; ergo &c.

Reſp. neg. ſequ. & diſt. prob. intentionem recitandi, & ſimul faciendi, quod facit Eccleſia, & quod fecit Chriſtus, con. recitandi, nec aliud faciendi, neg. ant. alioqui non dubitarem eos invalide feciſſe: ſed non eſt credibile, tantos viros intentionem habuiſſe alienam ab intentione generali Eccleſiæ, cui addictiſſimi ſubditi fuerunt.

QUÆSTIO VII.

Quomodo ſumantur, & quid ſignificent verba formæ conſecrationis, maxime pronomina Hoc, & Hic.

QUæſtio hæc difficilior eſt, quam videatur, & in ea decidenda variant Theologi. Nam dubitatur 1. an in conſecratione panis ly, *hoc*, ſumatur adjective pro corpore Chriſti, velut adjectivum ejus? an pro ſubſtantia panis, quæ tranſit in ſubſtantiam corporis? an pro ſpeciebus ejuſdem panis, ſub quibus ponitur corpus? nam tunc ſe habet velut adjectivum vel corporis, vel panis, aut ſpecierum, prout illis ſubeſt corpus. 3. ſi ſumatur ſubſtantive, tunc, *hoc*, habet potius rationem ſubjecti, ſeu materiæ, & *corpus* rationem prædicati, ſeu formæ, ſed adjectivi, non quidem grammaticaliter, ſed logice, aut Theologice, ut cum dicitur, *Pater eſt Deus*; & eadem vox,

vox, *Hic*, ſignificat in particulari rem illam, quæ eſt corpus Chriſti, ſeu individuum aliquod entis, ut loquitur Doctor. Rem breviter decidimus, quantum ſufficiat Tyronibus noſtris. Idem eſt de conſecratione ſanguinis quoad vocem *Hic*. De aliis verbis non eſt tanta difficultas.

CONCLUSIO I.

IN *forma conſecrationis pronomen*, Hoc, *non ſumitur adjective pro ſubſtantia, vel ſpeciebus panis, nec pro corpore Chriſti, ſed ſubſtantive pro re, vel ente ſingulari, quod eſt corpus Chriſti*. Eſt communis, maxime inter Scotiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam concluſione 10. & 11 dicit, quod *Hoc in propoſito demonſtrat ſingulare entis & non per ſe ſingulare alicujus minus:* & quod ly *Hoc ibi non ſupponit per ſe, niſi ſingulare entis; tamen illud intelligitur pro ſingulari alicujus inferioris, & regulariter pro ſingulari, quod eſt Corpus Chriſti;* ergo ex Scoto non ſumitur nec pro pane, nec pro ſpeciebus panis, nec directe pro iſto corpore, ſed pro re illa, ſeu pro illo ſingulari entis, quod eſt corpus Chriſti.

Prob. 1. p. Pronomen, *hoc*, vel, *hic*, ſumitur adjective, quando copulatur alicui ſubſtantivo: ut ſi diceres, *hoc corpus eſt meum:* ſed in forma conſecrationis panis ly, *hoc*, non copulatur ulli ſubſtantivo, ſaltem explicite, ſed ſe habet potius ut ſubjectum, & *corpus* ſe habet ut prædicatum: ergo &c.

Confir. Nam in propoſitionibus categoricis ſubjecta ſe habent ſubſtantive, & prædicata ut formæ quaſi adjacentes; ſed hæ propoſitiones, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus*, ſunt propoſitiones categoricæ de tertio adjacente; ergo ly, *Hoc*, quod in eis habet locum ſubjecti, ſignificat ſubſtantive.

Prob. 2. de ſubſtantia, vel ſpeciebus panis: quia neutrum eſt corpus Chriſti; ſeu corpus iſtud non poteſt vere prædicari nec de ſubſtantia, nec de ſpeciebus panis; ergo ly *Hoc*, non ſupponit pro pane, nec pro ſpeciebus ejus, licet corpus Chriſti ponatur ſub illis.

Prob.

[1] *Ibid. q. 2. p. & Q. 17. 18.*

Prob.2. Nam ſignificaret panem ut manentem, vel ut deſinentem; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. non permanentem: tum quia non permanet, ſed deſtruitur: tum quia non eſt corpus Chriſti. 2. non tranſeuntem: nam panis deſinens, aut deſtructus non exiſtit: ergo non poteſt dici de illo, quod eſt corpus Chriſti.

Confir. eodem modo de accidentibus: non enim ſunt corpus Chriſti: ergo &c.

Dices. Per id non ſignificatur identitas ſpecierum cum corpore, ſed exiſtentia corporis ſub ſpeciebus.

Contra. Nam verba conſecrationis habent propriam ſignificationem ut ſonant: ergo non ſignificant corpus contineri, ſed eſſe: alioqui tam verificarentur de continentia cum ipſo pane, quam ſub ſpeciebus: & ſic hæc replica faveret Lutheranis: Imo ſi ſemel detur his verbis ſignificatio figurata, favetur Calviniſtis, cum dicant hæc verba ſignificare, quod panis eſt corpus Chriſti repræſentative, ſeu figuratum.

Prob. 3. p. de corpore: nam ſi vox, *hoc*, ibi ſignificaret corpus, faceret ſenſum, & propoſitionem identicam, & nugatoriam: idem enim eſſet, ac ſi diceret, *corpus meum eſt corpus meum*: ergo proprie, & rigoroſe hoc non ſignificat corpus, ſed aliquid, de quo prædicatur corpus.

Prob.4.p. de modo loquendi Concilii Trid. [1] *Chriſtus redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit*: nam ſenſus eſt: *vere dixit id, quod ſub ſpecie panis offerebat, eſſe corpus ſuum.* Ly autem *id* ſumitur ſubſtantive pro aliqua re ſingulari, quæ eſt corpus Chriſti.

Prob.2. Nam ly, *hoc*, in hac propoſitione debet ſupponere pro aliquo, de quo poſſet vere prædicari corpus Chriſti prædicatione formali; ſed corpus Chriſti poteſt vere, & formaliter prædicari de tali individuo entis, ſeu de illa re ſingulari, quæ ſignificatur per vocem, *hoc*, in forma conſecrationis panis, & per vocem, *hic*, in conſecratione ſanguinis; ergo &c.

Senſus igitur talium propoſitionum eſt, iſtud ens, iſta res, vel id, quod offero, eſt pro ultimo inſtanti prolationis Corpus, & ſanguis Chriſti.

Objic.

[1] *ſeſſ.13.cap.4.*

Objic 1. Si vox *hoc*, vel *hic*, ſumeretur ibi ſubſtantive, non diceretur in conſecratione Calicis, *hic eſt calix*; ſed *hoc eſt calix*, ſed hoc eſt falſum; ergo voces illæ ſumuntur adjective, ut conveniant ſubſtantivis corporis, & ſanguinis. Prob. maj. Quando voces illæ uſurpantur ſubſtantive, ponuntur in neutro genere; nec curatur de illarum concordantia cum prædicato. Unde quærenti, *Quid eſt hoc?* reſpondetur, *eſt panis*, vel *aqua*; ergo quandoquidem in conſecratione calicis non dicitur *hoc*, ſed *hic eſt ſanguis*, non ſumitur ſubſtantive, ſed adjective.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. Nam ſæpius quando articulus ponitur ſubſtantive, ut ſubjectum propoſitionis, ponitur maſculine; ut cum dicitur, *Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt tres creantes*. Similiter in conſecratione calicis dicitur, *hic eſt calix*, vel *ſanguis meus*, quia particula *hic* ſe habet ut ſubjectum, & ſanguis ut forma velut adjacens illi.

Inſt. Hæc pronomina in conſecratione debent ſumi, prout ſumuntur communiter in ſimilibus; ſed in ſimilibus propoſitionibus ſumuntur adjective; ergo & ibi. Prob. min. Nam cum dico, *hic eſt pater meus*; *hæc eſt mater mea*, *hoc eſt vinum meum*, *hic*, & *hæc*, & *hoc* ſumuntur adjective; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam etiam in his ſuppoſitionibus illa pronomina ſumuntur ſubſtantive, & ſupponunt pro ſubjecto talium prædicatorum; quamvis grammaticaliter dicantur concordia in caſu, numero, & genere cum ſuis prædicatis, quaſi adjectiva cum ſubſtantivis.

Objic. 2. con. 4. Si pronomen, *hoc*, ſignificaret ſingulare aliquod entis, forma conſecrationis eſſet falſa, vel non eſſet converſiva panis in corpus Chriſti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Illa res ſingularis eſſet vel ſubſtantia panis, & ſic falsò diceretur, quod eſt corpus Chriſti; vel eſſet ipſum corpus Chriſti, & ſic propoſitio non eſſet converſiva panis in illud, ſed eſſet identica, & nugatoria, quaſi diceres, *corpus meum eſt corpus meum*, & hoc eſſet verum ſpeculative abſque converſione; ergo, *hoc*, ibi non ſignificat ullum ſingulare.

Reſp. neg. maj. & ant. Neutrum enim directe, & expli-

xplicite ſignificat, ſed illam rem, ſeu illud ens, uod eſt corpus Chriſti ex vi verborum illorum.
Inſt. Significatum formæ acramentalis debet eſſe ertum, & determinatum; ſed ſi per iſtam ſignificaetur individuum entis, ſignificatum illud non eſt determinatum, nec certum; ergo &c. Prob. nin. Individuum entis poteſt dici tam de accidene, quam de ſubſtantia; imo & hic diceretur potius e accidente, quod cadit ſub ſenſum; ergo ſignifiatum illius formæ, ſeu pronominis *hoc* non eſſet eterminatum, nec certum.
Reſp. neg. min. & diſt. ant. ſingulare entis in abſtrao, & extra omnem orationem, & adjective, con. in ratione, & ſubſtantive, neg. ant. Nam in hac oratioe *hoc* demonſtrat id, ad quod determinatur per prædicatum: ut ſi dicas, *hoc ens eſt lapis; hæc res eſt corpus hriſti*, ly, *hoc ens*, vel *hæc res* non eſt quid vagum, & nde terminatum, ſed eſt lapis, vel corpus Chriſti.
Inſt. 2. Saltem æque demonſtraret accidentia pais, ac corpus Chriſti; ergo ſemper ſignificatum eſſet incertum; vel propoſitio eſſet falſa. Prob. ant. demonſtraret ſingulare entis: ſed ens eſt univocum ſubantiæ, & accidenti: ergo tam demonſtraret accientia, quam ſubſtantiam corporis Chriſti: & ſic ropoſitio erit falſa: quia falſum eſt accidentia eſſe orpus Chriſti.
Reſp. neg. ant. & diſt. mai. ſingulare entis, quod eſt orpus Chriſti, con. ſingulare entis incertum, & vaum, neg. maj. Nam, ut dicebam, ſingulare illud ntis determinatur per prædicatum, ad quod ſignifiatur pertinere per identitatem.
Inſt. 3. Igitur ſic demonſtrat illud ſingulare, quod ſt corpus Chriſti: ſed hoc dici non poteſt: ergo &c. Mai. patet ex reſponſis. Prob. min. Nam ſic propoſiio haberet ſenſum nugatorium, & eſſet identica: iem enim affirmaretur de ſeipſo, quaſi diceres, *Corus meum eſt corpus meum*: ergo &c.
Reſp. neg. min. & ant. Nam ly, *hoc*, ſignificat quiem corpus Chriſti, ſed confuſe, & in prædicato exlicite ponitur: & ſic propoſitio non eſt nugatoria, ec identica, ut ſuppono in bona Logica, in qua iem diſtincte, & explicite ſignificatum recte prædiari poteſt de ſe ipſo confuſe cognito, vel ſignifica-
to,

to, & talis eſt iſta: *hæc res*, vel *hoc ens eſt corpus meum*.

Inſt.4. Cum profertur ly, *hoc*, nondum exiſtit ibi corpus Chriſti, quia nondum peracta eſt conſecratio: ergo non poteſt ſignificare illud ſingulare entis, quod eſt corpus Chriſti.

Reſp. diſt. conſ. pro inſtanti mathematico, in quo profertur illa vox, con. pro tempore totius orationis completæ, neg. conſ. quia in 1. illo inſtanti vox illa non habet completam ſuam ſignificationem, ſed refertur a d id, quod demonſtrat, & operatur: & hoc eſt notandum in propoſitionibus practicis, quæ non ſignificant niſi in ultimo inſtanti completæ prolationis earum: & tales ſunt formæ conſecrativæ panis, & calicis: & idem eſt in aliis ſacramentis, ut diximus alias.

CONCLUSIO II.

Formæ conſecrativæ ſunt in proprio ſenſu veræ. Eſt communis contra hæreticos, qui cum negent in Euchariſtia eſſe realiter corpus Chriſti, ita & negant has formas eſſe veras. Inter Catholicos eſt aliqualis diſſenſio quoad qualitatem veritatis.

Prob.1.ex Scoto cit.[1]*Diceret Theologus, quod qualitercumque logicus ſalvet iſtam propoſitionem eſſe veram, ſaltem non eſt oratio ſacramentalis ut vera, ſed ut tale ſignum ſenſibile præcedens ad minus naturaliter ſuam veritatem*, &c. ſc. veritas eſt relatio ſequens operationem verborum, per quæ fit converſio ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti.

Prob. 2. quia illæ propoſitiones, ſc. *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſunt prolatæ a Chriſto, & in perſona Chriſti; ergo neceſſario ſunt veræ: quia Chriſtus, ut Deus, eſt ſumma veritas; nec poteſt fallere, nec falli.

Prob.3. & ſimul quoad proprietatem, & rigorem ſermonis: quia illæ propoſitiones ſunt veræ in rigore ſermonis, quæ enuntiant, & ſignificant ex proprietate verborum objecta, ut ſunt in ſe a parte rei; ſed tales ſunt illæ propoſitiones; ergo &c. Prob. min. Nam in

[1] *Ibid. V. n.23.*

n ultimo inſtanti completæ prolationis horum ver-
orum corpus, & Sanguis Chriſti, quæ per illa ſi-
nificantur ex proprio rigore verborum, ſunt ſub il-
is ſpeciebus panis, & vini; ergo &c.

Dixi, *in ultimo inſtanti completæ prolationis*, quia onceptus orationis non habetur per partes, ſed poſt ompletam prolationem ejus; ergo nec veritas, quia æc attenditur penes conformitatem pronuntiationis um objecto.

Objic. 1. Verbum, *eſt*, proprie, & in rigore ſigni-cat unionem prædicati cum ſubjecto de præſenti, ſeu ro inſtanti, quo profertur; ſed pro inſtanti reali, uo profertur *eſt*, ſeu *hoc eſt*, nondum adeſt corpus Chriſti; ergo &c. Idem eſt de ſanguine, & quidem a ortiori; ergo illæ propoſitiones non ſunt veræ, ſal-em in rigore. Prob. min. Nam de rigore verius dice-etur, *hoc fit corpus meum*, quia pro illo inſtanti cor-ous non eſt, ſed fit corpus Chriſti.

Reſp. neg. maj. Non enim ſignificat illam unionem ro inſtanti præciſe prolationis ipſius vocis *hoc*, vel *ic*, ſed totius orationis. Unde non ſignificat, quod llud ens eſt corpus Chriſti, niſi per completam ora-ionem, in qua uniuntur ſubjectum, & prædicatum er copulam illam *eſt*. Copula enim eſt inter extre-na, & non poteſt copulari prædicatum, antequam it in re, & in mente.

Inſt. Prius eſt rem eſſe, quam dici cum veritate; ed corpus Chriſti dicitur eſſe prius, quam exiſtat; er-go non dicitur vere, quod ſit. Prob. min. quia cor-ous Chriſti non exiſtet, niſi poſtquam dicitur eſſe; uia dicto, *eſt*, eſt cauſa exiſtentiæ, & prius eſt dici eſſe, quam ſit, ſaltem prioritate naturæ, quam ha-bet omnis cauſa ad effectum.

Reſp. diſt. maj. in propoſitionibus ſpeculativis, con. n practicis, neg. mai. & conſ. Nam propoſitiones ſpeculativæ ſupponunt exiſtentiam objecti; practicæ vero illud efficiunt: & ideo priores ſunt ſua veritate, quæ non reſultat niſi poſt exiſtentiam rei, quam enun-tiant, & enuntiando efficiunt.

Objic. 2. In his propoſitionibus voces *meum*, & *mei* non ſignificant proprie: nam hæ voces proprie, & in ri-gore ſignificant aliquid loquentis: & ſic in rigore ſigni-ficarent non corpus Chriſti, ſed ſacerdotis; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. ejus: aliquid loquentis, ſi loquitur de ſe, & in propria perſona, con. ſi non de ſe, nec in propria perſona, neg. ant. & conſ.quia, ut dictum eſt ſæpe, Sacerdos non loquitur de ſe, nec in ſua propria perſona, ſed Chriſti: & ſic proprie, & rite illæ voces *meum*, & *mei*, ſignificant corpus, & Sanguinem Chriſti, non vero Sacerdotis.

Objic. 3. Propoſitio non eſt vera pro tempore, quo non eſt; ſed formæ conſecrationis in ultimo inſtanti, quo prolatæ ſunt, tunc primo non ſunt; ergo nec pro illo inſtanti ſunt veræ. Maj. patet, quia verum, & ens convertuntur. Prob. min. quia non ſolum priora verba, v. g. *Hoc*, & *eſt*, & *corpus*, non ſunt, quando dicitur *meum*; ſed etiam *meum* tunc primum non eſt, quando ſignificat, ſed terminat, & complet propoſitionem per ultimum ſui eſſe, & reſultat ſignificatum in primo ſui non eſſe; ergo &c.

Reſp. diſt. min. tunc primo non ſunt in voce loquentis, con. in phantaſia, & intellectu, & intentione neg. min. & conſ. Nam illæ voces, quæ ſucceſſive fuerunt in ore loquentis, ſunt ſimul per ſpecies ſuas in phantaſia, & intellectu audientis, etiam *poſt* completam prolationem: & tunc intelligitur conceptus loquentis, & reſultat relatio conformitatis cum objecto, in qua conformitate conſiſtit veritas: ſic oratio vocalis poſt ſui non eſſe materiale exiſtit in effectu, & in ſpeciebus, quas produxit.

Inſt. Significatum totius orationis conſtat ex ſignificatis partium: ſed partes orationis ſignificant, cum proferuntur; ergo & oratio habet ſuum ſignificatum ante finem pronuntiationis.

Reſp. diſt. min. habent ſignificatum abſolutum, & diſcretum, con. relativum, & compoſitum, ut partes formaliter componentes, neg. min. Cum pronuntias *hoc*, intelligis ens, & aliquod præſens; cum dicis, *eſt corpus*, intelligis pariter illud ens eſſe ſubſtantiam corpoream ſive panis, ſive hominis, ſive beſtiæ; ſed cum dicis *meum*, intelligis ens, *quod eſt corpus tuum*, & non alterius entis. Vides differentiam ſignificati partium a ſignificato totius orationis; & quod aliter ſignificant ſeorſim, & ſigillatim, & aliter in compoſito orationis.

Inſt. 2. Dictio idem ſignificat per ſe, & ſeorſim,

quod

quod ſignificat in oratione; ſed ſeorſim prolata ſta-
tim ſignificat; ergo & in oratione.

Reſp. diſt. maj. idem ſignificat ſubſtantiale abſolu-
tum, & incomplexum, con. complexum, & ut pars
orationis, neg. maj. & conſ. ut patet ex dictis.

Objic. 4. In omni oratione pronomen demonſtrati-
vum ſtatim ac pronuntiatur, ſignificat, & demonſtrat
id, in quod cadit; ſed formæ conſecrationis ſunt de-
monſtrativæ, ut patet: dicunt enim, *hoc eſt corpus
meum*, & *hic eſt calix*: ergo ſtatim ac pronuntiantur,
& ante finem totius orationis demonſtrant ſuum ſi-
gnificatum; vel earum ſenſus non eſt verus in rigore.

Reſp. diſt. maj. demonſtrant confuſe, & imperfe-
cte, con. diſtincte, & complete, neg. maj. Nam, ut mox
dicebam, cum dicis, *hoc eſt corpus*, particula demon-
ſtrativa demonſtrat quidem corpus, ſed antequam
dixeris *meum*, neſcis quodnam corpus demonſtret,
an tuum, an bovis. Id longe verius eſt in propoſitio-
nibus practicis: nam id, quod producunt, non produ-
citur per partes, nec ſucceſſive, ſicut proferuntur
ſucceſſive, ſed totum corpus Chriſti ſimul, &c.

CONCLUSIO III.

F*ormæ conſecrationis cauſant præſentiam realem,
corporis, & ſanguinis Chriſti, quatenus ſunt ſi-
gnificativæ, non quatenus veræ.* Ita Scotiſtæ, & alii
contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Si quæras qualis aut ut vera,
aut ut falſa eſt propoſitio converſiva? dico, quod neque
ſic, neque ſic, ſed tantum ut eſt propoſitio neutra, &
prior naturaliter, & forte tempore ſua veritate*; ergo ve-
ritas illarum formarum non eſt cauſa converſionis
panis in corpus, nec vini in ſanguinem Chriſti; ſed po-
tius e contra cauſatio converſionis eſt cauſa veritatis.

Prob. quoad 1. p. quia de ratione Sacramenti eſt, ut
ſit ſignum efficax, & ſenſibile effectus inviſibilis; ergo
ſignificando operatur; ergo verba ſacramentalia in
Eucharistia operantur ut ſigna; ergo ut ſignificativa:
ſignificant autem poſitionem corporis, & Sanguinis
Chriſti ſub ſpeciebus panis; ergo &c.

Prob. 2. p. ex eodem Scoto. [2] Omnis relatio po-
ſterior eſt ſuo fundamento; ſed veritas eſt relatio con-
formitatis propoſitionum illarum cum ſuo objecto;
&

[1] *Ibid. n. 23.* [2] *Ibid.*

& quatenus corpus, & ſanguis Chriſti, quæ ſignificant, & enuntiant, ſunt de facto ſub ſpeciebus panis, & vini, ſicut enuntiant; ergo & illa ſunt fundamentum talis veritatis; ergo exiſtentia corporis, & ſanguinis Chriſti in ſpeciebus eſt prior veritate verborum; ſicut omne fundamentum eſt prius ſua relatione, & omnis cauſa prior ſuo effectu.

Prob. 2. Nam hæc propoſitio, *hoc eſt corpus meum*, non habet veritatem, antequam ibi ſit corpus Chriſti; ſed illud non eſt ibi ante converſionem panis, quæ ſit vi verborum eorumdem; ergo converſio panis in corpus Chriſti fit per illa verba, & iſta non habent veritatem ante converſionem.

Confir. Nam eadem propoſitio ſub eadem ſignificatione modo eſt vera, modo eſt falſa; ergo ſignificatio eſt quid prius, & independens a veritate. Prob. ant. Nam iſta, *Petrus currit*, eſt vera, quandiu Petrus eſt in actu currendi, & evadit falſa ſtatim atque Petrus ceſſat currere; ergo &c.

Objic. 1. Concilium Tridentinum [1] probat converſionem, ſeu tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti ex veritate conſecrationis; ergo veritas conſecrationis eſt prior converſione, ut cauſa ejus. Ant. patet; *S. Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri*. Prob. autem conſ. nam hæc probatio debet cenſeri per cauſam, & a priori; quia eſt potior probatio, quam a poſteriori.

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. ant. Nam licet Concilium hic tangeret hanc quæſtionem, quod non credo, adhuc illi ſufficeret ratio a poſteriori, & probaret converſionem ex verbis conſecrationis ut a cauſa, ut a veritate, ut ab effectu: nec enim ſemper procedit a cauſis ad effectus; ſed ſæpe etiam per effectus oſtendit cauſas.

Reſp. 2. neg. 1. ant. quia revera Concilium non loquitur de conſecratione ut vera, ſed ut effectiva, & ſignificativa, & ſacramentali. Ideo cap. 3. dicit, *hoc eſſe commune Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ*; ergo conſiderat verba conſecrationis ut Sacramentalia, id eſt ut ſignificativa, & operativa præciſe a veritate.

Objic. 2. Propoſitio non poteſt ſignificare, quin ſit vera,

[1] *ſeſſ. 13. c. 4.*

vera, aut falſa; ergo iſta, *hoc eſt corpus meum*, cauſat converſionem, ut vera, aut falſa; ſed non ut falſa, ergo ut eſt vera. Prob. ant. Omnis propoſitio eſt conformis, aut difformis objecto ſuo; ergo eſt vera, aut falſa.

Reſp. neg. maj. Nam veritas, & falſitas reſultant ex ſignificatione, non autem ſignificatio ex veritate; ergo pro illo priori, quo propoſitio ſignificat, non eſt nec vera, nec falſa, ſed neutra, & evadit vera, ſi ſignificet res, ut ſunt, ſin minùs, eſt falſa.

Inſt. Verba conſecrationis operantur converſionem, quatenus ſunt verba Chriſti; ergo & quatenus vera, ſeu verba primæ veritatis.

Reſp. neg. conſ. Nam ut ſunt verba Chriſti, habent vim ſignificandi efficaciter, ſeu efficienter corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini; & quia operantur, ut ſignificant, ideo ſunt practicè vera: & ſic veritas ex ſignificatione reſultat. Idem eſt de aliis Sacramentis.

Objic. 3. Forma Sacramentalis cauſat effectum infallibiliter ex parte Dei; ſed illa infallibilitas præcedit effectum, & eſt ipſa veritas formæ; ergo veritas formæ præcedit effectum ejus; ergo cauſat effectum ut vera.

Reſp. diſt. min. eſt veritas virtualis, radicalis, & fundamentalis formæ, con. formalis, ſeu actualis, neg. min. & conſ. Nam hæc actualis, & formalis veritas eſt poſterior natura effectu.

QUÆSTIO VIII.

An verba conſecrationis Euchariſtiæ ſint eadem illis, quibus Chriſtus D. conſecravit.

Chriſtus legitur plura feciſſe, cùm inſtituit hoc Sacramentum. 1. *accepit panem in manibus ſuis*. 2. *gratias egit*. 3. *benedixit*. 4. *fregit*. 5. dixit, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*. His poſitis quæritur, an conſecraverit per actum purè internum ſuæ voluntatis, antequam gratias egerit, benedixerit &c. An verò conſecraverit per ipſa verba benedictionis? An per iſta, *Hoc eſt corpus meum*? Et iſta potuit dicere ſtatim accipiens panem; poſtea verò dixerit, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*: nam ſinguli

vox, *Hic*, ſignificat in particulari rem illam, quæ eſt corpus Chriſti, ſeu individuum aliquod entis, ut loquitur Doctor. Rem breviter decidimus, quantum ſufficiat Tyronibus noſtris. Idem eſt de conſecratione ſanguinis quoad vocem *Hic*. De aliis verbis non eſt tanta difficultas.

CONCLUSIO I.

IN *forma conſecrationis pronomen*, Hoc, *non ſumitur adjective pro ſubſtantia, vel ſpeciebus panis, nec pro corpore Chriſti, ſed ſubſtantive pro re, vel ente ſingulari, quod eſt corpus Chriſti*. Eſt communis maxime inter Scotiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam concluſione 10. & 11 dicit, quod *Hoc in propoſito demonſtrat ſingulare entis & non per ſe ſingulare alicujus minus:* & quod ly *Hoc ibi non ſupponit per ſe, niſi ſingulare entis; tamen illud intelligitur pro ſingulari alicujus inferioris, & regulariter pro ſingulari, quod eſt Corpus Chriſti;* ergo ex Scoto non ſumitur nec pro pane, nec pro ſpeciebus panis, nec directe pro iſto corpore, ſed pro re illa, ſeu pro illo ſingulari entis, quod eſt corpus Chriſti.

Prob. 1. p. Pronomen, *hoc*, vel, *hic*, ſumitur adjective, quando copulatur alicui ſubſtantivo: ut ſi diceres, *hoc corpus eſt meum:* ſed in forma conſecrationis panis ly, *hoc*, non copulatur ulli ſubſtantivo, ſaltem explicite, ſed ſe habet potius ut ſubjectum, & *corpus* ſe habet ut prædicatum: ergo &c.

Confir. Nam in propoſitionibus categoricis ſubjecta ſe habent ſubſtantive, & prædicata ut formæ quaſi adjacentes; ſed hæ propoſitiones, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus*, ſunt propoſitiones categoricæ de tertio adjacente; ergo ly, *Hoc*, quod in eis habet locum ſubjecti, ſignificat ſubſtantive.

Prob. 2. de ſubſtantia, vel ſpeciebus panis: quia neutrum eſt corpus Chriſti; ſeu corpus iſtud non poteſt vere prædicari nec de ſubſtantia, nec de ſpeciebus panis; ergo ly *Hoc*, non ſupponit pro pane, nec pro ſpeciebus ejus, licet corpus Chriſti ponatur ſub illis.

Prob.

[1] *Ibid. q. 2. p. & Q. 17. 18.*

Prob. 2. Nam ſignificaret panem ut manentem, vel ut deſinentem; ſed neutrum dici poteſt: ergo &c. Prob. min. non permanentem: tum quia non permanet, ſed deſtruitur: tum quia non eſt corpus Chriſti. 2. non tranſeuntem: nam panis deſinens, aut deſtructus non exiſtit: ergo non poteſt dici de illo, quod eſt corpus Chriſti.

Confir. eodem modo de accidentibus: non enim ſunt corpus Chriſti: ergo &c.

Dices. Per id non ſignificatur identitas ſpecierum cum corpore, ſed exiſtentia corporis ſub ſpeciebus.

Contra. Nam verba conſecrationis habent propriam ſignificationem ut ſonant: ergo non ſignificant corpus contineri, ſed eſſe: alioqui tam verificarentur de continentia cum ipſo pane, quam ſub ſpeciebus: & ſic hæc replica faveret Lutheranis: Imo ſi ſemel detur his verbis ſignificatio figurata, favetur Calviniſtis, cum dicant hæc verba ſignificare, quod panis eſt corpus Chriſti repræſentative, ſeu figuratum.

Prob. 3. p. de corpore: nam ſi vox, *hoc*, ibi ſignificaret corpus, faceret ſenſum, & propoſitionem identicam, & nugatoriam: idem enim eſſet, ac ſi diceret, *corpus meum eſt corpus meum*: ergo proprie, & rigoroſe hoc non ſignificat corpus, ſed aliquid, de quo prædicatur corpus.

Prob. 4. p. de modo loquendi Concilii Trid. [1] *Chriſtus redemptor noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit*: nam ſenſus eſt: *vere dixit id, quod ſub ſpecie panis offerebat, eſſe corpus ſuum.* Ly autem *id* ſumitur ſubſtantive pro aliqua re ſingulari, quæ eſt corpus Chriſti.

Prob. 2. Nam ly, *hoc*, in hac propoſitione debet ſupponere pro aliquo, de quo poſſet vere prædicari corpus Chriſti prædicatione formali; ſed corpus Chriſti poteſt vere, & formaliter prædicari de tali individuo entis, ſeu de illa re ſingulari, quæ ſignificatur per vocem, *hoc*, in forma conſecrationis panis, & per vocem, *hic*, in conſecratione ſanguinis; ergo &c.

Senſus igitur talium propoſitionum eſt, iſtud ens, iſta res, vel id, quod offero, eſt pro ultimo inſtanti prolationis Corpus, & ſanguis Chriſti.

Objic.

[1] *ſeſſ. 13. cap. 4.*

Objic 1. Si vox *hoc*, vel *hic*, ſumeretur ibi ſubſtantive, non diceretur in conſecratione Calicis, *hic eſt calix*; ſed *hoc eſt calix*, ſed hoc eſt falſum; ergo voces illæ ſumuntur adjective, ut conveniant ſubſtantivis corporis, & ſanguinis. Prob. maj. Quando voces illæ uſurpantur ſubſtantive, ponuntur in neutro genere; nec curatur de illarum concordantia cum prædicato. Unde quærenti, *Quid eſt hoc?* reſpondetur, *eſt panis*, vel *aqua*; ergo quandoquidem in conſecratione calicis non dicitur *hoc*, ſed *hic eſt ſanguis*, non ſumitur ſubſtantive, ſed adjective.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. Nam ſæpius quando articulus ponitur ſubſtantive, ut ſubjectum propoſitionis, ponitur maſculine; ut cum dicitur, *Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes: Pater, Filius, & Spiritus S. ſunt tres creantes*. Similiter in conſecratione calicis dicitur, *hic eſt calix*, vel *ſanguis meus*, quia particula *hic* ſe habet ut ſubjectum, & ſanguis ut forma velut adjacens illi.

Inſt. Hæc pronomina in conſecratione debent ſumi, prout ſumuntur communiter in ſimilibus; ſed in ſimilibus propoſitionibus ſumuntur adjectivè; ergo & ibi. Prob. min. Nam cum dico, *hic eſt pater meus*; *hæc eſt mater mea*, *hoc eſt vinum meum*, *hic*, & *hæc*, & *hoc* ſumuntur adjective; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam etiam in his ſuppoſitionibus illa pronomina ſumuntur ſubſtantive, & ſupponunt pro ſubjecto talium prædicatorum; quamvis grammaticaliter dicantur concordia in caſu, numero, & genere cum ſuis prædicatis, quaſi adjectiva cum ſubſtantivis.

Objic. 2. con. 4. Si pronomen, *hoc*, ſignificaret ſingulare aliquod entis, forma conſecrationis eſſet falſa, vel non eſſet converſiva panis in corpus Chriſti; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. maj. Illa res ſingularis eſſet vel ſubſtantia panis, & ſic falsò diceretur, quod eſt corpus Chriſti; vel eſſet ipſum corpus Chriſti, & ſic propoſitio non eſſet converſiva panis in illud, ſed eſſet identica, & nugatoria, quaſi diceres, *corpus meum eſt corpus meum*, & hoc eſſet verum ſpeculative abſque converſione; ergo, *hoc*, ibi non ſignificat ullum ſingulare.

Reſp. neg. maj. & ant. Neutrum enim directe, & expli-

explicite ſignificat, ſed illam rem, ſeu illud ens, quod eſt corpus Chriſti ex vi verborum illorum.

Inſt. Significatum formæ acramentalis debet eſſe certum, & determinatum; ſed ſi per iſtam ſignificaretur individuum entis, ſignificatum illud non eſſet determinatum, nec certum; ergo &c. Prob. min. Individuum entis poteſt dici tam de accidente, quam de ſubſtantia; imo & hic diceretur potius de accidente, quod cadit ſub ſenſum; ergo ſignificatum illius formæ, ſeu pronominis *hoc* non eſſet determinatum, nec certum..

Reſp. neg. min. & diſt. ant. ſingulare entis in abſtracto, & extra omnem orationem, & adjective, con. in oratione, & ſubſtantive, neg. ant. Nam in hac oratione *hoc* demonſtrat id, ad quod determinatur per prædicatum: ut ſi dicas, *hoc ens eſt lapis; hæc res eſt corpus Chriſti*, ly, *hoc ens*, vel *hæc res* non eſt quid vagum, & inde terminatum, ſed eſt lapis, vel corpus Chriſti.

Inſt. 2. Saltem æque demonſtraret accidentia panis, ac corpus Chriſti; ergo ſemper ſignificatum eſſet incertum; vel propoſitio eſſet falſa. Prob. ant. demonſtraret ſingulare entis: ſed ens eſt univocum ſubſtantiæ, & accidenti: ergo tam demonſtraret accidentia, quam ſubſtantiam corporis Chriſti: & ſic propoſitio erit falſa: quia falſum eſt accidentia eſſe corpus Chriſti.

Reſp. neg. ant. & diſt. mai. ſingulare entis, quod eſt corpus Chriſti, con. ſingulare entis incertum, & vagum, neg. maj. Nam, ut dicebam, ſingulare illud entis determinatur per prædicatum, ad quod ſignificatur pertinere per identitatem.

Inſt. 3. Igitur ſic demonſtrat illud ſingulare, quod eſt corpus Chriſti: ſed hoc dici non poteſt: ergo &c. Mai. patet ex reſponſis. Prob. min. Nam ſic propoſitio haberet ſenſum nugatorium, & eſſet identica: idem enim affirmaretur de ſeipſo, quaſi diceres, *Corpus meum eſt corpus meum*: ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. Nam ly, *hoc*, ſignificat quidem corpus Chriſti, ſed confuſe, & in prædicato explicite ponitur: & ſic propoſitio non eſt nugatoria, nec identica, ut ſuppono in bona Logica, in qua idem diſtincte, & explicite ſignificatum recte prædicari poteſt de ſe ipſo confuſe cognito, vel ſignificato,

to, & talis eſt iſta: *hæc res* , vel *hoc ens eſt corpus meum*.

Inſt.4. Cum profertur ly, *hoc*, nondum exiſtit ibi corpus Chriſti, quia nondum peracta eſt conſecratio: ergo non poteſt ſignificare illud ſingulare entis, quod eſt corpus Chriſti.

Reſp. diſt. conſ. pro inſtanti mathematico, in quo profertur illa vox, con. pro tempore totius orationis completæ, neg. conſ. quia in 1. illo inſtanti vox illa non habet completam ſuam ſignificationem, ſed refertur a d id, quod demonſtrat, & operatur: & hoc eſt notandum in propoſitionibus practicis, quæ non ſignificant niſi in ultimo inſtanti completæ prolationis earum: & tales ſunt formæ conſecrativæ panis, & calicis: & idem eſt in aliis ſacramentis, ut diximus alias.

CONCLUSIO II.

Formæ conſecrativæ ſunt in proprio ſenſu ver.c. Eſt communis contra hæreticos, qui cum negent in Euchariſtia eſſe realiter corpus Chriſti, ita & negant has formas eſſe veras. Inter Catholicos eſt aliqualis diſſenſio quoad qualitatem veritatis.

Prob.1.ex Scoto cit.[1]*Diceret Theologus, quod qualitercumque logicus ſalvet iſtam propoſitionem eſſe veram, ſaltem non eſt oratio ſacramentalis ut vera, ſed ut tale ſignum ſenſibile præcedens ad minus naturaliter ſuam veritatem*, &c. ſc. veritas eſt relatio ſequens operationem verborum, per quæ fit converſio ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti.

Prob. 2. quia illæ propoſitiones, ſc. *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt Calix ſanguinis mei*, ſunt prolatæ a Chriſto, & in perſona Chriſti; ergo neceſſario ſunt veræ: quia Chriſtus, ut Deus, eſt ſumma veritas; nec poteſt fallere, nec falli.

Prob.3. & ſimul quoad proprietatem, & rigorem ſermonis: quia illæ propoſitiones ſunt veræ in rigore ſermonis, quæ enuntiant, & ſignificant ex proprietate verborum objecta, ut ſunt in ſe a parte rei; ſed tales ſunt illæ propoſitiones; ergo &c. Prob. min. Nam in

[1] *Ibid. V. n.23.*

in ultimo inſtanti completæ prolationis horum verborum corpus, & Sanguis Chriſti, quæ per illa ſignificantur ex proprio rigore verborum, ſunt ſub illis ſpeciebus panis, & vini; ergo &c.

Dixi, *in ultimo inſtanti completæ prolationis*, quia conceptus orationis non habetur per partes, ſed poſt completam prolationem ejus; ergo nec veritas, quia hæc attenditur penes conformitatem pronuntiationis cum objecto.

Objic. 1. Verbum, *eſt*, proprie,& in rigore ſignificat unionem prædicati cum ſubjecto de præſenti,ſeu pro inſtanti, quo profertur; ſed pro inſtanti reali, quo profertur *eſt*, ſeu *hoc eſt*, nondum adeſt corpus Chriſti; ergo &c. Idem eſt de ſanguine, & quidem a fortiori; ergo illæ propoſitiones non ſunt veræ, ſaltem in rigore.Prob. min. Nam de rigore verius diceretur, *hoc fit corpus meum*, quia pro illo inſtanti corpus non eſt, ſed fit corpus Chriſti.

Reſp. neg. maj. Non enim ſignificat illam unionem pro inſtanti præciſe prolationis ipſius vocis *hoc*, vel *hic*, ſed totius orationis. Unde non ſignificat, quod illud ens eſt corpus Chriſti, niſi per completam orationem, in qua uniuntur ſubjectum, & prædicatum per copulam illam *eſt*. Copula enim eſt inter extrema, & non poteſt copulari prædicatum, antequam ſit in re, & in mente.

Inſt. Prius eſt rem eſſe, quam dici cum veritate; ſed corpus Chriſti dicitur eſſe prius, quam exiſtat;ergo non dicitur vere, quod ſit. Prob. min. quia corpus Chriſti non exiſtet, niſi poſtquam dicitur eſſe; quia dicto, *eſt*, eſt cauſa exiſtentiæ, & prius eſt dici eſſe, quam ſit, ſaltem prioritate naturæ, quam habet omnis cauſa ad effectum.

Reſp.diſt.maj. in propoſitionibus ſpeculativis, con. in practicis, neg. mai. & conſ. Nam propoſitiones ſpeculativæ ſupponunt exiſtentiam objecti; practicæ vero illud efficiunt: & ideo priores ſunt ſua veritate, quæ non reſultat niſi poſt exiſtentiam rei, quam enuntiant,& enuntiando efficiunt.

Objic. 2. In his propoſitionibus voces *meum*,& *mei* non ſignificant proprie:nam hæ voces proprie, & in rigore ſignificant aliquid loquentis: & ſic in rigore ſignificarent non corpus Chriſti, ſed ſacerdotis; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob. ejus: aliquid loquentis, ſi loquitur de ſe, & in propria perſona, con. ſi non de ſe, nec in propria perſona, neg. ant. & conſ. quia, ut dictum eſt ſæpe, Sacerdos non loquitur de ſe, nec in ſua propria perſona, ſed Chriſti: & ſic proprie, & rite illæ voces *meum*, & *mei*, ſignificant corpus, & Sanguinem Chriſti, non vero Sacerdotis.

Objic. 3. Propoſitio non eſt vera pro tempore, quo non eſt; ſed formæ conſecrationis in ultimo inſtanti, quo prolatæ ſunt, tunc primo non ſunt; ergo nec pro illo inſtanti ſunt veræ. Maj. patet, quia verum, & ens convertuntur. Prob. min. quia non ſolum priora verba, v. g. *Hoc*, & *eſt*, & *corpus*, non ſunt, quando dicitur *meum*; ſed etiam *meum* tunc primum non eſt, quando ſignificat, ſed terminat, & complet propoſitionem per ultimum ſui eſſe, & reſultat ſignificatum in primo ſui non eſſe; ergo &c.

Reſp. diſt. min. tunc primo non ſunt in voce loquentis, con. in phantaſia, & intellectu, & intentione neg. min. & conſ. Nam illæ voces, quæ ſucceſſive fuerunt in ore loquentis, ſunt ſimul per ſpecies ſuas in phantaſia, & intellectu audientis, etiam poſt completam prolationem: & tunc intelligitur conceptus loquentis, & reſultat relatio conformitatis cum objecto, in qua conformitate conſiſtit veritas: ſic oratio vocalis poſt ſui non eſſe materiale exiſtit in effectu, & in ſpeciebus, quas produxit.

Inſt. Significatum totius orationis conſtat ex ſignificatis partium: ſed partes orationis ſignificant, cum proferuntur; ergo & oratio habet ſuum ſignificatum ante finem pronuntiationis.

Reſp. diſt. min. habent ſignificatum abſolutum, & diſcretum, con. relativum, & compoſitum, ut partes formaliter componentes, neg. min. Cum pronuntias *hoc*, intelligis ens, & aliquod præſens; cum dicis, *eſt corpus*, intelligis pariter illud ens eſſe ſubſtantiam corpoream ſive panis, ſive hominis, ſive beſtiæ; ſed cum dicis *meum*, intelligis ens, *quod eſt corpus tuum*, & non alterius entis. Vides differentiam ſignificati partium a ſignificato totius orationis; & quod aliter ſignificant ſeorſim, & ſigillatim, & aliter in compoſito orationis.

Inſt. 2. Dictio idem ſignificat per ſe, & ſeorſim, quod

quod ſignificat in oratione; ſed ſeorſim prolata ſtatim ſignificat; ergo & in oratione.

Reſp. diſt. maj. idem ſignificat ſubſtantiale abſolutum, & incomplexum, con. complexum, & ut pars orationis, neg. maj. & conſ. ut patet ex dictis.

Objic. 4. In omni oratione pronomen demonſtrativum ſtatim ac pronuntiatur, ſignificat, & demonſtrat id, in quod cadit; ſed formæ conſecrationis ſunt demonſtrativæ, ut patet: dicunt enim, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt calix*: ergo ſtatim ac pronuntiantur, & ante finem totius orationis demonſtrant ſuum ſignificatum; vel earum ſenſus non eſt verus in rigore.

Reſp. diſt. maj. demonſtrant confuſe, & imperfecte, con. diſtincte, & complete, neg. maj. Nam, ut mox dicebam, cum dicis, *hoc eſt corpus*, particula demonſtrativa demonſtrat quidem corpus, ſed antequam dixeris *meum*, neſcis quodnam corpus demonſtret, an tuum, an bovis. Id longe verius eſt in propoſitionibus practicis: nam id, quod producunt, non producitur per partes, nec ſucceſſive, ſicut proferuntur ſucceſſive, ſed totum corpus Chriſti ſimul, &c.

CONCLUSIO III.

Formæ conſecrationis cauſant præſentiam realem corporis, & ſanguinis Chriſti, quatenus ſunt ſignificativæ, non quatenus veræ. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Si quæras qualis aut ut vera, aut ut falſa eſt propoſitio converſiva? dico, quod neque ſic, neque ſic, ſed tantum ut eſt propoſitio neutra, & prior naturaliter, & forte tempore ſua veritate*; ergo veritas illarum formarum non eſt cauſa converſionis panis in corpus, nec vini in ſanguinem Chriſti; ſed potius e contra cauſatio converſionis eſt cauſa veritatis.

Prob. quoad 1. p. quia de ratione Sacramenti eſt, ut ſit ſignum efficax, & ſenſibile effectus inviſibilis; ergo ſignificando operatur; ergo verba ſacramentalia in Euchariſtia operantur ut ſigna; ergo ut ſignificativa: ſignificant autem poſitionem corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis; ergo &c.

Prob. 2. p. ex eodem Scoto. [2] Omnis relatio poſterior eſt ſuo fundamento; ſed veritas eſt relatio conformitatis propoſitionum illarum cum ſuo objecto; &

[1] *Ibid. n. 23.* [2] *Ibid.*

& quatenus corpus, & ſanguis Chriſti, quæ ſignificant, & enuntiant, ſunt de facto ſub ſpeciebus panis, & vini, ſicut enuntiant; ergo & illa ſunt fundamentum talis veritatis; ergo exiſtentia corporis, & ſanguinis Chriſti in ſpeciebus eſt prior veritate verborum; ſicut omne fundamentum eſt prius ſua relatione, & omnis cauſa prior ſuo effectu.

Prob. 2. Nam hæc propoſitio, *hoc eſt corpus meum*, non habet veritatem, antequam ibi ſit corpus Chriſti; ſed illud non eſt ibi ante converſionem panis, quæ fit vi verborum eorumdem; ergo converſio panis in corpus Chriſti fit per illa verba, & iſta non habent veritatem ante converſionem.

Confir. Nam eadem propoſitio ſub eadem ſignificatione modo eſt vera, modo eſt falſa; ergo ſignificatio eſt quid prius, & independens a veritate. Prob. ant. Nam iſta, *Petrus currit*, eſt vera, quandiu Petrus eſt in actu currendi, & evadit falſa ſtatim atque Petrus ceſſat currere; ergo &c.

Objic. 1. Concilium Tridentinum [1] probat converſionem, ſeu tranſubſtantiationem panis in corpus Chriſti ex veritate conſecrationis; ergo veritas conſecrationis eſt prior converſione, ut cauſa ejus. Ant. patet; *S. Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri*. Prob. autem conſ. nam hæc probatio debet cenſeri per cauſam, & a priori; quia eſt potior probatio, quam a poſteriori.

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. ant. Nam licet Concilium hic tangeret hanc quæſtionem, quod non credo, adhuc illi ſufficeret ratio a poſteriori, & probaret converſionem ex verbis conſecrationis ut a cauſa, ut a veritate, ut ab effectu: nec enim ſemper procedit a cauſis ad effectus; ſed ſæpe etiam per effectus oſtendit cauſas.

Reſp. 2. neg. 1. ant. quia revera Concilium non loquitur de conſecratione ut vera, ſed ut effectiva, & ſignificativa, & ſacramentali. Ideo cap. 3. dicit, *hoc eſſe commune Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum eſſe rei ſacræ*; ergo conſiderat verba conſecrationis ut Sacramentalia, id eſt ut ſignificativa, & operativa præciſe a veritate.

Objic. 2. Propoſitio non poteſt ſignificare, quin ſit vera,

[1] *ſeſſ. 13. c. 4.*

vera, aut falſa; ergo iſta, *hoc eſt corpus meum*, cauſat converſionem, ut vera, aut falſa; ſed non ut falſa, ergo ut eſt vera. Prob. ant. Omnis propoſitio eſt conformis, aut difformis objecto ſuo; ergo eſt vera, aut falſa.

Reſp. neg. maj. Nam veritas, & falſitas reſultant ex ſignificatione, non autem ſignificatio ex veritate; ergo pro illo priori, quo propoſitio ſignificat, non eſt nec vera, nec falſa, ſed neutra, & evadit vera, ſi ſignificet res, ut ſunt, ſin minùs, eſt falſa.

Inſt. Verba conſecrationis operantur converſionem, quatenus ſunt verba Chriſti; ergo & quatenus vera, ſeu verba primæ veritatis.

Reſp. neg. conſ. Nam ut ſunt verba Chriſti, habent vim ſignificandi efficaciter, ſeu efficienter corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini; & quia operantur, ut ſignificant, ideo ſunt practicè vera: & ſic veritas ex ſignificatione reſultat. Idem eſt de aliis Sacramentis.

Objic. 3. Forma Sacramentalis cauſat effectum infallibiliter ex parte Dei; ſed illa infallibilitas præcedit effectum, & eſt ipſa veritas formæ; ergo veritas formæ præcedit effectum ejus; ergo cauſat effectum ut vera.

Reſp. diſt. min. eſt veritas virtualis, radicalis, & fundamentalis formæ, con. formalis, ſeu actualis, neg. min. & conſ. Nam hæc actualis, & formalis veritas eſt poſterior natura effectu.

QUÆSTIO VIII.

An verba conſecrationis Euchariſtiæ ſint eadem illis, quibus Chriſtus D. conſecravit.

CHriſtus legitur plura feciſſe, cùm inſtituit hoc Sacramentum. 1. *accepit panem in manibus ſuis*. 2. *gratias egit*. 3. *benedixit*. 4. *fregit*. 5. dixit, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*. His poſitis quæritur, an conſecraverit per actum purè internum ſuæ voluntatis, antequam gratias egerit, benedixerit &c. An verò conſecraverit per ipſa verba benedictionis? An per iſta, *Hoc eſt corpus meum*? Et iſta potuit dicere ſtatim accipiens panem; poſtea verò dixerit, *accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*: nam ſinguli

ſenſus, & modi dicendi habent ſuos authores, & patronos.

Suppono autem ex Scripturarum, & Theologorum obſervatione, Chriſtum ſolitum fuiſſe, imò & Judæos nullum cibum, vel potum ſumere, niſi præmiſſa benedictione, quam ſanctificationem vocabant: & de Chriſto id patet ex Euangelio, ubi loquitur de diſtributione panis in deſerto, & in Caſtello Emmaus; & in Cœnaculo ſimul gratias agebat etiam benedicens, quod pro eodem ſumitur, ac *benedicere*, ſeu *orare*: nam inquit Joſephus, *Juſta eſt gratiarum actio, quæ & ad recipiendum beneficium jam acceptum refertur, & ad futura mala amolienda*. Unde Chriſtus reſuſcitaturus mortuos dicebat Patri, *Gratias tibi ago, quia ſemper me audis*, ſc. gratiam accepturus acceptam refert.

CONCLUSIO.

Chriſtus D. in conſecratione panis uſus eſt his verbis, hoc eſt corpus meum, *& iſtis in conſecratione vini*, hic eſt calix ſanguinis mei. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui contra opinantes, quòd Chriſtus quando dixit illa verba, non conſecravit, ſed quando benedixit &c..... ſic argumentatur: *Aut Chriſtus confecit ſine verbis, quod non eſt probabile, aut cum verbis iſtis, aut aliis; non cum aliis à prædictis; quia non eſt probabile, quòd alia forma utatur auctor, & miniſtri, quibus commiſit formam*. Et in Reportatis: [2] *Poſſibile eſt, Chriſtum aliquibus verbis certis corpus ſuum conſecraſſe*; & *probabile eſt, quòd ita fuit, non autem cum aliis verbis, quàm iſtis*.

Prob. 2. ex Conc. Trident. [3] quod dicitur quidem rem hanc noluiſſe definire, ſed tantùm mentem ſuam tradidiſſe dicens: [4] *Quoniam Chriſtus Redemptor Noſter corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideò perſuaſum ſemper fuit in Eccleſia Dei, idque nunc denuò S. Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiã Corporis Chriſti* &c. ergo ex verbis, quibus dixit, & fecit corpus ſuum de

pane,

[1] *Ibi.q.1.n.22.* [2] *Ibid.n.8.*
[3] *Seſſ.13.c.4.* [4] *Salmer.to.9.tr.13.*

pane, ſumpſit Eccleſia verba, quibus ipſa facit eandem converſionem: ergo cenſet, Chriſtum id feciſſe iiſdem verbis. Quod etiam clarè docuerat idem Concilium dicens: [1] *Quotquot in vera Eccleſia Chriſti fuerunt, qui de Sanctiſſimo hoc ſacramento diſſeruerunt, apertiſſimè profeſſi ſunt, hoc tam admirabile ſacramentum in ultima Cœna Chriſtum inſtituiſſe, cùm poſt panis, & vini benedictionem ſe ſuum ipſius corpus illis præbere.... diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt, quæ à ſanctis Euangeliſtis commemorata*, &c. ſed non legimus in Euangelio alia verba, quibus id præſtiterit clariora, quàm iſta, *hoc eſt corpus meum* &c. ergo per illa inſtituit, & confecit hoc ſacramentum.

Confir. ex Concil. Florent. dicente, *formam hujus ſacramenti eſſe verba, quæ Chriſtus protulit, quibus confecit* &c. ſed non legitur alia protuliſſe, quàm iſta: ergo, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit Tertullianus: [2] *Acceptum panem, & diſtributum diſcipulis corpus ſuũ illum effecit, hoc eſt corpus meum dicendo*. Et Chryſoſtomus, [3] *Qui namque dixit*, hoc eſt corpus meum, *& verbo factum confirmavit*. Et Ambroſius, [4] *Cum panem accipiens diceret*, hoc eſt corpus meum, *planè monſtratur, verbum illud operatorium fuiſſe*. Et Damaſcenus, [5] *Sicut Deus dicendo, fiat lux, fecit lucem; ita dicendo*, hoc eſt corpus meum, *&*, hic eſt ſanguis meus, *perfecit hoc ſacramentum*. Et S. Cyprianus, [6] *Ante illa verba cibus erat communis, ſed ex quo à Domino dictum eſt*, hoc eſt corpus meum, *corpus cæpit eſſe Chriſti*: nihil ergo clarius in SS. Patribus, quàm quod Chriſtus verbis illis conſecravit.

Prob. denique ex Canone Miſſæ, in quo Sacerdos conſecrans loquitur in perſona Chriſti; ergo prætendit conſecrare per eadem verba, quibus ipſe conſecravit. Nam ſi non uſus fuiſſet verbis illis, ſed ſolo nutu conſecraſſet, aut ſi conſecraſſet benedictione panis, deberet in ejus perſona idem agere, aut dicere, quod egit, & dixit conſecrando.

Objic. 1. ex Innoc. III. Chriſtus ſine verbis conſecravit. Nam relatus in cap. *Qui ſceleratè* docet, *poſſe dici, quòd Chriſtus virtute ſua divina confecit, & noſtram*

S 2

(1) *cap.5.* (2) *4. cen. Mar. 40.* (3) *ho. 60. ad pop.*
(4) *4. de Sacra. 27.* (5) *4. fi. 15.* (6) *ſer. de Cœna Dom.*

ſtram formam expreſſit, ſub qua poſteri benedicerent; ergo non uſus eſt illa forma in prima conſecratione: Item ex Euangelio multi putant, illum etiam conſecraſſe in caſtello Emmaus, & tamen nulla verba leguntur, ut patet in textu; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nam quoad Innocentium, loquitur non definitivè, & ut Papa; quià tunc non erat Papa, ſed opinativè (inquit Sanctus Thomas) (1) *poteſt dici*, & ut Doctor privatus, qualis tunc erat. Et quoad factum Emmaus, ſicut nec eſt certum, quòd tunc conſecraverit, ita nec inde quidquam certum contra nos colligitur. Qui opinantur eum tunc conſecraſſe, ita & opinari debent eum iiſdem verbis id feciſſe, ut id cognoſcerent illi duo diſcipuli, ut panem illum debita cum reverentia ſuſciperent: & ut de facto illum cognoverunt in fractione panis.

Objic. 2. Panis erat conſecratus, (idem eſt de calice) quãdo Chriſtus illum *fregit, & dedit diſcipulis dicens, accipite* &c. ſed tunc nondum dixerat, *hoc eſt corpus meum*; ergo non conſecravit per hæc verba. Probat. ant. ex ipſo textu. 1. quia dixit Matthæus, *accipiens panem, & gratias agens benedixit* &c. ergo vel conſecravit, antequam gratias ageret, vel quando benedixit, & per ipſam benedictionem. 2. quia Marcus ſcribit Apoſtolos jam bibiſſe, quando Chriſtus dixit, *hic eſt ſanguis meus*: ſed conſecratio calicis præceſſit benedictionem; ergo & prolationem verborum illorum; ergo per illa non conſecravit.

Reſp. neg. maj. & conſ. utriuſque prob. 1. quia, ut docet S. Thom. poſt Auguſt. *Euangeliſtæ non ſemper eundem ordinem in recitando ſervaverunt, quo res geſtæ ſunt: unde intelligendum eſt ordinem rei geſtæ ſic exprimi poſſe: Accipiens panem benedixit dicens, hoc eſt corpus meum, & deinde fregit* &c. 2. quia verus ſenſus totius rei geſtæ eſt, quòd *dum benediceret, frangeret, & daret diſcipulis ſuis, hæc verba dixit, accipite* &c. & per illa conſecravit. Et hæc ſolutio mihi videtur optima, & illam approbat Catechiſmus Romanus.

Inſt. ex Trid. *Cum Chriſtus dixit, hoc eſt corpus meum, ſolum teſtatus eſt, ſe ſuum corpus illis præbere*; ergo per

[1] q. 78. a. 1.

per illa verba non conſecravit, ſed declaravit conſecrationem factam per benedictionem.

Reſp. neg. conſ. Nec enim talis eſt mens Concilii, ſed potiùs in contrarium: nam poſt benedictionem adhuc ibi agnoſcit panem; & apertiſſimè oſtendit converſionem ejus in corpus Chriſti factam verbis iiſdem, quibus eam teſtatus eſt, cùm docet, quòd *ab Euangeliſtis commemorata, & à D. Paulo repetita propriam, & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundum quam à Patribus intellecta ſunt*, nempè ut conſecrativa, ut diximus.

Objic. 3. Patres docent, Chriſtum benedicendo panem conſecraſſe, ut Chryſoſt. [1] *Cùm benedictionem dico, Euchariſtiam dico*. Et Ambroſius, [2] *Hic eſt panis, quem benedictio conſecravit. Majus eſt jus benedictionis; quia benedictione etiam natura mutatur*. Et Cyprianus cit. [3] *Calix benedictione Domini ſacratus*: ſic de cæteris; ergo per verba benedictionis conſecravit.

Reſp. diſt. ant. benedictione ſumpta largè tam pro conſecratione, quàm pro alia pia precatione, con. benedictione ſtrictè ſumpta, & ut communiter ſumitur, neg. ant. alioqui quoties in Scriptura legimus, Chriſtum benedixiſſe panem, deberet dici conſecraſſe, quod falſum eſſe conſtat ex hiſtoria multiplicationis panum in deſerto: nam illos etiam benedixit, nec tamen conſecravit. Denique mos erat Judæorum ſemper benedicere panem, & vinum, antequam ſumerent ea.

Inſt. Græci validè conſecrant; ſed conſecrant benedicendo, & orando; ergo & Chriſtus. Prob. min. ex Cardinali Beſſarione dicente, Græcos cenſere Euchariſtiam confici precibus ſacerdotum, ut patet ex eorum Liturgiis.

Reſp. neg. min, & conſ. prob. Putant quidem adhibendas eſſe preces aliquas verbis conſecratoriis; ſed tamen iſta ſemper adhibent: licèt forte loquatur objectio de Græcis ſchiſmaticis, vel hæreticis; ſed adhuc in ſuo errore validè conſecrant per illa verba, modò adſit recta intentio.

Objic. Quando Chriſtus inſtituit alia ſacramenta, non

[1] *Ho.25.* [2] *L. de iis qui init. ſing.*
[3] *L. de ſacr. Euch.*

non protulit ipſe formas illorum; ergo nec iſtius, licèt illam præſcripſerit ſacerdotibus. Prob. ant. Non enim dixit, *Ego te baptizo*, nec *ego te confirmo*, nec *ego te abſolvo*, ſi aliquando hæc ſacramenta contulit; ergo neque iſta verba, quando confecit Euchariſtiam; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. quia inſtituendo alia ſacramenta non contulit, nec confecit illa; quando juſſit, *baptizantes*, &c. aut *quorum remiſeritis*, &c. non baptizavit, nec abſolvit; at inſtituens Euchariſtiam illam confecit, & adminiſtravit.

Igitur non ſine verbis Chriſtus conſecravit; quia *faciendo, & dicendo inſtruebat Eccleſiam*, inquit S. Bonaventura: & non erat conveniens, ut ſepararet iſta duo in præſenti: & ſi conſecravit verbis, non aliis uſus eſt, quàm iſtis; quia, ut dicebat Scotus, *non contulit virtutem niſi verbis ſuis*; & Eccleſia non imitaretur auctorem hujus Sacramenti illud conficiendo. Denique gratiarum actio, & benedictio non fuit formalis conſecratio, ſed quædam præparatio, ut loquitur idem Seraphicus Doctor. Unde Chriſtus 1. panem ſumpſit. 2. gratias agens benedixit, non benedictione conſecratoria, ſed præparativa. 3. panem fregit, & diviſit in 12. vel 13. partes. 4. conſecravit diſtribuens illum diſcipulis, ita tamen ut conſecratio præceſſerit actum diſtributionis.

DISPUTATIO III.

De effectu conſecrationis, ſeu de converſione, ſeu Tranſubſtantiatione.

QUÆ huc uſque diximus de veritate formæ, ſeu verborum Sacramentalium, lucem plenam accipient ex his, quæ diſcutienda reſervata ſunt, ut ſc. videamus, quid principaliter, & directè operentur; in quo diſputant acriter Catholici cum hæreticis: quippe ſicut poſt incarnationem Deus nihil mirabilius, nullum majus hominibus contulit beneficium, quàm quod in hoc Sacramento ineffabili operatur, & confert; ideo nullum magis conatus eſt myſterium fidei nobis abſcondere, vel auferre Spiritus

tene-

tenebrarum ab initio naſcentis Eccleſiæ uſque in præſens. Ipſi diſcipuli Chriſti; cùm primum audierunt illum dare nobis velle carnem ſuam manducandam; & ſanguinem bibendum, *Durum eſſe*, dixerunt, *ſermonem*, & auditu intolerabilem; *imo & aliqui ex eis abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant*. Deinde ſecuti ſunt innumeri hæretici in Eccleſia, qui hanc veritatem impugnare auſi ſunt, de quibus longius eſſet dicere.

QUÆSTIO I.

An per verba conſecrationis corpus, & ſanguis Chriſti verè & realiter ponantur in ſacramento Euchariſtiæ.

QUæ diximus de virtute verborum ſacramentalium, hoc ſupponebant, videlicet illa operari veram, & realem exiſtentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub accidentibus panis, & vini: jam autem an ita ſit directè, examinandum eſt, & propugnandum.

CONCLUSIO.

C*Orpus Chriſti verè, & realiter ponitur in ſacramento Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ejus ſub ſpeciebus vini*. Eſt de fide contra Berengarium, & Calviniſtas, alioſque Hæreticos dicentes Chriſtum non eſſe in hoc ſacramento niſi ſymbolicè, figurativè, & objectivè, quatenùs ibi apprehenditur per fidem.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dico, quod corpus Chriſti eſſe ibi vere realiter eſt ſimpliciter de ſubſtantia fidei*, &c.

Prob. 2. ex Conciliis Alexandrino, Ep. ad Neſt. recepta in VII. Synodo, Romanis ſub Leone IX. & Nicolao II. an. 1059. Vercellenſi ſub eodem an. 1050. aut 1053. in quo Berengarii, & Scoti Erigenæ error damnatus eſt: in Turon. ſub Victore II. an. 1055. Rom. ſub Gregor. VII. an. 1079. in Conſtantienſi circa an. 1312. ſeſ. 8. ubi VVicleff. & ſeſs. 57. ubi Jo. Hus damnati ſunt: denique in Tridentino, (2) in quo

S 4 defini-

[1] *d.10.q.1.A.n.3.*
[2] *Seſſ.13.c.1.& can. 1.*

definitur, *In Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum N. J. C. .... verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*: quod repetit Can. I.

Prob. 3. ex Scriptura: [1] 1. quia Chriſtus, qui eſt veritas, Judæis murmurantibus de illo, quia dixerat, *Ego ſum panis vivus* &c. dixit, *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt*: Et rurſus dicentibus illis, *Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad manducandum?* addidit ipſe, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis...*: *caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè potus* &c. Profecto mirandæ ſunt cavillationes Hæreticorum, qui dicunt iſta dici tropicè, figurativè, & non phyſicè de carne, & manducatione reali: nam ſi hæc metaphoricè tantum loqueretur, non diceretur ſemper, *Caro mea verè eſt cibus*: nec, *Qui manducat meam carnem, in me manet* &c. *Et vivet propter me*, &c. Et, *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum*. Unde inquit S. Hilar. [2] *De veritate carnis, & ſanguinis non relictus eſt ambigendi locus*. Et Concil. Epheſ. approbans Epiſt. Cyrilli ad Neſtorium, qua ſcribit nos in ſacrificio incruento Eccleſiæ participes fieri *ſanctæ carnis, & pretioſi ſanguinis Chriſti*. Et Concil. Nicænum I. *Nullus incruentum ſacrificium noſtrum dixit imaginem corporis ejus*, &c. ſed verum, & reale corpus.

2. Inſtituens hoc ſacramentum idem Chriſtus D. dixit non metaphoricè, nec figuratè, ſed ad litteralem ſenſum; *Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum* &c. Et ſimiliter, *hic eſt calix ſanguinis mei*. Verè enim laborant in vanum hæretici, & ad lucem oculos claudunt, dum recurrunt ad ſenſus myſticos, & figuratos in verbis ita claris, & ut loquitur Tertull. *in calicis mentione teſtamentum conſtituens ſanguine ſuo conſignatum, ſubſtantiam corporis confirmavit*. Et de illis dixit Auguſtinus; (3) *Si animum occupaverit alicujus erroris opinio, quia quod aſſeruerit Scriptura, figuratum arbitramur*. Certè ita eſt de his hæreticis; nuſquam clariùs loquitur Scriptura; & ſemper figuratum obtrudunt ſenſum. Unde illos comparat S. Epi-

[1] *Jo.* 7. (2) 1. *trin.*
[3] 4. *con. mar.* 40.

Epiphanius cani fabuloſo, qui panem, quem ore tenebat, depoſuit, ut in umbram dentes immitteret.

3. Ex Apoſtolo [1] ſcribente; *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus J. .... accepit panem, gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Certè ſicut corpus tradendum non erat in figura, ſed realiſſimè; ita nec dabatur manducandum in figura, ſed in ſubſtantia, & realiter. Et ſuperius dixerat, *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Hæc non poſſunt explicari de participatione ſpirituali. Mitto vanas hæreticorum cavillationes miſerandas potius, quàm confutandas, quia laborant, ut ſolem obſcurent.

Prob.4. ex perpetua traditione Eccleſiæ: 1. ex Liturgiis Apoſtolorum Jacobi, Marci, S. Petri, & in Miſſa Æthiopum, quæ fertur tradita à S. Matthæo; & in teſtimonio S. Andreæ, de quo Presbyteri Achajæ ſcribunt dixiſſe Regi; *Ego omnipotenti Deo immolatum agnum offero .... cujus carnes poſtquam omnis populus manducaverit, agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat*: & id recitat Eccleſia in ejus officio.

Scio de Liturgiis illis multa objici etiam à Catholicis, quibus probatur eas non eſſe ab Apoſtolis; quia ſc. in eis plura leguntur, quæ nondum extabant tempore Apoſtolorum. Sed duo circa illas notanda ſunt. 1. quod licet in ſubſtantia potuerint ordinatæ eſſe ab Apoſtolis circa ritus ſacros, tamen ſucceſſive plura forte illis addita ſunt, propter quæ dubitatur de illarum auctoribus. 2. quod ſi non ſint de facto ab Apoſtolis ipſis, ſufficit quòd ſint antiquiſſimæ in Eccleſia ad probandam traditionem perpetuam circa hoc myſterium, & contra hæreticorum novitates.

2. Ex SS. Patribus omnium ſæculorum, quos citat Coccius per ordinem temporum, & P. Fraſſen, & alii; nobis pauci ex inſignioribus ſufficiant. Theophylactus (2) dicens; *non dixit*, [Chriſtus] *hoc eſt figura; ſed hoc eſt corpus*. Et Juſtinus Martyr: *non ut communem panem.... ſed incarnati illius Jeſu carnem, & ſangui-*

[1] 2. *Cor.* 11.
(2) c. 26. *Matth.*

guinem eſſe docti ſumus. Et Tertull. [1] *Caro corpore, & ſanguine Chriſti veſcitur, ut & anima Deo ſaginetur.* Et Chryſoſtomus, [2] *Neque illi ſatis fuit hominem fieri, colaphis cædi, & crucifigi; verum & ſemetipſum nobis committit,& non fide tantum* (audiant hæretici) *verum & ipſa re ſuum efficit corpus .... Quoniam ergo ille dixit, hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate; ſed credamus,& oculis intellectus id perſpiciamus*; ergo non in figura ibi exiſtit, nec per ſolam fidem ibi ſuſcipitur, ſed realiſſimè. Quod confirmat Gaudent. (3) *Quod annuntiatum eſt credas; quia quod accipis, corpus eſt illius panis cœleſtis,& ſanguis eſt illius ſacræ vitis. Nam cum panem conſecratum, & vinum diſcipulis ſuis porrigeret, ſic ait; Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus; credamus cui credimus; neſcit mendacium veritas.* Et Ambroſius: (4) *Ut nullus horror crucis ſit, & pretium tamen ſit redemptionis, non ſub propriis ſpeciebus carnis, & ſanguinis ſe ferebat, ſed panis, & vini.* Et alibi: *Panis iſte panis eſt ante verba ſacramentorum; ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti.... quomodo poteſt, qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti conſecratione?* &c. Quid clarius pro realitate corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtia per conſecrationem?

Auguſtinus, de quo gloriantur hæretici, multis locis hoc clarè docet; ut cum explicans Pſalmum 33. (5) in ea verba tituli, *Ferebatur manibus ſuis*, *Hoc* (inquit) *quomodo poſſet fieri in homine ... Quis enim portatur manibus ſuis .... quomodo intelligatur de ipſo David, non invenimus ſecundum litteram; in Chriſto autem invenimus* [ſc. ſecundum litteram, vide quomodo, quando] *ferebatur enim manibus ſuis, quando commendans ipſum corpus ſuum ait, hoc eſt corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus ſuis*. Certè in ſenſu myſtico nihil mirum eſſet hominem ferre ſeipſum in manibus figuraliter, vel objectivè, vel in imagine. Et Auguſtinus prætendit hoc eſſe verum *litteraliter*: Et alibi: *Chriſtus de carne Mariæ carnem accepit, & in ipſa carne ſic ambulavit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem*

[1] *Apolog.2.de reſur.car.8.*
[2] *hom.83.* [3] *tr.2.de Exc.*
[4] *3.ſacram.c.4.& 5.* [5] *concio. 1. pſ. 33.*

tem dedit &c. Hoc ſine violentia detorqueri non poc. eſt ad carnem myſticam &c. Mitto alios.

Prob. 5. ratione, 1. quia certum eſt, quòd in Eccleſia Chriſti habemus excellentiſſimè, & in realitate ea, quæ Patriarchæ in lege naturæ, & Judæi in lege ſcripta habuerunt in figuris; ſed in figuris illi habuerunt Chriſtum ut cibum, ut Abraham panem, & vinum, & ſacrificium crucis in ſacrificio Melchiſedech; & Judæi in agno Paſchali, & in manna: illa autem longè perfectiùs figuraſſent mortem Chriſti, & ſacrificium crucis, & cœnam, quam panis, & vinum altaris, niſi hæc continerent Chriſtum in ſubſtantia, quem illa continebant ſolùm figuraliter: ergo &c. Manna erat cibus puriſſimus, & cœleſtis: iſte panis eſt terreſtris; Ille agnus erat innocentiæ, & manſuetudinis naturale ſymbolum; panis verò iſte eſt communis, & uſualis; ergo &c.

2. Quia ſi panis non contineret verè, & realiter carnem Chriſti, non tam acriter minaretur Apoſtolus mortem, & judicium manducantibus indignè: quia unio peccatoris cum Chriſto per fidem non imputatur ulli homini etiam nequiſſimo in peccatum; ſed potiùs per illam fidem diſponitur ad juſtificationem, & in ſententia hæreticorum juſtificat, & ſalvat: ergo manducatio panis Euchariſtici dicit ſumptionem corporis Chriſti pluſquam objectivam per os fidei, & ſpiritualem.

Objic. 1. ex Scriptura 1. quia Chriſtus ipſe monuit ea, quæ de corpore ſuo comedendo dicebat, ſpiritualiter accipienda, [1] *Spiritus eſt, qui vivificat, caro non prodeſt quidquam; verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt; ſed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt*: ergo ex verbis Chriſti non infertur præſentia realis, ſed myſtica, & objectiva.

Reſp. neg. conſ. Nam Chriſtus ſic dicit, [2] *Caro non prodeſt*, ſicut illi intellexerunt carnem, ſc. materialiter, *quomodo in cadavere laniatur, aut in macello venditur, non quomodo ſpiritu regeneratur*, &c.

Inſt. Ipſe Auguſtinus dicit, quòd ſi *Scripturæ* locutio *flagitium, aut facinus videtur jubere, aut bonum vetare, figurata eſt*: ſed Chriſtus in illis verbis, *niſi*

[1] *Jo.* 6. [2] 26. *Jo.*

manducaveritis carnem filii hominis .... facinus, vel flagitium videtur jubere; quia jubet paſſioni Chriſti eſſe communicandum: ergo verba illa non ſunt litteraliter ſumenda, ſed figurate, ſeu myſtice.

Reſp. diſt. min. ſuadent flagitium, quatenus videntur ſuadere adhærendum Judæis crucifigentibus Chriſtum, con. quatenus revera ſuadent manducationem carnis Chriſti in hoc ſacramento, neg. min. & conſ. Non enim ſic voluit Chriſtus verba ſua intelligi, nec talis eſt ſenſus naturalis illorum, ſed de manducatione carnis, qualem ipſe præbet edendam in memoriam paſſionis, & charitatis ſuæ.

Objic. 2. Illud in Euchariſtia demonſtratur, & innuitur per verba, *hoc eſt corpus meum*, quod Chriſtus tenebat, frangebat, benedicebat, & dabat ut repræſentativum ſui corporis; ſed non tenebat, nec benedicebat niſi panem; ergo illa verba non demonſtrabant niſi panem, ut figuram ſui corporis; ergo &c. Prob. maj. Nam ſi talia verba eſſent litteraliter ſumenda de vero copore Chriſti, ita & iſta. *Petra erat Chriſtus*; &, *ſemen eſt verbum Dei*, &, *ego ſum vitis vera* &c. & ſimilia, quæ paſſim leguntur in Scripturis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. quod tenebat &c. poſt conſecrationem, & quod finitis illis verbis dabat, conc: ante conſecrationem, neg. maj. Nam prolatis verbis illis vere tenebat, & dabat corpus ſuum, & per verba illa practice, & efficienter demonſtrabat. Ad prob. neg. conſ. Nam licet aliquando loquatur metaphorice, & ita cogamur intelligere Scripturam, quia non poteſt intelligi litteraliter ſine implicantia, vel abſurditate; non ſic loquitur, nec ita ſemper ſumenda ſunt verba ejus, ut cum dicitur: *In principio erat verbum* &c. hic autem non eſt implicantia, nec inconveniens, ſi ſumantur litteraliter.

Inſt. Hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus*, vel *hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, nihil ſignificant aliud, quam quod ſunt memoriale quoddam novi pacti, quod mea morte confirmo: ergo tota, & vera eorum ſignificatio eſt myſtica. Prob. ant. id enim ipſe Chriſtus indicat per iſta: *Hoc facite in meam commemorationem*: & nos

ipſi in Miſſa poſt conſecrationem dicimus: *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*; ergo, &c.

Reſp.diſt.ant. & prob.ejus, ſunt memoriale ſacrificii, & pacti præteriti ſimul cum realitate præſenti in altari, conc. præteriti ſolius, ita ut corpus, & ſanguis, qui fuſus eſt in cruce, non ſit etiam in calice, neg.ant. Nam utrumque habet, & quod ſit memoriale ſacrificii cruenti præteriti, & verum, ac reale de præſenti, ſed incruentum.

Inſt.2. Tertull. [1] hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*, explicat de figura corporis: & Auguſt. [2] idem docet pluribus in locis, ut cum dicit: *Quid paras ventrem, & dentem? Crede, & manducaſti*; & alibi, *Chriſtus adhibuit Judam ad convivium, in quo corporis, & ſanguinis figuram commendavit*: & ſic de aliis Patribus; ergo illa verba ſumenda ſunt figuraliter de corpore, & ſanguine Chriſti.

Reſpon. neg. conſ. Nam, cum ſic loquuntur Patres, reſpiciunt non directe ad corpus, ſed ad ſpecies panis, & vini, quæ corpus, & ſanguinem repræſentant in eis contenta realiter. Ideo, inquit Auguſt. *Corpus Chriſti & veritas, & figura eſt. Eſt veritas, dum Corpus Chriſti, & Sanguis in panis, & vini ſubſtantia efficitur; figura autem eſt, quod exterius ſentitur*. Quod autem videtur dicere de manducatione, hoc dicit in ſenſu ſupra explicato, ſc. quoad illos, qui carnaliter crederent nos manducare carnem cadaveriticam, aut de macello, ſicut ovinam, aut vitulinam. Illi ore quidem corporeo manducant, ſed non animo ſaginantur: non enim hæc caro ſumi debet, ut nutriatur corpus; ſed anima; & ad hoc neceſſaria eſt fides.

Objic. 3. Chriſtus id dedit Apoſtolis in ultima cœna, quod ipſe comedit; ſed ipſe non comedit realiter corpus ſuum, nec bibit proprium ſanguinem; ergo neque Apoſtoli, neque nos. Prob. min. Inutilis enim fuiſſet illi talis cibus, & potus.

Reſp.1.neg.min.& ant. Utile enim illi erat 1. proprii ſacrificii participatio incruenta. 2. ut exemplum daret Apoſtolis, ne abhorrerent talem cibum. 3. ad aliquam cœleſtem conſolationem, & ſpiritualem ſuavitatem in tormentis. Quod autem fuerit ſimul cibus,

[1] 4.*con.Mar.* [2] *tr.26. Jo.*

bus, & comedens convivium, & conviva, patet ex Auguſtino [1] ſupra citato, cum dicit, Chriſtum ſe-ipſum portaſſe manibus ſuis. Et Sanctus Hieronymus idem docet.

Reſp.2. me non videre, quod panem conſecratum ipſe comederit, ſed tantum quod dederit Apoſtolis, dicens: *Accipite, & comedite*, &c. Ideo in forma neg. maj. Nam dedit Apoſtolis panem conſecratum, qualem non videtur comediſſe.

Objic.4. Ex Patribus plurimi dicunt, poſt conſecrationem panem, & vinum eſſe *ſignum, figuram, ſymbolum, antitypa, memoriale, & repræſentationem Corporis, & Sanguinis Chriſti*: ut Nazianz. Cyrill. Hieroſol. Tertull.cit. Auguſt. etiam cit. in Pſal. 3. ergo cenſent corpus ibi non exiſtere realiter, ſed figurative. Prob. conſ. Nam figura non ſignificat rem præſentem, ſed abſentem, & futuram; ergo, &c.

Reſp.ex dictis neg. conſ. Nam hæc epitheta cadunt in ſpecies ſacramentales, ſub quibus repræſentatur, & continetur Chriſti corpus, & ſanguis: & ſic etiam neg. 2. antec. Nam Chriſtus, ut Deus, dicitur [2] *imago, figura ſubſtantiæ Patris*. Item dicitur [3] *in ſimilitudinem hominum factus*, &c. & nihilominus eſt verus Deus, & verus homo: & ut notat Algerus, [4] *Sicut res antiquæ legis erant figura ſine veritate*, (ideſt ſine realitate rei figuratæ) *& res alterius vitæ ſine figura; ita res præſentis ſtatus ſunt figuræ, & veritas*; & talis eſt Euchariſtia, eſt realitas corporis, & ſanguinis Chriſti figurata ſub ſpeciebus panis, & vini.

Inſt. Ex eodem Auguſtino citato, [5] Chriſtus in Euchariſtia ſola fide recipitur. *Crede, & manducaſti*. Et, *Credere in eum, hoc eſt manducare panem, & vinum*; ergo, &c.

Reſp. neg.1.ant.& 2.conſ. Nam licet Auguſtinus, & alii Patres, & Scriptores aliquando loquantur de rebus in ſenſu myſtico, & ſpirituali, & morali, non ſequitur eos ubique, & ſemper ita loqui, ut jam diximus de Scriptura. Sanctus Doctor ibi loquitur de manducatione per fidem Incarnationis; ſed cum loquitur de Euchariſtia, loquitur litteraliter de manduca-

[1] *Ep.* 150. [2] *Hebr.*1. [3] *Coloſſ.* 1.
[4] *Philip.* 2. [5] *tr.* 25. *&* 26.

Digitized by Google

ducatione phyſica: ut cum dicebat [1] de Catechumenis: *Si dixerimus Catechumeno, credis in Chriſtum? dicit, credo . . . . interrogemus eum, manducas carnem Filii hominis, & bibis ejus ſanguinem? neſcit quid dicimus*, &c. ergo Auguſtinus diſtinguit manducationem carnis Chriſti in Euchariſtia a manducatione Chriſti per fidem.

Porro verba illa, *ut quid paras?* citantur in Decreto de conſecr.d.2. [2] & Gloſſa ſic explicat: *Ut quid paras dentes, & ventrem? ſubaudi, tantum, vel ubi non poteſt haberi copia corporis Domini, ſed non prohibet accipi ſacramentaliter corpus Domini; ſed quia neceſſitate ei non obeſt, ſi non accipit, ex quo per eum non ſtat. Cum enim credit, manducat ſpiritualiter, ſed non ſacramentaliter*. Imo notatur, verba illa non legi in Auguſtino, ſed confici ex duobus ejus libris.

Inſt.2. Idem Auguſt. dicit, [3] quod *ſecundum quendam modum ſacramentum corporis Chriſti eſt corpus Chriſti ... & ſacramentum fidei fides eſt*; ergo cenſet corpus Chriſti ſumi tantum per fidem, ut in ſacramento, ſeu ſigno ejus ſenſibili, & non realiter. Idem conſtat, cum inducit Chriſtum dicentem Capharnaitis: *Spiritualiter intelligite, quod locutus ſum; non hoc corpus, quod videtis, manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem, quem fuſuri ſunt, qui me crucifigent, Sacramentum aliquod commendavi vobis, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos, caro non prodeſt quidquam*; ergo, &c.

Reſp.neg.conſ. Id enim non ſequitur ex verbis Auguſtini bene intellectis: imo in primo loco aſſerit, quod Chriſtus, *qui ſemel immolatus eſt in ſeipſo* (viſibiliter, & cruente a Judæis) *tamen in ſacramento non ſolum per omnes Paſchæ ſolemnitates, ſed omni die populis immolatur, & quidem vere*, &c. Quod autem ipſum ſacramentum dicatur etiam corpus, dicitur metaphorice a ſuo contento; quia ſc. continet verum Corpus Chriſti. Quoad 2. clarius loquitur, quia negat, quod Chriſti Corpus, & Sanguis hic ſumantur ſenſibiliter, & cruente, qualiter videbatur, & intelligebatur a Capharnaitis pro ipſo corpore paſſibili, & mortali; quod etiam nos confitemur: nam illa caro paſſibilis, & mortalis nihil prodeſt.

Objic.

[1] *tr.11.Jo.* [2] *cap.47.* [3] *ep.3.Bonif.*

Objic. 5. alios plures Patres, ut Rupertum, qui videtur docere Euchariſtiam eſſe nudam corporis Chriſti figuram. 2. Gregor. VII. Pontificem, qui dicitur negaſſe præſentiam realem Chriſti in Euchariſtia: & ideo in Concilio Brixienſi an. 180. privatur Summo Pontificatu. 3. Facundum Hermianenſem, qui defendens Theodorum Mopſueſtenum dicebat, *Sacramentum adoptionis adoptionem dici, ſicut ſacramentum corporis, & ſanguinis ejus, quod eſt in pane, & poculo conſecrato, corpus ejus, & ſanguis dicitur, non quod proprie corpus ejus ſit, ſed quod in ſe myſterium, corporis ejus, & ſanguinis contineat*, &c. Nil clarius contra nos; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. 1. Ruperto impoſuit per calumniam VVicleffus; quippe Abbas ille fuit acerrimus propugnator realis præſentiæ Corporis, & Sanguinis in hoc Sacramento. Nam in ipſo libro dicit: *Unum corpus eſt, quod de Maria genitum in cruce pependit, & quod ſalutaris hoſtia in ſancto altari oblata quotidie nobis ipſam innovat paſſionem Domini..... in ſacrã hoſtiam tanta ſc. plenitudo divinitatis infunditur, quanta in Mariæ Virginis uterum deſcendit*. Et ſupra dixerat ſacerdoti, *Quoniam prope eſt in ore tuo, & in corde tuo verbum Dei .... ſi hujus verbi flumen ſuper panem, & vinum effuderis, & ordine, qui ab ipſo inſtitutus eſt, veritatem hujus verbi protuleris, ſtatim de ſancto altari panem, & vinum in corpus, & ſanguinem transferendo ſuſcipit eadem virtute, eadem potentia, & gratia, qua noſtram de Maria Virgine carnem ſuſcipere voluit*, &c. Et mirum, qua fronte hunc Patrem pro ſuo errore citare audent hæretici.

2. Quoad Gregorium VII. non minor eſt calumnia. Nam potius nobis favet in eo, quod propter veritatem, quam tuemur, damnatus eſt in conciliabulo illo Brixienſi ab Epiſcopis quibuſdam ſchiſmaticis, agente Henrico Imperatore pariter ſchiſmatico, & excommunicato.

3. Eodem animo ſcribebat Facundus, qui tria capitula damnata ſuſceperat propugnanda contra SS. Pontifices Vigilium, & Pelagium.

Objic. 6. varias rationes, quas obtrudunt hæretici. 1. quod implicat, Chriſtum per idem corpus eſſe ſimul in cœlo, & in altaribus per totum orbem. 2. quod

ſit

ſit extenſum localiter, & inextenſum in altari; quia extenſio eſt effectus formalis quantitatis, &c.

Reſp. ex dictis in Phyſica, non implicare idem corpus in pluribus locis per reproductionem, nec quantitatem ſine extenſione actuali, nec ſubſtantiam ſine quantitate, ut ibi probatum eſt.

Alia argumenta videbis apud Controverſiſtas; nobis iſta ſufficiant, ut pateat, quam levibus prætextibus ad tantam lucem cæcutire volunt hæretici.

QUÆSTIO II.

An Corpus, & Sanguis Chriſti ſint in Euchariſtia realiter per veram converſionem totius ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, denique per veram tranſubſtantiationem.

IN præcedenti diſputavimus cum Calviniſtis: jam nobis res eſt cum Lutheranis, qui volunt quidem Corpus, & Sanguinem Chriſti realiter contineri in Euchariſtia, ſed cum ſubſtantia panis, & vini, ita ut ſit æque panis, & vinum, ac Corpus, & Sanguis Chriſti. Nos autem prætendimus, totam ſubſtantiam panis, & vini tranſire in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, adeo ut nihil talium rerum maneat poſt conſecrationem præter ſpecies, & accidentia panis, & vini, ſc. quantitatem, & qualitates coloris, figuræ, ſaporis, odoris, &c. & hæc vocamus ſpecies nudas panis, & vini, quibus ſubeſt carnis, & ſanguinis ſubſtantia phyſica, & realis: & id vocatur *tranſubſtantiatio*, ideſt tranſitus, ſeu converſio totius ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti.

Suppono autem ex Philoſophia, quod *converſio* generaliter dicitur mutatio, qua res tranſit ex una forma in aliam; ut cum aqua frigida fit calida; aut lignum convertitur in ignem. Alia eſt *accidentalis*, ſi formæ mutatæ ſunt accidentia; alia *ſubſtantialis*, ſi formæ ſint ſubſtantiales, vel eſſentiales ſubjectis mutationum; ut ſi quantitas mutaretur in qualitatem.

Rurſus alia eſt *totalis*, alia *partialis*. 1. eſt, cum res mutatur in aliam ſecundum omnes ſuas partes tam eſſentiales, quam integrantes, & qualitatem, & acciden-

dentia: ut ſi lapis converteretur in Angelum..2.vero, ſi mutatur ſolum ſecundum partem, v.gr. ſecundum materiam, aut formam ſolam, ut converſio ligni in ignem, in quo remanet eadem materia.

CONCLUSIO

PEr *conſecrationem panis, & vinum vere, & proprie tranſubſtantiantur in corpus, & ſanguinem Chriſti*. Eſt de fide.

Prob. ex Scoto. [1] *Communiter tenetur, quod nec panis remanet, nec annihilatur, vel reſolvitur in materiam primam.... ſed convertitur in corpus Chriſti*, &c. quod probat ex auctoritate Eccleſiæ, & validis congruentiis.

Prob.2. ex Conciliis. Nam in Lateranenſi, ut habetur c. *firmiter* de SS. Trin. dicitur: *Tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem*. Et Trident. [2] *Sancta Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis ejus*; & id docet Catechiſmus etiam ejuſdem Concilii.

Prob.3. ex Patribus, maxime ex Ambroſio, cujus undecim auctoritates Doctor ſubtilis dicit ſe adduxiſſe, & plures habentur in Decretis de conſecrat. [3] *Sermo, qui potuit facere, quæ non erant, nonne poteſt mutare, quæ ſunt in id quod non erant?* Et Cyrillus Hieroſol. [3] *Quare cum omni certitudine corpus, & ſanguinem Chriſti ſumamus: nam ſub ſpecie panis datur ibi corpus, & ſub ſpecie vini datur ſanguis*; ergo cenſent, quod de pane, & vino remanent ſolæ ſpecies, non autem ſubſtantia eorum. Et Fulbertus: [5] *Dubitare nefas eſt, ſi ejus potentia in ſpiritualibus Sacramentis terrena materies naturæ, & generis ſui meritum tranſcendens in Chriſti ſubſtantiam commutatur*. Vides ſubſtantiarum mutationem. Et Cyprianus: [6] *Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura immutatus omnipotentia verbi fit caro; & panis ſtatim per verbum in corpus* *tranſ-*

[1] *d.11.q.3.E.n.13.* [2] *ſeſſ.13.c.4. & c.2*
[3] *cap.37.d.2.* [4] *4.ſacram.4.*
[5] *Catech.4.* [6] *Ep.ad Deodat.*

tranſmutatur, ſicut dictum eſt à Verbo, hoc eſt corpus meum. Et Paſchaſius Radbertus,[1]qui ſæculo IX. vivebat, quemque impanationem docuiſſe fingunt, ſic loquitur: *Licet figura panis, & vini hic ſit, omnino nihil aliud, quam caro Chriſti, & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt*: ſi nihil aliud, ergo non illorum ſubſtantia. Denique Patres omnes, qui citantur pro reali præſentia Chriſti corporis in Euchariſtia, ſi bene intelligantur, loquuntur de totius ſubſtantiæ panis, & vini converſione in corpus, & ſanguinem.

Prob.3. ex dictis hucuſque de ſenſu verborum conſecrationis. Nam vera ſunt in tota, & propria ſignificatione; ſed non eſſent ſic vera, ſi per illa fieret tantum impanatio carnis Chriſti, ideſt ſi maneret ſubſtantia panis cum ſubſtantia carnis;ergo,&c. Prob. min. Non poſſet dici vere, & proprie, *hoc eſt corpus meum*: nam ſubſtantia, & corpus panis non eſt corpus Chriſti; & idem eſt de vino, & ſanguine; ergo, &c. Prob. conſ. Nam verbum *eſt*, & *hoc*, & *corpus*, ſumuntur ſubſtantive, & illud importat identitatem prædicati cum ſubjecto.

Confir. ex Conc. Trid. cit. quia ex veritate verborũ Chriſti colligit *converſionem totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiã corporis Chriſti*; ergo ſi maneret aliquid ſubſtantiæ panis, & vini, & niſi tranſmutarentur, non verificarentur verba conſecrationis. Scio Doct. dicere hanc rationem non convincere, ſed ſcribebat, antequam Eccleſia ſic locuta fuiſſet in Concilio generali; & ipſemet fatetur Chriſtum non dixiſſe, *hic*, ſed, *hoc eſt Corpus meum*; quia ſic magis exprimitur veritas, & ſufficit ad vim hujus argumenti: nam loquimur de veritate rigoroſa, & in ſenſu magis proprio, & clariori. Forte de hac difficultate redibit ſermo.

Prob.4. ratione Scoti. [2] De Sacramentis tenendum eſt, ſicut tenet S. Romana Eccleſia, ut habetur Extr. de Hæret. cap. *ad abolendum*; ſed hæc tenet panem tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem, ut probatum eſt; ergo, &c.

Confir. duabus congruentiis. 1. quia Eccleſia dicit: *Commixtio corporis, & ſanguinis Domini noſtri*; ſed hæc non diceret vere, & integre, ſi etiam adeſſent ſub-

[1] *ſer. Dom.* [2] *Ibid. A.*

ſubſtantiæ panis, & vini, quæ etiam commiſceren-tur; ergo.

2. Quia per ſumptionem hoſtiæ, & calicis frangeretur jejunium naturale; & ſic non poſſent dici plures miſſæ ab eodem propter obligationem jejunii naturalis.

Prob. denique. Nam ad præſentiam Chriſti per tranſubſtantiationem requiritur 1. præſentia ejus ſubſtantialis. 2. mutatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem ejus. 3. totius ſubſtantiæ panis, & vini deſitio, ut illi ſuccedat ſubſtantia vera carnis, & ſanguinis Chriſti: ſed hæc omnia hic concurrunt; ergo, &c. Prob. min. Nam 1. & 2. patet ex præcedenti, de 3. autem patet ex Concilio cit. dicente, fieri converſionem totius ſubſtantiæ; ergo, &c.

Objic. 1. Si fieret tranſubſtantiatio propria in Euchariſtia, hæc non diceretur panis poſt conſecrationem; ſed dicitur panis poſt conſecrationem; ergo non eſt tranſubſtantiatio, ſed remanet ibi ſubſtantia panis, eſtque potius conſubſtantiatio; ergo, &c. Prob. min. 1. Chriſtus dicit, ſe daturum illum ut panem; *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt.* 2. Patres etiam vocant panem, ut Cyrillus: [1] *Panis Euchariſtiæ poſt Sancti Spiritus invocationem non eſt panis communis*; ergo ſemper eſt panis. 3. Gelaſius [2] aperte dicit, panem ibi remanere cum corpore Chriſti: *Non deſinit ſubſtantia, vel natura panis, & vini.* 4. Theodoret. [3] *Chriſtus viſibilia ſymbola corporis, & ſanguinis appellatione honoravit, non naturam mutans, ſed naturæ gratiam addens*, ſc. ſubſtantiæ panis addens præſentiam corporis ſui. Et alibi: *Neque ſymbola myſtica poſt ſanctificationem recedant a ſua natura; manent enim in priore ſubſtantia, & figura, & forma, & videri, tangique poſſunt, ſicut prius:* Et ſic de aliis multis; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. de mente Scripturæ, & Patrum manent panis, & vinum quoad ſpecies ſenſibiles, & apparentiam, conc. quoad ſubſtantiam, neg. min. & conſ. prob. Nam illa denominatio panis, quam per metaphoram retinent, 1. petitur ex præiacente materia, ſeu ſubſtantia panis; ſicut Eva formata dicitur *os ex oſſibus*: & ſerpentes ex virga dicuntur *virgæ*. 2. ex

[1] *catech.* 3. [2] *lib. de duab. nat.* [3] *dial.* 1. & 2.

ex apparentia, & accidentibus; & quoad hæc dicitur remanere natura ejus, quià ipſa remanent eadem cum ſubſtantia corporis Chriſti quoad naturam, & ſubſtantiam ſuam propriam accidentium, non autem panis, & vini. 3. quoad Gelaſium, multi putant, librum illum de duabus naturis ipſi falſo adſcribi: & ſi eſt illius auctor, ſcribebat ut Doctor privatus, & opinans, non docens; ut Papa. 4. Theodoretus vere loquitur in ſenſu prædicto, ſc. panem, & vinum manere ut prius quoad experientiam ſenſuum, & apparentias, quæ ſunt ei naturales, & accidentia; *naturæ gratiam addit*, ſc.ſubſtantiam corporis, & ſunt *ipſa ſymbola myſtica, quæ poſt ſanctificationem non recedunt a ſua natura, ſed manent in priore ſubſtantia, figura, & forma*; ſc.accidentium, *quæ videri, tangique poſſunt*: & hoc ſufficiebat intentioni Theodoreti, qui volebat probare contra Eutychem, cum quo colloquitur, naturam Chriſti humanam etiam in cœlo impermixtam, & inconfuſam manſiſſe cum divina; ſicut accidentia panis, & vini manent integra, & impermixta cum corpore Chriſti in Euchariſtia. Denique auctoritas Theodoreti non eſt magni facienda in hac matéria; quia fuit de Neſtorianiſmo ſuſpectus: Et prætérea ipſemet declarat, ſe loquuturum obſcure de hoc myſterio propter catechumenos.

Objic. 2. Quoad ſenſum panis, & vinum manent eadem poſt conſecrationem; ergo & quoad ſubſtantiam. Prob.conſ. Deus, qui eſt veritas, non faceret miracula ad fallendos homines fallendo ſenſus; ergo panis, & vinum quoad ſubſtantiam manent, qualia apparent ſenſibus.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam Deus non intendit fallere ſenſus noſtros per miracula tranſubſtantiationis, ſed elevare, ſicut & ipſum intellectum in obſequium fidei, ut potius credat verbo Dei, quam propriis ſenſibus.

Objic.3. Non debent fingi miracula ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas fingendi miraculum tranſubſtantiationis; ergo, &c. Prob. min. Nam poſſet adeſſe Chriſtus cum ſubſtantia panis: non enim implicat illa conſubſtantiatio: & hoc fieret per ſolum miraculum reproductionis corporis Chriſti ſine converſione panis, quæ eſt illud grande miraculum; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam voluntas Dei eſt maxima ratio aliquid faciendi; & cum nobis illa voluntas ſignificatur, & innoteſcit, maxima eſt neceſſitas talia miracula faciendi, & credendi. Illa autem cognitio patet ex definitionibus Eccleſiæ, cui Deus aſſiſtit, & communicat ſuam infallibilitatem.

Inſt. Si eſſet aliqua neceſſitas, maxime ut ſalvaretur veritas Euchariſtiæ; ſed hæc ſatis, imo & melius ſalvatur, ſi dicatur manere ſubſtantiam panis; ergo, &c. Prob. min. Nam miracula tranſubſtantiationis augent potius difficultatem, & incredibilitatem hujus myſterii: magis enim ſuperat captum rationis naturalis; vix ejus poſſibilitatem admittunt Philoſophi, & maxime annihilationis panis; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. quia ſi placuit Deo per plura miracula commendare ſuam omnipotentiam, ſapientiam, & charitatem, hoc magis debet excitare fidem, reverentiam, & devotionem, atque charitatem noſtram. Ideo quamvis poſſet, aut potuiſſet Deus aliter facere, ut in propoſito, non ſequitur, quod ita fecerit, ut patet ex fundamentis hujus veritatis.

Objic. 4. Si Deus voluiſſet in hoc Sacramento deſtruere ſubſtantiam panis, & vini, non conſervaret illorum accidentia, & ſpecies; nam illa non ſolet ſeparare: ſed conſervat accidentia; ergo & ſubſtantiam. Prob. maj. Nam in Chriſto cum ſubſtantia humanitatis conſervat apparentias, & ſpecies omnes: *Factus eſt in ſimilitudinem carnis*: & ex veris ſpeciebus humanitatis arguitur ejus veritas; ergo ex ſpeciebus panis, & vini debet argui eorum ſubſtantia.

Reſp. diſt. maj. non conſervaret, ideſt potuiſſet non ſervare accidentia, conc. de facto non voluit ea conſervare, neg. maj. & conſ. prob. Nam, ut dicebamus, in his ſufficit, quod Deo placuerit conſervare iſta, & non ſubſtantiam. Conſtat igitur, quod in Euchariſtia per conſecrationem fit converſio ſubſtantialis panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, remanentibus ſpeciebus, ideſt accidentibus omnibus ſenſibilibus eorum; & ideo vocatur *Tranſubſtantiatio*; quia ſola ſubſtantia illorum tranſit in ſubſtantiam iſtorum. Sed reſtat videre an ſit converſio, ſeu tranſubſtantiatio totalis. Pro quo ſit

CON-

CONCLUSIO II.

Converſio, ſeu tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti eſt totalis, ita ut nullas pars ejus maneat ſive quoad materiam, ſive quoad partes, ſive quoad exiſtentiam, aut ſubſiſtentiam. Eſt communis, & certa contra paucos, quorum alii tenent remanere materiam, ſaltem remotam panis, alii formam, alii exiſtentiam, alii ſubſiſtentiam.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] dicit enim in communi, quod *nec panis manet, nec reſolvitur uſque ad materiam primam, ex qua fuit*: & colligitur etiam ex definitione tranſubſtantiationis, quod ſit *tranſitio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam*: nam ſi aliqua ex his manerent, & maxime materia, aut forma, vel pars integralis, non eſſet tranſitio totalis proprie, & abſolute, ſed partialis.

Prob. 2. ex Conc. Trid. cit. Docet enim, *in Myſterio Euchariſtiæ fieri converſionem totius ſubſtantiæ panis ... manentibus dumtaxat ſpeciebus*; ergo nihil aliud remanet, nihil materiæ, vel formæ, &c.

Prob. 3. de materia. Nam ſi remaneret materia panis ſub forma carnis Chriſti, eſſet potius generatio, quam tranſubſtantiatio; & deſtructio panis quoad formam non eſſet ita miraculoſa, quia poſſet corrumpi ab agente naturali.

Prob. 4. quia manente materia, non fieret propria converſio, ſed mutatio ab una forma ad aliam; ſed hoc eſt contra mentem Conciliorum, & Patrum, qui hanc vocant converſionem, & tranſubſtantiationem; ergo, &c.

Prob. 2. p. de forma. Nam ſi forma panis remaneret in Euchariſtia poſt conſecrationem, tam diceretur panis, quam corpus Chriſti; ſed conſ. eſt falſum, ut conſtat ex dictis; ergo, &c. Prob. maj. Nam eſſentiæ rerum petuntur a formis ſubſtantialibus potius, quam a materia.

Confirm. Nam ex Conciliis panis per conſecrationem convertitur; ergo potius forma, quam quidquam aliud tranſit in ſubſtantiam carnis Chriſti.

Prob. 3. p. de partibus omnibus integrantibus, ſeu de

[1] *q. 1. A. n. 2.*

de toto pane ſyncategorematice. Nam ex ipſis Conciliis, & Patribus nihil ſubſtantiæ panis remanet; ergo convertitur quoad omnes partes ſubſtantiæ tam integrantes, quam eſſentiales. Ant. patet ex Triden. cit. Et certe ſi vel minima pars ſubſtantiæ panis remaneret cum corpore Chriſti, non diceretur tranſubſtantiari abſolute.

Prob.4.pars de exiſtentia. Nam panis abſolute quoad ſubſtantiam, & eſſentiam convertitur; ergo & quoad exiſtentiam; quia, ut ſuppono ex Metaphyſica, eſſentia, & exiſtentia non diſtinguuntur realiter.

Confir. Quod realiter deſinit eſſe quoad ſubſtantiam, mutatur quoad exiſtentiam; ſed panis per conſecrationem deſinit realiter eſſe quoad ſubſtantiam; ergo & quoad exiſtentiam.

Prob.5.p. de ſubſiſtentia. Nam illa non poteſt exiſtere ſine re, quam ſuppoſitat, & terminat, licet ipſa res poſſit eſſe ſine illa: ſicut humanitas Chriſti eſt ſine ſua propria ſubſiſtentia, hæc autem non poteſt eſſe ſine illa; ſed ſubſtantia panis deſinit eſſe in Euchariſtia per conſecrationem; ergo & ejus ſubſiſtentia. Prob.maj. ex Metaphyſica. Nam apud Scotiſtas ſubſiſtentia eſt pura negatio communicabilitatis, & apud alios eſt modus; ſed negatio, nec modus non poteſt conſervari ſine re modificata; ergo, &c.

Confir. Nam ad quid inſerviret ſubſiſtentia panis ſine ejus ſubſtantia? ergo fruſtra conſervaretur, etiamſi poſſibilis eſſet ejus conſervatio ſine ipſa panis ſubſtantia.

Objectiones præcipuæ contra 1.&2.par.ſolutæ ſunt in præcedenti.

Objic.cont.4. Si panis non maneret quoad exiſtentiam ſuam propriam, tranſiret in exiſtentiam divinam; ſed conſ. eſt falſum, & impoſſibile, nihil enim creatum poteſt converti in Deum; ergo, &c. Prob. maj. Nam tranſiret in exiſtentiam Chriſti; ſed corpus, ſeu humanitas Chriſti exiſtit per exiſtentiam Dei, ſeu Verbi; ergo, &c.

Reſp.neg.1.maj.& 2. min. Nam, ut diximus in tr. de Incarnatione, falſum eſt, humanitatem exiſtere per exiſtentiam Verbi formaliter, ſed exiſtit per propriam.

Reſp.2. ibi eſſe æquivocationem de tranſitu. Nam

pro-

propriè loquendo ille tranſitus non aliud ſignificat, quàm quòd panis ceſſet exiſtere ſub ſpeciebus ſuis, & loco ejus exiſtat corpus Chriſti per ſuam propriam exiſtentiam.

Objic. 2. Accidentia panis remanent in Euchariſtia; ergo & exiſtentia, & ſubſiſtentia ejus. Prob. conſ. Nam illa exiſtunt, & ſubſiſtunt per aliquam exiſtentiam, & ſubſiſtentiam; ſed non exiſtunt, nec ſubſiſtunt per exiſtentiam, & ſubſiſtentiam corporis, & ſanguinis Chriſti, ſed per eaſdem, per quas antea ſubſiſtebant, & exiſtebant, ſc. panis, & vini: ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & min. prob. Nam ſicut accidentia realiter diſtinguuntur à ſubſtantia panis, & vini, & poſſunt ab illa ſeparari, ita & diſtinctam, & propriam habent exiſtentiam; & per illam exiſtunt in Euchariſtia; idem eſt de illa ſubſiſtentia, cujus ſunt capacia.

Nota hìc, nos loqui de Tranſubſtantiatione paſſiva ex parte panis, & vini, non de activa ex parte termini *ad quem*, & ex parte agentis, ſeu actionis converſivæ videbimus poſtea.

Quæres 1. *An, & quomodo converſio, & tranſubſtantiatio diſtinguantur.*

Reſp. Illa diſtingui quoad continens, & contentum; quia latiùs patet converſio: omnis enim tranſubſtantiatio eſt converſio, ſed non è contra. 1. converſio latè ſumitur pro omni mutatione, qua res una tranſit ab una forma ſubſtantiali, aut accidentali ad aliam: & ſic converſio cum generatione, & alteratione. Sic aer converti dicitur in ignem, & aqua frigida in calidam. Tranſubſtantiatio verò dicitur de ſola mutatione unius rei in aliam quoad ſubſtantialia omnia, remanentibus tantùm quibuſdam accidentibus communibus terminis *à quo*, & *ad quem*. In Euchariſtia remanent eadem accidentia cum corpore Chriſti poſt conſecrationem, quæ erant cum pane ante illam: & hoc non eſt neceſſarium in cōverſione ut ſic; ut ſi lapis converteretur in Angelum 2. ad rationem converſionis ſufficit, ut una pars rei pereat, & illi aliud quid ſuccedat: ſed in tranſubſtantiatione, ut dicebam, tota ſubſtantia termini *à quo* deſinit eſſe, & alia tota ſuccedit. Unde ſi anima rationalis in homine converteretur in Angelū, aut animā bovis, eſſet converſio, ſed non propria tranſubſtantiatio. Aliæ differentiæ non ſunt ita notabiles.

Hinc patet, quo ſenſu conſecratio dicatur converſiva genericè, ſed magis propriè tranſubſtantiativa; quia tota ſubſtantia panis deſinit, & illi ſub ejuſdem accidentibus ſuccedit ſubſtantia tota corporis Chriſti. Idem eſt de ſubſtantia vini, & ſanguinis. Porrò converſio alia eſt *activa*, quæ eſt actio, qua agens deſtruit unum, & loco ejus ponit aliud; alia *paſſiva*, quæ eſt paſſio, qua unum deſtruitur, & aliud ponitur loco illius. Sic in Euchariſtia ſolus Deus activè convertit, & tranſubſtantiat panem in corpus Chriſti, & in pane, & corpore Chriſti eſt converſio paſſiva.

Quæres 2. *an qualibet ſubſtantia poſſit converti in quamlibet.*

Reſp. affirmativè de omni ſubſtantia, vel re(creata. Nam omnes ſunt utrimque in potentia obedientiali ad Deum, nec ulla videtur, vel poteſt eſſe difficilior Deo, quàm Euchariſtica.

Dixi *de omni ſubſtantia, vel recreata*; nam cùm divina ſit ſimpliciter ſimplex, & immutabilis, non poteſt converti, nec pati converſionem alterius in ipſam.

Quæres 3. *an tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti colligatur certò ex verbis conſecrationis.*

Reſp. quòd ex natura rei, & ſpeculativè, & abſolutè poſſet aliquo modo ſalvari veritas verborum illorum ſine tranſubſtantiatione panis; ſed tamen poſt doctrinam Concilii Tridentini debet colligi ex illis verbis.

Prob. 1. ex Scoto cit. dicente, Chriſtum voluiſſe uti his verbis potiùs, quàm aliis; quia clariùs ſignificant deſitionem panis, & præſentiam corporis Chriſti: abſolutè autem verbum, *eſt*, poſſet poni, & ſumi pro *ſignificat*, ſeu *repræſentat*. Sed Concilium Tridentinum ex illis verbis cenſet ſufficienter colligi *id, quod ſub ſpeciebus panis offerebat Eccleſia, eſſe corpus Chriſti*, & declarat, *per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti* &c. ergo ex mente Concilii verba illa ſufficienter ſignificant tranſubſtantiationem practicè.

Dico, *ſufficienter*, non autem neceſſariò propter rationem allatam.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An tranſubſtantiatio panis, & vini ſit propriè annihilatio eorum.

EX præcedentibus videtur ſequi, quòd, ſicut nihil ſubſtantiæ panis, & vini manet in Euchariſtia, hæc debent dici annihilari: quia id dicitur annihilari, quod ſe toto deſinit eſſe; ſicut id dicitur creari, quod producitur ex abſoluto nihilo, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubjecto.

In converſione autem Euchariſtica ſunt 4. termini: duo *à quo*, ſc. ultimum eſſe panis, & ultimum non eſſe corporis, & ſanguinis Chriſti, & duo *ad quem*, ſeu *ad quos*, ſc. 1. non eſſe panis, & vini, & primum eſſe corporis, & ſanguinis: & ſecundum diverſas conſiderationes, & reſpectus horum terminorum inter ſe, poteſt eſſe diverſa reſolutio quæſtionis. Sed ut verum fatear, quæſtio eſt purè de nomine: nam ejus definitio pendet à ſignificatione vocis, *annihilatio*, ut mox patebit.

CONCLUSIO.

DEſitio panis per conſecrationem probabiliùs dicenda eſt annihilatio ſubſtantiæ ejus: aliquo etiam ſenſu non eſt annihilatio, ſed converſio, ſeu tranſubſtantiatio .... Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui in utramque partem diſputat, & videtur problematicus: nam ait, quòd *nihil panis remanet poſt converſionem*: ergo in hoc ſenſu, & abſolutè loquendo, panis poſt conſecrationem annihilatur. Sed tamen alio ſenſu dicit, quòd *panis in iſta converſione non annihilatur*; ſc. ſi conſideretur panis preciſè ut deſinens, & conſecratio reſpectu panis in ſe eſt tranſitus ab eſſe ad purum non eſſe ſui, & ſic annihilatur: ſed ſi conſideretur ut converſio, non eſt annihilatio, ſed tranſubſtantiatio; quia non deſinit in purum nihil, ſed in aliam ſubſtantiam, ſc. in corpus Chriſti. Hinc

Prob. 2. p. Annihilatio abſolutè eſt tranſitus ab eſſe

[1] *d.11.q.4.A,n.6.*

ad totum non eſſe quoad omnia ſubſtantialia, & intrinſeca rei deſinentis; ſed talis eſt deſitio, ſeu tranſitus panis, & vini per conſecrationem in Euchariſtia; ergo eſt pura annihilatio. Maj. ſupponitur ex communi uſu annihilationis: nam opponitur corruptioni, quæ eſt motus ab eſſe ſub forma ad non eſſe ſub illa: & creationi, quæ eſt productio rei ex nihilo ſubjecti, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubjecto, & ſic annihilatio eſt tranſitus ab eſſe totius rei quoad eſſe tam ſubjecti, quàm formæ; & per hoc differt à corruptione; & eſt deſtructio rei nullo remanente ſubjecto; & ſic opponitur, & correſpondet creationi. min. etiam patet, & ſupponitur ex præcedenti quæſtione.

Prob. 2. p. Nam ſi motus iſte panis conſideretur ſecundum extrema omnia, & prout eſt converſio, reperitur inter duo poſitiva, ſc. inter ſubſtantiam panis, quæ deſinit, & ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ illi ſuccedit; ergo ſub hoc reſpectu panis non annihilatur, ſed tranſit totaliter in aliam ſubſtantiam. Prob. conſ. Nam propria annihilatio eſt motus, quo res purè deſinit in nihilum, ſeu cujus terminus *ad quem* eſt purum nihil; ſed terminus *ad quem* hujus motus, ut eſt converſio, & ſub hoc reſpectu, non eſt purum nihil; ergo non eſt vera, & propria annihilatio panis, ſed ejus tranſubſtantiatio.

Alio modo, ni fallor, poſſet conſiderari conſecratio, & converſio panis, & vini, ſc. activè, prout ſe tenet ex parte conſecrantis, & actionis conſecrativæ; & ſic dici non poteſt annihilatio; quia iſte motus, hæc actio per ſe reſpicit duo extrema poſitiva, ſc. ſubſtantiam panis, quæ eſt terminus ejus *à quo*, & deſtruitur, & ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ producitur per eandem actionem; ergo hæc non terminatur ad purum nihil, ſed ad ens poſitivum; actiones autem ſpecificantur à terminis.

Si verò eadem conſecratio ſpectetur paſſivè in pane, dici poſſe videtur annihilatio: nam terminatur ad purum, & totale nihilum panis. Nam paſſio eſt in paſſo.

Objic. 1. cont. 1. In conſecratione adhuc verè dicitur, *panis convertitur*, vel *fit in corpus Chriſti*; ergo tunc panis non fit nihil, nec eſt nihil; alioquin non diceretur panis.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. Nam ſenſus eſt, quòd qui erat panis fit nihil.

Inſt. Panis tranſit in ens; & ſubſtantiam corporis Chriſti; ergo panis non deſinit quoad omnia intrinſeca, & ſubſtantialia. Prob. conſequ. quia hìc remanet quoad formalitates entis, & ſubſtantiæ; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. tranſit per totalem exiſtentiæ propriæ deſitionem, conc. per continuationem alicujus exiſtentiæ, & realitatis intrinſecæ, neg. ant. & conſ. Nam licet corpus Chriſti, quod ſuccedit pani, habeat cum pane ſimilem realitatem metaphyſicam entis, & ſubſtantiæ, non tamen eandem quoad exiſtentiam, & entitatem phyſicam; & ſic non impedit veram annihilationem. Idem eſt de conceptu materiæ, qui eſt idem in corpore Chriſti, & in pane deſtructo: nam ille conceptus communis non perſeverat, niſi metaphyſicè, & quoad ſimilitudinem metaphyſicam, non quoad realem, & phyſicam, & identicam: in quo decipitur Henricus, qui propterea dicebat manere materiam panis, quatenus panis, & corpus Chriſti conveniunt in materia.

Objic. 2. Materiæ panis ſuccedit materia corporis Chriſti, quæ eſt ejuſdem ſpeciei; ergo totus panis non annihilatur perfectè. Prob. conſeq. Si non remaneret talis materia ullo modo, ver. grat. ſi ſub ſpeciebus crearetur Angelus, annihilatio eſſet perfectior; ergo illa ſucceſſio ejuſdem materiæ impedit veram annihilationem.

Reſp. neg. conſ. & 2. ant. Nam *nihil* eſt indiviſibile, & non ſuſcipit magis, nec minus: qui dicit *nihil*, omnia prorſus excludit.

Inſt. Id non annihilatur, cujus manet materia; quia illud remanet in potentia talis materiæ; ſed materia panis remanet in materia corporis Chriſti; ergo ille non annihilatur. Prob. min. Nam forma panis tam eſt in potentia materiæ corporis Chriſti, quàm propriæ; ergo materia panis cenſetur remanere in materia corporis Chriſti.

Reſp. diſt. maj. cujus remanet materia propria realis, & proxima, & realiter eadem, conc. maj. & neg. min. materia ſimilis, & remota, & realiter diſtincta, neg. maj. & conſ. alioqui aqua diceretur eſſe in igne, &

& ignis in aqua propter identitatem logicam, aut metaphyſicam, ſeu ſimilitudinem materiæ; nec poſſet Deus annihilare formicam, vel atomum, quin annihilaret totum hunc mundum propter identitatem materiæ; quod eſt abſurdum.

Inſt. 2. Si corpus Chriſti deſineret eſſe ſub ſpeciebus, & rediret forma panis, ille reditus non eſſet creatio; ergo ejus deſitio,& converſio in corpus Chriſti non eſt annihilatio. Prob. ant. Ille panis non produceretur ex nihilo, ſed ex materia corporis Chriſti; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ſi rediret per actionem eductivam formæ panis ex materia corporis Chriſti, con. ſi rediret per aliam tranſubſtantiationem, neg. ant. utrumque. Nam ſicut poſitio corporis Chriſti loco ſubſtantiæ panis non eſt generatio, ita nec illa reconverſio corporis in panem.

Igitur ſubſtantia tota panis, & vini per conſecrationem ſic totaliter deſinit exiſtere in rerum natura ſub ſuis accidentibus, ſc. ſub quantitate, figura, colore, odore, ſapore, &c. & hoc ſenſu in ſe annihilatur; ſeu de ipſa nihil prorſus remanet; & illi ſuccedit ſub iiſdem accidentibus ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti.

QUÆSTIO IV.

De actione tranſubſtantiativa, & termino ejus.

OMnis motus eſt inter duos terminos, ſc. *à quo*, & *ad quem*; & jam conſtat de termino à *quo* materiali converſionis Euchariſtiæ eſſe ſubſtantiam panis, & vini, à qua fit tranſitus ad ſubſtantiam Chriſti; & terminum formalem proximum ejuſdem eſſe deſitionem, ſeu negationem ejuſdem ſubſtantiæ. Certum eſt etiam, terminum materialem *ad quem* eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed de termino formali poteſt eſſe dubium.

Certum etiam eſt, tranſubſtantiationem, ſeu converſionem aliam eſſe activam, quæ ſe tenet ex parte agentis, quod eam cauſat; & paſſivam, quæ ex parte panis, & vini, quæ per illam actionem convertuntur, ſeu annihilantur, ut ex vi, & conſequenter ad ta-

rem deſtructionem illis ſuccedat, & pro illis ponatur ſub eorum accidentibus corpus, & ſanguis Chriſti per paſſionem, quæ illi actioni correſpondet; & quæritur hic, qualis ſit illa actio, per quam deſtruuntur illa, & hæc ibi ponuntur.

Porrò, ut dictum eſt in Philoſophia, res ponitur in pluribus locis per *productionem*, vel *reproductionem*, vel *adductionem*. *Productio* dat rei productæ eſſe poſt non eſſe exiſtentiæ; & *reproductio* novum eſſe exiſtentiæ; *Adductio* verò dat rei jam exiſtenti alicubi novam præſentiam realem. Quæritur ergo per quam iſtarum corpus Chriſti ponatur ſub ſpeciebus panis, & vini in conſecratione.

CONCLUSIO II.

1.

Actio converſiva, ſeu tranſubſtantiativa, ſeu conſecrativa non eſt productio, nec reproductio propriè, ſed adductio. Eſt communis maxime inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui loquens de hac actione docet: *Poteſt dici, quod tranſubſtantiatio, hoc ſtante, quod ſit in terminos poſitivos, qui ſunt ſubſtantiæ, poteſt duobus modis intelligi. 1. modo ut ſit ad ſubſtantiam, ut per ipſam accipientem eſſe: alio modo ut ſit ad ſubſtantiam, ut per ipſam accipientem eſſe hic. 1. poteſt dici productiva ſui termini ad quem. 2. adductiva; quia per ipſam adducitur terminus, ut ſit hic. Et ſub aliis verbis, poteſt eſſe ad entitatem ſui termini, vel ad præſentialitatem ejus alicubi. Tranſubſtantiatio 1. modo non poteſt eſſe ad ſubſtantiam, quæ præfuit, quia non videtur poſſe poni in ſubſtantiam manentem ſecundum eſſe antiquum: ſed 2. modo bene poteſt eſſe tranſubſtantiatio in præexiſtens; quia poteſt fieri de novo præſens hic, ubi fuit terminus a quo, manens tamen ubi prius erat .... & dici poteſt, quod ſubſtantia* [corporis Chriſti] *poteſt eſſe terminus ipſius tranſubſtantiationis 2. modo dictæ, quia ipſa ſubſtantia ſuccedit ſubſtantiæ, non tamen habet eſſe ſubſtantiale novum,* &c. ergo ex Scoto Chriſtus non ponitur in Euchariſtia per productionem, aut reproductionem, qua aliquid ponatur novo aliquo eſſe,

[1] *q.* 11. 3. *d. A.* 23.

ſed per adductionem, qua ponatur ubi non erat per novam præſentiam.

Prob. 2. de productione. Nam totus Chriſtus præexiſtit conſecrationi, & in ipſa retinet adhuc primam ſuam exiſtentiam; ergo per conſecrationem non producitur. Nam produci dicitur id, quod accipit eſſe poſt non eſſe.

Prob. 2. p. de reproductione. Nam, ut diximus in Phyſica, implicat rem exiſtentem produci,niſi prout de non exiſtente fit exiſtens; ſed Chriſtus ante conſecrationem perfectiſſimè exiſtit, & ſemper retinet primam illam exiſtentiam; ergo non poteſt nec produci, nec reproduci. Prob. maj. Nam ſicut id dicitur produci ſimpliciter, & abſolutè, quod accipit primò eſſe poſt non eſſe; ita illud dicitur reproduci, quod accipit 2. eſſe poſt amiſſum primum eſſe, ſeu primam exiſtentiam.

Prob.4. quia per conſecrationem Chriſtus nihil ſubſtantiale recipit; ergo nullo modo producit: nec enim produci poteſt, niſi accipiendo aliquid ſubſtantiale: alioquin non eſſet productio corporis, ſed vel augmentatio, ſi acquireret quantitatem, vel alteratio, ſi qualitatem. Prob. ant. Nam nihil acquirit per conſecrationem, niſi quod amittit per deſitionem, aut conſumptionem Sacramenti; ſed tunc corpus illud nihil ſubſtantiale amittit; ergo &c. Prob. min. Si aliquid ſubſtantiale tunc amitteret, vel eſſet totum corpus ipſum, vel pars aliqua ſubſtantiæ illius; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non totum corpus; nam ipſum ſemper exiſtit. 2. non pars; quia dici non poteſt, quid illa ſit, & alioqui corpus non maneret integrum in ſe; ergo &c.

Confir. Chriſtus in Euchariſtia nihil habet ſubſtantiale, & productum, quod non produxerit B. Virgo; ergo per conſecrationem nihil in corpore Chriſti producitur, alioqui non eſſet filius ejus, prout eſt in Euchariſtia; quod nullus Catholicus admittet.

Prob.3.p. Nam per adductionem ſine inconvenienti ſalvantur facilè omnia, quæ pertinent ad hanc converſionem; ergo ita dicendum eſt eam fieri. Ant. patet ſolutione objectionum. Prob. conſ. Non enim multiplicanda ſunt entia ſine neceſſitate, & quæcumque a Theologis cum tanto labore quæruntur, & fin-

finguntur, eò tendunt, ut rectè explicetur quid, & qualis ſit terminus actionis hujus converſivæ.

Confir. Cum iſta adductione verè dicitur, *hoc eſt corpus meum:* & vera eſt converſio panis in corpus Chriſti: verè per illam ſubſtantiam panis deſtruitur, & corpus Chriſti illi ſuccedit ſub accidentibus ejus ex vi, & conſequenter ad illam deſtructionem; ſed non requiruntur alia ad ſalvandam veram converſionem, quam hic agnoſcimus; ergo &c.

Confir. 2. Nam ad veram converſionem ſubſtantialem nihil aliud requiritur, quàm quòd una res tranſeat de ſubſtantia in ſubſtantiam, ita ut una deſtruatur, & ceſſet ibi eſſe, & alia ponatur loco ejus per veram, & realem præſentiam, qualem habebat prior illa, quæ deſiit; ſed hoc utrumque fit de pane, & corpore Chriſti per actionem, qua vult Deus ceſſare à conſervatione ſubſtantiæ panis, & loco ejus adducere ſubſtantiam corporis Chriſti; ergo actio adductiva corporis Chriſti, & ſanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini ſufficit ad veram converſionem. Prob. min. Nam iſta converſio conſiſtit in illa deſtructione ſubſtantiæ panis.

Prob. 2. Nam actio adductiva nihil eſt aliud, quam ea, qua res acquirit aliquod ubi, ſeu præſentiam, quam antea non habebat, ſive præcedentem retineat, ſive relinquat; ſed per conſecrationem, & actionem, qua Chriſtus ponitur in Euchariſtia, nihil aliud fit; ergo eſt purè adductiva. Maj. patet: nam ſi Chriſtus hodie deſcenderet de cœlo in templum relinquendo præſentiam, quam illic habet, diceretur huc adduci; ergo & nunc de facto, cùm ſit præſens in altari, dici debet illuc adduci, licèt non relinquat ubi cœleſte: nam relictio, vel retentio ubi cœleſtis nihil facit ad iſtud.

Objic. 1. In Canone [1] dicitur corpus Chriſti creari, fieri, produci, &c. *Per quem omnia hæc bona creas, ſanctificas*, &c. Et Ambroſ. [2] *Ubi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti*. S. Hieronymus dicit, quod *Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt*. Et Gregor. & Auguſtinus, quod *in eorum manibus Chriſtus quotidie velut in utero Virginis incarnatur:* Et ſic de aliis; ſed hæc non dicerent verè, niſi per conſecra-

[1] *de ſacram.* 4. [2] *ep. ad Heliod.*

tionem aliquo modo produceretur corpus Chriſti; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. niſi producatur aliquo modo, conc. niſi producatur vera, & propria productione ſubſtantiali, nego min. Nec enim Patres per illa verba, *fieri*, *produci*, *incarnari*, &c. prætendunt carnem Chriſti accipere novum aliquod eſſe ſubſtantiale, ſed novam præſentiam ſub ſpeciebus panis, per quam fit iſtud ſacramentum, quod verè fieri dicitur per illam converſionem.

Objic. 2. Converſio iſta eſt ſubſtantialis, quia eſt inter duas ſubſtantias, quarum una eſt terminus *a quo*, & deſtruitur, & alia eſt terminus *ad quem*, & producitur; ergo non ſolum ſubſtantia panis deſinit eſſe, ſed etiam ſubſtantia carnis Chriſti accipit eſſe reale, ut illi ſuccedat.

Reſp. diſt. conſ. accipit eſſe præſentiæ realis, conc. eſſe exiſtentiæ, neg. conſ. Nam ad rationem converſionis ſubſtantialis ſufficit, quòd una ſubſtantia deſtruatur, ſeu deſinat eſſe, ut ejus loco ponatur alia ſubſtantia per poſitionem, ſeu adductionem realem, ut hic contingit.

Inſt. Ergo ſubſtantia panis non convertitur in ſubſtantiam, ſed tantùm in præſentiam Chriſti; ſed conſeq. eſt falſum, & contra ſenſum Eccleſiæ, & Patrum; ergo, &c. Prob. ſeq. Nam ſubſtantiæ panis, ac deſtructioni ejus nihil novum ſuccedit præter illam præſentiam.

Reſp. neg. ſubſ. & ant. prob. Nam verè ſuccedit ſubſtantia carnis; & ad hoc nihil facit, quòd iſta de novo producatur, aut ſolùm præexiſtens adducatur; ſicut ſi Petrus converteretur in Michaelem Angelum, non minùs eſſet vera tranſubſtantiatio, licet Michael non crearetur de novo.

Objic. 3. Tranſubſtantiatio activa, qualis eſt iſta, eſt actio inter duas ſubſtantias, quarum una tota deſinit eſſe, & alia ejus loco tota ponitur, ſed per ſimplicem adductionem, & ſine aliqua productione alicujus ſubſtantiæ illa actio non terminatur ad ſubſtantiam; ergo non eſt tranſubſtantiatio. Prob. min. Nam adductio terminatur ad ſolam præſentiam novam; ſed præſentia formaliter non eſt ſubſtantia, ſed relatio per nos; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. neg. min. & maj. prob. Nam terminatur ad ſubſtantiam corporis, quod facit eſſe præſens realiter ſub ſpeciebus panis per adductionem; nec aliud requiritur ad tranſubſtantiationem veram.

Inſt. Terminus *ad quem* actionis ſubſtantialis debet eſſe ſubſtantia per illam poſita in eſſe; ſed niſi ſubſtantia corporis Chriſti in Euchariſtia producatur per actionem converſivam, hæc non terminatur ad ſubſtantiam per eam ibi productam; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nec enim id requiritur, ſed tantum ut terminetur ad ſubſtantiam, & aliquid ſubſtantiale per eam fiat; & talis eſt adductio, quæ facit ſubſtantiam carnis Chriſti præſentem loco ſubſtantiæ panis; & ex ea reſultat Sacramentum corporis Chriſti in propria, & vera ſubſtantia ſua.

Inſt. Hæc actio terminatur ad præſentiam, quæ eſt accidens; ergo & ipſa eſt purè accidentalis: nam actiones ſpecificantur à terminis.

Reſp. diſt. ant. terminatur ad præſentiam formaliter, & *ut quo*, ſeu concomitanter, conc. realiter, & *ut quod*, neg. ant. & conſ. Nam actiones ſpecificantur à terminis totalibus, & directis, non autem à concomitantibus. Hæc actio per ſe, & directe ordinatur ad deſtructionem ſubſtantiæ panis, ut illi ſuccedat ſubſtantia carnis Chriſti, quam poſſet etiam producere, niſi productam, & præexiſtentem eam haberet, quod valde notandum eſt pro tota hac quæſtione.

Objic. 4. Si per converſionem Euchariſticam nihil aliud fieret, quam adductio ſimplex corporis loco ſubſtantiæ panis ſub ſpeciebus, non eſſet vera tranſubſtantiatio, ſed tranſlocatio; quia ſubſtantia panis non deſineret, niſi ut cederet locum corpori Chriſti; ſed conſ. eſt falſum, & contra mentem Patrum, & Theologorum; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi corpus Chriſti poneretur ibi ut in loco, & panis non aliter deſineret ibi eſſe, quàm ut cederet ei locum, conc. ſi illud non ibi eſt ut in loco, nec ideò iſte deſinat ibi eſſe, neg. maj. & conſ. Nam ſubſtantia panis ſicut ibi non erat ut in loco, nec corpus ibi ſuccedit ut novum locatum, neque eſt ibi ut in loco; ita hæc converſio non eſt tranſlocatio, ſed vera tranſubſtantiatio; & maxime quia illa actio, per quam cauſatur hæc præſentia, talis eſt de ſe, ut ipſum

corpus produceret, niſi inveniret productum.

Inſt. Adductio eſt motus purè localis rei, quæ adducitur; ergo ſi converſio hæc eſſet purè adductio, eſſet motus purè localis, non autem tranſubſtantiatio.

Reſp. diſt. ant. Nam præcisè adductio eſt poſitio rei, quæ fit præſens alteri de novo, ſive fiat per motum localem, ſive alio modo. Nam cum Chriſtus fit præſens, & adducitur in Euchariſtiam, non movetur à cœlo, in quo eſt localiter, ſed ſine mutatione, & motu locali ponitur in altari.

Ut autem tollatur omnis æquivocatio, nota, quod non dicimus actionem hanc eſſe puram adductionem, ſed converſionem, per quam ſubſtantia converſa deſtruitur, ut ejus loco, ſeu vice ponatur ſubſtantia, in quam illa converſa eſt per actionem, quæ de facto nihil aliud facit, quàm reddere corpus Chriſti ibi præſens, quia illud jam habet præexiſtens; ſed talis eſt naturæ, & virtutis, ut illud poſſet etiam producere, ſi non haberet productum.

Objic. 5. Verba conſecrationis de ſe habent ſufficientem virtutem ad producendum corpus Chriſti; ergo debent illud producere, quia alioqui fruſtra eſſent talis virtutis, & ut talia proferuntur. 2. quia alia Sacramenta operantur, quod ſignificant; ergo & iſtud.

Reſp. neg. min. & ant. prob. ejus, quia ſufficit, quòd ex vi verborum adducatur ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti, & quod Deus intuitu eorum poneret illud per veram productionem, niſi jam illud inveniret productum: ideòque de facto illud tantum adducunt, & faciunt præſens. Ad 2. diſt. conſ. operatur, quod ſignificat ſuo modo, ſc. per adductionem corporis Chriſti, conc. per effectivam, & novam productionem, neg. conſ. Non enim hoc neceſſe eſt, ut ſignificet efficaciter, quia ad hoc ſufficit, quòd adſit corpus Chriſti realiter ſub illis ſpeciebus virtute illorum, Deo illorum intuitu id præſtante.

Inſt. Alia ſic ſunt efficacia, ut effectus inviſibiles, quos ſenſibiliter ſignificant, ſc. gratiam, operentur per realem ejus productionem ſive moraliter, ſive phyſice: ergo & iſtud debet operari ſuum, ſc. corpus Chriſti per realem ejus productionem.

Reſp. neg. conſeq. Nam ad paritatem efficaciæ verborum hujus Sacramenti cum aliis ſufficit, quòd

Deus

Deus eorum intuitu faciat, ut verum ſit, quod illa ſignificant, nempe ut quod demonſtrant, ſit vere Corpus Chriſti, ut eſt de facto: nec enim aliud per ſe ſignificant, quomodocumque id fiat, ſive per adductionem, ſive per productionem.

Objic. 6. Actio ipſa eſt converſio ſubſtantialis, per quam tota ſubſtantia panis, & vini convertitur in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti, ita ut habeat pro termino *a quo* ſubſtantias panis, & vini, & pro termino *ad quem* ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti; ſed iſtam non habet pro termino *ad quem*, niſi producat eam; ergo eam de facto producit. Prob. min. In tantum eſt converſiva ſubſtantialis, in quantum eſt productiva ſubſtantiæ, quæ ſit terminus ejus *ad quem*: ergo debet producere Corpus, & Sanguinem. Ant. patet ex Concil. Trid. quod declarat, [1] *per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti* &c. ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ut terminum *ad quem* vere ſuccedentem ſubſtantiæ panis, & vini ſub ſpeciebus ſive per productionem formalem, ſive per adductionem, con. maj. & neg. min. per productionem formalem, neg. maj. & conſ. 1. argum. & ant. 2. & conſ. 3. Nam ad veritatem converſionis, quam docet fides in hoc Sacramento, ſufficit deſitio totius ſubſtantiæ panis, & vini in veram, & realem ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis, quæ ſub illis ſpeciebus ſuccedit intuitu, & conſequenter ad illam deſtructionem, ſive per productionem, ſive per adductionem ponatur ille terminus.

Inſt. Eadem actio, quæ eſt converſiva, eſt etiam productiva termini *ad quem*; ergo non poteſt eſſe vera converſio ſine productione termini ad quem. Prob. ant. Nam converſio, & actio productiva habent eundem terminum *ad quem*, ſc. ſubſtantiam ſuccedentem ſubſtantiæ converſæ; ergo utraque eſt productiva.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ſicut poteſt eſſe actio productiva ſine converſione, ita & converſio ſine productione. Converſio præciſe, & ſecundum ſe nihil aliud eſt, quam verſio, ſeu tranſitus unius ſub-

[1] *Seſſ.* 13. *c.* 4.

ſubſtantiæ in aliam cum mutua ſucceſſione, quomodocumque id fiat, ſive per productionem realem ſuccedentis, ſive per puram adductionem iſtius in locum illius; ut ſi Petrus converteretur in Michaelem Archangelum jam exiſtentem. Actio vero productiva indifferens eſt ad converſionem, vel abſolutam productionem; ut ſi Deus poneret Corpus Chriſti in panis ſubſtantia, iſta manente, ut volunt Lutherani de facto fieri per impanationem; ergo illæ actiones realiſſime diſtinguuntur.

Igitur converſio, ſeu tranſubſtantiatio iſta importat deſtructionem ſubſtantiæ panis, & vini, quæ dicitur converti, & conſequenter ſucceſſionem ſubſtantiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti per actionem, quæ iſtam poſſet producere, niſi eam reperiret productam; & ideo nihil de novo producit præter realem hujus præſentiam per adductionem ejuſdem ſubſtantiæ Corporis, & Sanguinis Chriſti in cœlo exiſtentis.

Hinc autem colligis, hanc ipſam actionem eſſe quidem productivam non formaliter, & de facto, ſed virtualiter, & æquivalenter, quatenus, ut dicebam, per illam eandem produceret ſubſtantiam Corporis Chriſti, niſi productam reperiret.

CONCLUSIO II.

Terminus totalis ad quem tranſubſtantiationis eſt totum Chriſti Corpus ſecundum totam humanitatem; formalis vero tranſubſtantiationis per ſe, & directe eſt Corpus Chriſti conſtans materia, & forma corporeitatis, ſanguinis vero eſt ipſa forma ſubſtantialis ſanguinis ejuſdem. Eſt Doctoris, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod corpus Chriſti includit per ſe materiam, & ad minus formam unam mixti priorem intellectiva, & iſtud eſt compoſitum (quod tamen per ſe eſt pars hominis) fit per ſe converſio panis, quia totius in totum, & partium in partes: & per conſequens hæc forma eſt formalis terminus converſionis, ſive forma termini converſionis*, ſcilicet corporis.

Prob. 2. quoad 1. p. Illud eſt terminus totalis *ad quem* tran-

[1] *d. 11. q. 3. KK. n. 37.*

tranſubſtantiationis, quod ponitur in Sacramento ex vi formæ conſecrationis, & de quo ejus verba verificantur; ſed tale eſt totum Corpus Chriſti ſecundum totam humanitatem; ergo &c. Prob. min. Nam forma illa conſtat his verbis, *hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt calix ſanguinis mei*; ſed hæc ſignificant totum corpus, & Sanguinem Chriſti; ergo &c.

Confir. ex S. Ambroſ. relato in Canone, [1] *Idem ſane corpus, quod ex Virgine ſumptum eſt, quod reſurrexit, & in cœlum aſcendit, in Euchariſtia eſt...* Et in Concil. Trid. definitur, [2] *in hoc ſacramento contineri totum Chriſtum realiter, & ſubſtantialiter, & in eo fieri mirabilem illam, & ſingularem converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam converſionem tranſubſtantiationem appellat Eccleſia Catholica*; & dicit Anathema, *ſi quis negaverit ibi contineri totum Chriſtum*, & quidem totum corpus directe, & *ex vi verborum, animam vero, & divinitatem concomitanter ex vi naturalis connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini inter ſe copulantur poſt reſurrectionem* &c. Hinc

Prob. 2. p. Illud eſt terminus formalis *ad quem* hujus converſionis, per quod ille totalis conſtituitur in ratione corporis, & Sanguinis, ſeu quod eſt forma ejus ſubſtantialis; ſed illud corpus, & ille ſanguis conſtituuntur per illas formas; ergo &c. Maj. eſt certa ex definitione talis termini, & ex ſenſu communi. Prob. min. ex dictis in Philoſophia de forma corporeitatis.

Prob. 2. Nam ille terminus debet eſſe aliquid ſubſtantiale, alioqui non eſſet tranſubſtantiatio, ſed tranſaccidentatio; ſed nihil ſubſtantiale poteſt dici eſſe talis terminus præter illam formam corporeitatis, qua conſtituitur corpus, & forma ſanguinis, qua conſtituitur in eſſe talis humoris; ergo &c. prob. min. Nihil eſt ſubſtantiale in corpore Chriſti, ſicut & in aliis corporibus præter materiam, & formam illam, & animam rationalem; ſed materia corporis, nec anima rationalis non poteſt dici terminus formalis ille; ergo &c. prob. min. de materia id clarum eſt; eſt enim quidem terminus *ad quem* materialis, ſed non

[1] 2. *de conſecr.* [2] *Seſſ.* 13. *can.* 7. *can.* 2. & 3.

non formalis. 2. de anima tam ex Concil. cit. docente, animam poni non directe ex vi verborum, ſed concomitanter ex vi naturalis connexionis, &c. tum quia ſi in triduo mortis conſervatæ fuiſſent ſpecies conſecratæ ab ipſo Chriſto, non fuiſſet ibi anima, quandoquidem erat ab ipſo corpore ſeparata: & idem eſt, ſi quis ex Apoſtolis in illo triduo voluiſſet conſecrare; ſed terminus formalis converſionis non poteſt eſſe aliud, quam quod ponitur vi verborum, & forma conſtituens eſſentialiter corpus in ratione corporis; ergo non poteſt eſſe anima. Hinc

Prob. 3. Illud eſt terminus formalis ſubſtantialis, quod in omni ſtatu conſtituit Corpus Chriſti ut natum ex virgine, mortuum in cruce, & ſepultum, & ut reſurrexit, ut dicebam, ex Ambroſ. ſed illud corpus non conſtituebatur in ratione corporis, niſi per illam formam; ergo &c. Prob. min. Nam in ſepulchro non conſtituebatur per animam; ergo &c.

Objic. 2. Subſtantia panis convertitur in Corpus Chriſti ut vivum; ſed non conſtituitur ut vivum niſi per animam, ergo non terminat formaliter converſionem, niſi per animam. Prob. maj. Non eſt ibi carens vita; ergo eſt ibi ut vivum.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. ut vivum materialiter, ſeu ſpecificative, con. formaliter, & reduplicative, neg. maj. & conſ. prob. Vita ibi, & anima ponuntur, & terminant converſionem activam concomitanter, ſed non formaliter, & directe ex vi verborum.

Inſt. Terminus totalis converſionis eſt totus Chriſtus; ergo terminus formalis debet eſſe forma dans illi toti eſſe ſimpliciter, & completum; ſed hoc facit anima; ergo anima eſt ille teminus.

Reſp. diſt. ant. totalis tam directe, & vi verborum, quam indirecte eſt totus Chriſtus, con. directe per ſe, & ex vi verborum, neg. 1. ant. & 2. conſeq. Nam ex Trident. & Patribus, & communi conſenſu directe, & vi verborum non ponitur ibi nec anima, nec divinitas Chriſti; ergo non totus Chriſtus.

Inſt. 1. Forma panis, & vini eſt terminus formalis *a quo*; ergo & anima Chriſti eſt terminus formalis *ad quem* ejuſdem converſionis. Prob. conſ. Chriſtus ſuccedit pani; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & diſt. 2. ant. Chriſtus, prout ponitur

tur directe, & ex vi verborum, con. abſolute, & ſimpliciter ſecundum ſe totum, neg. conſ. Nam directe, & ex vi verborum non Chriſtus totus, ſed corpus ejus ſuccedit pani, & ſanguis ejus vino: verba enim converſiva ſunt, *hoc eſt corpus meum*; corpus autem non dicit animam directe.

Objic. 3. Forma, quæ dat eſſe per ſe corpori, eſt terminus formalis converſionis; ſed id facit ſola anima; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. quæ dat eſſe per ſe in ratione corporis, con. in ratione hominis, neg. ant. Nam verba non exprimunt per ſe corpus animatum, & ultimo completum.

Inſt. Corpus, in quod convertitur panis, eſt quid completum ſubſtantialiter, ſicut panis, qui deſinit; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. completum ſubſtantialiter in ratione corporis, & non ultimate, con. in ratione hominis, & complete, neg. ant. & conſ. quod patet ex dictis. Loquimur autem de corpore non mathematico, & quantitativo, quod dicit trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis; ſed de corpore phyſico ex ſubjecto, ſeu ſubſtantia materiali, & forma mixti.

Aliæ objectiones impugnant ſententiam noſtram de forma ſubſtantiali corporeitatis, quam agnoſcimus in corporibus viventium.

Objic. 4. Terminus formalis *ad quem* converſionis eſt quid novum, quod fit, vel acquiritur; ſed per nos nihil novum acquiritur per converſionem Euchariſticam, niſi præſentia Chriſti, vel aliquis modus, v. g. unio, &c. ergo ſola hæc præſentia eſt terminus formalis ejus. Prob. maj. Terminus formalis actionis eſt id, quod per actionem præciſe, & formaliter per illam ponitur; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. actionis productivæ, con. adductivæ, neg. ant. Converſio autem iſta eſt actio adductiva, per quam corpus Chriſti adducitur, & fit præſens ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ per illam deſtruuntur quoad ſubſtantiam.

Inſt. Terminus formalis *ad quem* omnis actionis circa qualibet entia eſt id, per quod ex vi illius res aliter ſe habet; ſed per converſionem Corpus Chri-

ſti non aliter ſe habet, niſi quoad præſentiam; ergo ſola præſentia eſt terminus formalis actionis converſivæ.

Reſp. diſt. maj. terminus formalis *ut quo*, con. terminus formalis *qui*, & directus, neg. maj. & conſ. Nam concedo, quod per novam præſentiam corpus, & Sanguis Chriſti per actionem converſivam ſuccedit ſubſtantiæ panis, & vini, & illud corpus eſt terminus *qui*; illa vero formalis *ut quo*, cujus productione per actionem adductivam verum eſt hoc eſſe corpus Chriſti, quod antea erat panis.

QUÆSTIO V.

De ipſa formali præſentia Christi. Quid illa ſit, & in quo conſiſtat.

POſtquam diximus, actionem tranſubſtantiativam non eſſe productivam ullius novæ ſubſtantiæ, ſed ſolius præſentiæ Chriſti, deſtructa ſubſtantia panis, & vini, cui ſuccedit: reſtat videndum, quid illa importet, & in quo conſiſtat: Nam plures volunt, eam nihil eſſe diſtinctum ab ipſo corpore, & ſanguine, & eorum indiſtantia, ſeu negatione pura diſtantiæ. Alii volunt, illam conſiſtere in modo aliquo poſitivo abſolute, quem dicunt ſubſtantialem: alii in entitate relativa extrinſecus adveniente, quæ reducibilis eſt ad prædicamentum *ubi*. Quæritur etiam, utrum per unam, & eandem præſentiam Corpus, & Sanguis iſte pretioſus ſint in loco per eandem præſentiam, & ubicationem ſpecierum, an per diverſam, & denique an præter illam præſentiam ad ſpecies panis, & vini Corpus, & Sanguis unione aliqua reali, & diſtincta illis uniantur.

CONCLUSIO I.

P*Ræſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti, quam cauſant actio converſiva, eſt entitas realis, & poſitiva, & relativa reducibilis ad prædicamentum ubi*. Dico, *Reducibilis*. Eſt Scotiſtarum, & aliorum.

Prob. 1.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Si arguas, ille reſpectus extrinſecus adveniens, qui dicitur præſentia ſimplex, ad quod genus pertinet, poteſt dici, quod magis proprie reducitur ad genus ubi inter omnia genera reſpectuum extrinſecus advenientium; quia in pluribus cum illo reſpectu convenit*, &c.

Prob.2.1.p.Nam per hanc præſentiam corpus Chriſti tranſit realiter de contradictorio negativo in contradictorium poſitivum, & de non præſente fit præſens ſub ſpeciebus; ſed hic tranſitus fieri non poteſt ſine adventu alicujus novæ formæ poſitivæ; ergo &c.

Prob.2.p. Novum denominans poſitive debet eſſe poſitivum; ſed hæc præſentia nova denominat poſitive Corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus; ergo eſt quid poſitivum. Prob. min. Nam eſſe præſens hic opponitur contradictorie negationi talis præſentiæ; ergo illa eſt denominatio poſitiva, ſicut iſta eſt negativa. Nam negatio non opponitur contradictorie negationi; & contradictio eſt inter affirmationem, & negationem, ſicut inter poſitivum, & negativum ejuſdem rei.

Prob. 3.p. de relatione: quia nihil poſitivum abſolutum eſt in Chriſto in Euchariſtia, quod ipſe non habeat in cœlo; ergo non eſt quid abſolutum.

Prob.2. Illud eſt pura relatio, cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere; ſed tale eſt totum eſſe, & munus hujus præſentiæ; nec enim poteſt concipi ſine reſpectu ad ſpecies panis, & vini, ſub quibus ponitur loco ſubſtantiæ illorum; ergo &c.

Confir. quia non poteſt dici, in quo conſiſtat, aut quid ſit illud abſolutum; & alia entia non ſunt præſentia præciſe,& formaliter,niſi per tales relationes; ergo &c.

Prob.4.p.de reductibilitate hujus præſentiæ ad prædicamentum *ubi*. Nam hæc præſentia eſt quoddam ens reale; ergo pertinet ad aliquod prædicamentum; ſed non poteſt aliud aſſignari, ad quod magis pertineat; ergo &c. Prob. min. non pertinet niſi ad unum ex relativis; ſed ex iſtis non poteſt aſſignari aliud, quā *ubi*; ergo &c. Min. patet percurrendo. Nam 1. non eſt relatio intrinſecus adveniens; quia non reſultat inter

[1] *d.*10.*q.*1.*n.*1.& *k.n.*11.12.

inter ſpecies, & Chriſtum exiſtentem in rerum natura, ſicut relatio ſimilitudinis inter duo alba; ergo non ſpectat ad relationem intrinſecus advenientem, ſed ad unam ex relationibus extrinſecus advenientibus, quæ non reſultant ex natura, & exiſtentia extremorum, ſed requirunt aliquam conditionem ex parte alicujus agentis, v.g. approximationem. 2. non eſt *actio*; quia non habet terminum per illam poſitum. 3. non *paſſio*, quia in ipſa formaliter non eſt receptio, vel mutatio, ſed potius aliquid receptum, per quod Corpus Chriſti mutatur, & fit præſens. 4. non eſt *ſitus*; quia Corpus Chriſti in Euchariſtia caret omni reſpectu ad partem loci; ſed eſt ibi quaſi indiviſibiliter, & definitive, ut videbimus. 5. nec *quando*; quia non reſpicit tempus, nec differentias ejus. 6. nec *habitus*; quia non reſpicit ſpecies, ut habens eas quaſi veſtes, &c. ergo nullum poteſt aſſignari, ad quod hæc præſentia magis pertineat, quam ad *ubi*.

Confir. Nam *ubi* conſiſtit in relatione totius locati ad locum, ſeu contenti ad continens, & viciſſim; & aliquo bono ſenſu dici poteſt, Corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus panis, & vere, ac realiter eſſe ibi, cum ante conſecrationem non eſſet; ergo & quod ſit ibi per aliqualem ubicationem.

Dico *aliqualem*; nam inquit Scotus: *Hæc præſentia Chriſti in Euchariſtia in pluribus cum illo reſpectu* (locati ad locum) *convenit; & ſi forte non ſit proprie in illo genere, non tamen ab illis ambitur, ut a ſuperficie corporis, quæ dicitur locus*. Eſt igitur Chriſtus in ſpeciebus Euchariſticis eo modo, quo ſubſtantiæ ſpirituales ſunt in loco, ſc. totus in totis, & totus in qualibet parte illarum.

In multis autem differt hæc præſentia ab *ubicatione*, ut notat Scotus, & videbimus infra.

Objic. 1. ex Patribus. Chriſtus eſt in Euchariſtia per converſionem; ergo non per præſentiam, vel ullam entitatem poſitivam diſtinctam.

Reſp. diſt. ant. per converſionem effective, con. formaliter, neg. ant. & conſ. Converſio eſt actio, vel paſſio, per quam cauſatur illa præſentia.

Objic. 2. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas aſſerendi ad hoc entitatem ullam diſtinctam ab ipſa ſubſtantia corporis, &

San-

Sanguinis, ut indiſtantia a ſpeciebus; ergo præter in-diſtantiam iſtam præſentia nihil aliud poſitivum importat. Prob. min. Præſentia pilæ in ſuperficie terræ nihil aliud importat, niſi ejus indiſtantiam ab illa; & ſic de aliis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam illa indiſtantia fundat relationem præſentiæ, & ſtatim illa poſita reſultat neceſſario.

Inſt. Prius eſt, pilam eſſe indiſtantem, & tangere ſuperficiem illam, quam in ea ullum poſitivum cauſare; ergo prius eſt, Corpus Chriſti eſſe præſens ſpeciebus, quam ibi cauſare ullum poſitivum; ergo non eſt ibi præſens per illud, nec per relationem. Hoc argumentum fit contra diſtinctionem relationum a fundamento, & termino.

Reſp. diſt. ant. eſſe prius natura, & fundamentaliter, conc. formaliter, neg. ant. & conſ. Nam relatio præſentiæ formaliter, & actualiter præſupponit exiſtentiam rei in loco prioritate naturæ; ſicut prius eſt, Petrum eſſe genitum a Paulo, quam in eo reſultet relatio filiationis; ſed non ſequitur, filiationem nihil eſſe diſtinctum ab ipſo. Unde hoc argumentum facit pro omnibus relationibus, quas volunt aliqui diſtinctas eſſe ab extremis.

Inſt. 2. Poſſet Deus conſervare corpus ſuum ſub ſpeciebus ſine ulla entitate poſitiva præſentiæ, ſi eſſet quid diſtinctum realiter; ergo vel illud non eſt neceſſarium, vel non eſt quid diſtinctum ab entitate Corporis Chriſti.

Reſp. neg. ant. Nam implicat, Corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus, quin ſit illis præſens; ſicut implicat, quod Deus ponat me in hac cella, & quod ibi non ſim præſens, & quod non reſultet relatio præſentiæ meæ ad illam.

Inſt. 3. Illa vera entitas nova, & poſitiva præſentiæ eſſet etiam præſens; & hoc vel per ſeipſam immediate, vel per aliam pariter ſc. diſtinctam per ſe immediate; ergo idem eſt de ipſo corpore: ſi per aliam; ergo & hæc alia per 3. & ſic in infinitum.

Reſp. ut alias de omni relatione, diſt. ant. per ſeipſam *ut quo*, conc. per ſeipſam *ut quod*, neg. ant. & conſ. Nam in ſimilibus ſiſtitur in primo *quo*, ut ſæpius dictum eſt in ſimilibus; ratio eſſendi, & *qua*, nunquam

eva-

Reſp. neg. utrumque ant. quia non alia eſt iſta incompoſſibilitas, quam quia Deus non vult conſervare ſubſtantiam illam ſub ſuis accidentibus ad præſentiam Corporis Chriſti ſub illis; alioquin poſſent ſtare ſimul, & Corpus ibi eſſe poſſet penetrative cum pane, ſi Deus vellet.

Objic. 4. Sine unione iſta non poſſet concipi, quomodo Corpus Chriſti moveatur cum ſpeciebus: ad hoc enim non ſufficit ſimplex præſentia ejus ad illas; ſicut locus, ſeu ſuperficies ambiens corpus moveri poteſt ſine iſto, quamvis ſit præſens loco: ergo debet corpus eſſe alligatum ſpeciebus aliquo vinculo ſtrictiori, quam per ſimplicem præſentiam.

Reſp. neg. ant. cujus falſitas patet multis experientiis. Muſca movetur cum bove, vel equo, ſicut & eques illis inſidens: homo cum nave: vinum cum dolio, aut vaſe &c. licet inter iſta non ſit unio compoſitionis, nec alia, quam unio ſimplicis præſentiæ. Scotus autem dicit, quod Deus inſtituens hoc Sacramentum decrevit facere Corpus Chriſti præſens, ubicumque erunt præſentes ſpecies, & cum illis moveri.

Inſt. Saltem ſine unione aliqua Corpus Chriſti non demonſtraretur ſufficienter per ſpecies, nec vere dici poſſet, *hoc eſt corpus meum*: ergo &c. Prob. ant. Si adeſſet Angelus per puram præſentiam in ſpeciebus, non poſſet dici, *hoc eſt Angelus*: ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque. Nam ſi Angelus eſſet ſub ſpeciebus eadem præſentia, qua Chriſtus, tam vere demonſtraretur per verba, *hoc eſt angelus*, quia ſignificaretur vere id, quod eſt ſub ſpeciebus illis, eſt Angelus: ad hoc enim nihil facit unio, ſicut non facit, ut oſtenſo corpore dicatur vere, *hoc eſt anima*.

Objic. 3. Species reddunt Corpus Chriſti ſenſibile, & viſibile, movibile, manducabile, diviſibile &c. ſed hæc non facerent ſine unione phyſica: ergo &c. Prob. min. quia ſola indiſtantia, & præſentia localis ad hæc verificanda non ſufficit: ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ſuppoſita præſentia illa voluntaria Chriſti ad ſpecies panis ex inſtitutione divina, omnia illa prædicata panis, & vini, & accidentium ejus ſibi ſumpſit, non quidem ut in omni ſenſu de corpore illius directe prædicetur, ſed vel directe,

ctè, ut manducare; vel indirectè, & ratione ſpecierum, & per attributionem, ut frangi, dividi, &c. *Non corporis ſignati, ſed ſigni tantùm ſit fractura, integro manente ſignato.*

Objic. 4. Sine unione phyſica ſalvari non poſſunt loquutiones Conciliorum, & Patrum; ergo talis eſt agnoſcenda. Prob. ant. Conc. Trid. [1] dicit, eam exiſtendi rationem in hoc Sacramento licèt verbis exprimere vix poſſimus, tamen eſſe poſſibilem: facile autem verbis id exprimeremus per ſimplicem præſentiam, vel aſſiſtentiam. In cap. *firmiter* dicitur, ſpecies continere corpus, & ſanguinem inſeparabiliter; ergo agnoſcitur ibi unio ſtrictiſſima, & inſeparabilis. S. Damaſcenus dicit, *Deum conjunxiſſe divinitatem ſuam pani, & vino, & feciſſe ea corpus & ſanguinem ſuum*; ſed hoc non verificatur ſine unione; ergo, &c. Denique corpus, & ſanguis cum ſpeciebus faciunt unum Sacramentum; ergo inter ſe uniuntur aliqua compoſitione.

Reſp. neg. conſ. quia ad hæc omnia ſufficit intima, & voluntaria præſentia ſic volita à Deo ex inſtitutione Sacramenti, ut nolit hæc ſeparari, niſi per deſtructionem ſigni, ſeu ſpecierum. 1. Concil. Trident. id potiùs confirmat: quia non loquitur de unione, ſed de continentia, vel de exiſtendi ratione. 2. inſeparabilitas non venit ab unione: nam hæc non impedit ſeparabilitatem, ſed potiùs eam cauſat, aut ſupponit; ſed venit ex decreto Dei. 3. Damaſcenus non aliam conjunctionem aſſerit, quàm intimam præſentiam, qua verificetur, *hoc eſt corpus meum*. 4. Idem eſt de Sacramenti conſtitutione ex ſpeciebus, & corpore ſub illis contento: nam in aliis Sacramentis inter ſignum ſenſibile, & ſignificatum non intercedit unio compoſitionis phyſicæ.

Objic. 5. Corpus Chriſti habet aliquam efficientiam circa ſpecies; ergo illis unitur. Prob. ant. Nam Deus per illud conſervat ſpecies ſine ſubjecto, cujus vices ſupplet, non ut ſubjectum inhæſionis, ſed ſuſtentationis effectivæ; ſed neutrum fieri poteſt ſine unione corporis ad ſpecies; ergo, &c. Maj. patet: nam ſubſtantia panis dupliciter ſe habet ad ſua accidentia, 1. ſuſtentat ea ſubjectivè, ſeu materialiter per illorum inhæ-

[1] *ſeſſ.* 13. *c.* 2.

non formalis. 2. de anima tam ex Concil. cit.docente, animam poni non directe ex vi verborum,ſed concomitanter ex vi naturalis connexionis, &c. tum quia ſi in triduo mortis conſervatæ fuiſſent ſpecies conſecratæ ab ipſo Chriſto, non fuiſſet ibi anima, quandoquidem erat ab ipſo corpore ſeparata: & idem eſt, ſi quis ex Apoſtolis in illo triduo voluiſſet conſecrare; ſed terminus formalis converſionis non poteſt eſſe aliud, quam quod ponitur vi verborum, & forma conſtituens eſſentialiter corpus in ratione corporis; ergo non poteſt eſſe anima. Hinc

Prob. 3. Illud eſt terminus formalis ſubſtantialis, quod in omni ſtatu conſtituit Corpus Chriſti ut natum ex virgine, mortuum in cruce, & ſepultum, & ut reſurrexit, ut dicebam, ex Ambroſ. ſed illud corpus non conſtituebatur in ratione corporis, niſi per illam formam; ergo &c. Prob. min. Nam in ſepulchro non conſtituebatur per animam; ergo &c.

Objic. 2. Subſtantia panis convertitur in Corpus Chriſti ut vivum; ſed non conſtituitur ut vivum niſi per animam; ergo non terminat formaliter converſionem, niſi per animam. Prob. maj. Non eſt ibi carens vita; ergo eſt ibi ut vivum.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. ut vivum materialiter, ſeu ſpecificative, con. formaliter, & reduplicative, neg.maj.& conſ. prob. Vita ibi, & anima ponuntur, & terminant converſionem activam concomitanter, ſed non formaliter,& directe ex vi verborum.

Inſt. Terminus totalis converſionis eſt totus Chriſtus; ergo terminus formalis debet eſſe forma dans illi toti eſſe ſimpliciter, & completum; ſed hoc facit anima; ergo anima eſt ille teminus.

Reſp.diſt.ant.totalis tam directe, & vi verborum, quam indirecte eſt totus Chriſtus, con.directe per ſe, & ex vi verborum, neg. 1. ant. & 2. conſeq. Nam ex Trident. & Patribus, & communi conſenſu directe, & vi verborum non ponitur ibi nec anima, nec divinitas Chriſti; ergo non totus Chriſtus.

Inſt. 1. Forma panis, & vini eſt terminus formalis *a quo*; ergo & anima Chriſti eſt terminus formalis *ad quem* ejuſdem converſionis. Prob. conſ. Chriſtus ſuccedit pani; ergo &c.

Reſp. neg. conſ.& diſt.2.ant.Chriſtus, prout ponitur

tur directe, & ex vi verborum, con. abſolute, & ſimpliciter ſecundum ſe totum, neg. conſ. Nam directe, & ex vi verborum non Chriſtus totus, ſed corpus ejus ſuccedit pani, & ſanguis ejus vino: verba enim converſiva ſunt, *hoc eſt corpus meum*; corpus autem non dicit animam directe.

Objic. 3. Forma, quæ dat eſſe per ſe corpori, eſt terminus formalis converſionis; ſed id facit ſola anima; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. quæ dat eſſe per ſe in ratione corporis, con. in ratione hominis, neg. ant. Nam verba non exprimunt per ſe corpus animatum, & ultimo completum.

Inſt. Corpus, in quod convertitur panis, eſt quid completum ſubſtantialiter, ſicut panis, qui deſinit; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. completum ſubſtantialiter in ratione corporis, & non ultimate, con. in ratione hominis, & complete, neg. ant. & conſ. quod patet ex dictis. Loquimur autem de corpore non mathematico, & quantitativo, quod dicit trinam dimenſionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis; ſed de corpore phyſico ex ſubjecto, ſeu ſubſtantia materiali, & forma mixti.

Aliæ objectiones impugnant ſententiam noſtram de forma ſubſtantiali corporeitatis, quam agnoſcimus in corporibus viventium.

Objic. 4. Terminus formalis *ad quem* converſionis eſt quid novum, quod fit, vel acquiritur; ſed per nos nihil novum acquiritur per converſionem Euchariſticam, niſi præſentia Chriſti, vel aliquis modus, v. g. unio, &c. ergo ſola hæc præſentia eſt terminus formalis ejus. Prob. maj. Terminus formalis actionis eſt id, quod per actionem præciſe, & formaliter per illam ponitur; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. actionis productivæ, con. adductivæ, neg. ant. Converſio autem iſta eſt actio adductiva, per quam corpus Chriſti adducitur, & fit præſens ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ per illam deſtruuntur quoad ſubſtantiam.

Inſt. Terminus formalis *ad quem* omnis actionis circa quælibet entia eſt id, per quod ex vi illius res aliter ſe habet; ſed per converſionem Corpus Chriſti

ſti non aliter ſe habet, niſi quoad præſentiam; ergo ſola præſentia eſt terminus formalis actionis converſivæ.

Reſp. diſt. maj. terminus formalis *ut quo*, con. terminus formalis *qui*, & directus, neg. maj. & conſ. Nam concedo, quod per novam præſentiam corpus, & Sanguis Christi per actionem converſivam ſuccedit ſubſtantiæ panis, & vini, & illud corpus eſt terminus *qui*; illa vero formalis *ut quo*, cujus productione per actionem adductivam verum eſt hoc eſſe corpus Christi, quod antea erat panis.

QUÆSTIO V.

De ipſa formali præſentia Chriſti. Quid illa ſit, & in quo conſiſtat.

POſtquam diximus, actionem tranſubſtantiativam non eſſe productivam ullius novæ ſubſtantiæ, ſed ſolius præſentiæ Chriſti, deſtructa ſubſtantia panis, & vini, cui ſuccedit: reſtat videndum, quid illa importet, & in quo conſiſtat: Nam plures volunt, eam nihil eſſe diſtinctum ab ipſo corpore, & ſanguine, & eorum indiſtantia, ſeu negatione pura diſtantiæ. Alii volunt, illam conſiſtere in modo aliquo poſitivo abſolute, quem dicunt ſubſtantialem: alii in entitate relativa extrinſecus adveniente, quæ reducibilis eſt ad prædicamentum *ubi*. Quæritur etiam, utrum per unam, & eandem præſentiam Corpus, & Sanguis iſte pretioſus ſint in loco per eandem præſentiam, & ubicationem ſpecierum, an per diverſam, & denique an præter illam præſentiam ad ſpecies panis, & vini Corpus, & Sanguis unione aliqua reali, & diſtincta illis uniantur.

CONCLUSIO I.

P*Ræſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti, quam cauſant actio converſiva, eſt entitas realis, & poſitiva, & relativa reducibilis ad prædicamentum ubi*. Dico, *Reducibilis*. Eſt Scotiſtarum, & aliorum.

Prob. I.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Si arguas, ille reſpectus extrinſecus adveniens, qui dicitur præſentia ſimplex, ad quod genus pertinet, poteſt dici, quod magis proprie reducitur ad genus ubi inter omnia genera reſpectuum extrinſecus advenientium; quia in pluribus cum illo reſpectu convenit*, &c.

Prob.2.1.p. Nam per hanc præſentiam corpus Chriſti tranſit realiter de contradictorio negativo in contradictorium poſitivum, & de non præſente fit præſens ſub ſpeciebus; ſed hic tranſitus fieri non poteſt ſine adventu alicujus novæ formæ poſitivæ; ergo &c.

Prob.2.p. Novum denominans poſitive debet eſſe poſitivum; ſed hæc præſentia nova denominat poſitive Corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus; ergo eſt quid poſitivum. Prob. min. Nam eſſe præſens hic opponitur contradictorie negationi talis præſentiæ; ergo illa eſt denominatio poſitiva, ſicut iſta eſt negativa. Nam negatio non opponitur contradictorie negationi; & contradictio eſt inter affirmationem, & negationem, ſicut inter poſitivum, & negativum ejuſdem rei.

Prob. 3.p. de relatione: quià nihil poſitivum abſolutum eſt in Chriſto in Euchariſtia, quod ipſe non habeat in cœlo; ergo non eſt quid abſolutum.

Prob.2. Illud eſt pura relatio, cujus totum eſſe eſt ad aliud ſe habere; ſed tale eſt totum eſſe, & munus hujus præſentiæ; nec enim poteſt concipi ſine reſpectu ad ſpecies panis, & vini, ſub quibus ponitur loco ſubſtantiæ illorum; ergo &c.

Confir. quia non poteſt dici, in quo conſiſtat, aut quid ſit illud abſolutum; & alia entia non ſunt præſentia præciſe, & formaliter, niſi per tales relationes; ergo &c.

Prob.4.p. de reductibilitate hujus præſentiæ ad prædicamentum *ubi*. Nam hæc præſentia eſt quoddam ens reale; ergo pertinet ad aliquod prædicamentum; ſed non poteſt aliud aſſignari, ad quod magis pertineat; ergo &c. Prob. min. non pertinet niſi ad unum ex relativis; ſed ex iſtis non poteſt aſſignari aliud, quã *ubi*; ergo &c. Min. patet percurrendo. Nam 1. non eſt relatio intrinſecus adveniens; quia non reſultat inter

[1] *d.*10.*q.*1.*n.*1.*&* *k.n.*11.12.

inter ſpecies, & Chriſtum exiſtentem in rerum natura, ſicut relatio ſimilitudinis inter duo alba; ergo non ſpectat ad relationem intrinſecus advenientem, ſed ad unam ex relationibus extrinſecus advenientibus, quæ non reſultant ex natura, & exiſtentia extremorum, ſed requirunt aliquam conditionem ex parte alicujus agentis, v. g. approximationem. 2. non eſt *actio*; quia non habet terminum per illam poſitum. 3. non *paſſio*, quia in ipſa formaliter non eſt receptio, vel mutatio, ſed potius aliquid receptum, per quod Corpus Chriſti mutatur, & fit præſens. 4. non eſt *ſitus*; quia Corpus Chriſti in Euchariſtia caret omni reſpectu ad partem loci; ſed eſt ibi quaſi indiviſibiliter, & definitive, ut videbimus. 5. nec *quando*; quia non reſpicit tempus, nec differentias ejus. 6. nec *habitus*; quia non reſpicit ſpecies, ut habens eas quaſi veſtes, &c. ergo nullum poteſt aſſignari, ad quod hæc præſentia magis pertineat, quam ad *ubi*.

Confir. Nam *ubi* conſiſtit in relatione totius locati ad locum, ſeu contenti ad continens, & viciſſim; & aliquo bono ſenſu dici poteſt, Corpus Chriſti contineri ſub ſpeciebus panis, & vere, ac realiter eſſe ibi, cum ante conſecrationem non eſſet; ergo & quod ſit ibi per aliqualem ubicationem.

Dico *aliqualem*; nam inquit Scotus: *Hæc præſentia Chriſti in Euchariſtia in pluribus cum illo reſpectu* (locati ad locum) *convenit*; *& ſi forte non ſit proprie in illo genere, non tamen ab illis ambitur, ut a ſuperficie corporis, quæ dicitur locus*. Eſt igitur Chriſtus in ſpeciebus Euchariſticis eo modo, quo ſubſtantiæ ſpirituales ſunt in loco, ſc. totus in totis, & totus in qualibet parte illarum.

In multis autem differt hæc præſentia ab *ubicatione*, ut notat Scotus, & videbimus infra.

Objic. 1. ex Patribus. Chriſtus eſt in Euchariſtia per converſionem; ergo non per præſentiam, vel ullam entitatem poſitivam diſtinctam.

Reſp. diſt. ant. per converſionem effective, con. formaliter, neg. ant. & conſ. Converſio eſt actio, vel paſſio, per quam cauſatur illa præſentia.

Objic. 2. Non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla eſt neceſſitas aſſerendi ad hoc entitatem ullam diſtinctam ab ipſa ſubſtantia corporis, &

San-

Sanguinis, ut indiſtantia a ſpeciebus; ergo præter indiſtantiam iſtam præſentia nihil aliud poſitivum importat. Prob. min. Præſentia pilæ in ſuperficie terræ nihil aliud importat, niſi ejus indiſtantiam ab illa; & ſic de aliis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam illa indiſtantia fundat relationem præſentiæ, & ſtatim illa poſita reſultat neceſſario.

Inſt. Prius eſt, pilam eſſe indiſtantem, & tangere ſuperficiem illam, quam in ea ullum poſitivum cauſare; ergo prius eſt, Corpus Chriſti eſſe præſens ſpeciebus, quam ibi cauſare ullum poſitivum; ergo non eſt ibi præſens per illud, nec per relationem. Hoc argumentum fit contra diſtinctionem relationum a fundamento, & termino.

Reſp. diſt. ant. eſſe prius natura, & fundamentaliter, conc. formaliter, neg. ant. & conſ. Nam relatio præſentiæ formaliter, & actualiter præſupponit exiſtentiam rei in loco prioritate naturæ; ſicut prius eſt, Petrum eſſe genitum a Paulo, quam in eo reſultet relatio filiationis; ſed non ſequitur, filiationem nihil eſſe diſtinctum ab ipſo. Unde hoc argumentum facit pro omnibus relationibus, quas voluit aliqui diſtinctas eſſe ab extremis.

Inſt. 2. Poſſet Deus conſervare corpus ſuum ſub ſpeciebus ſine ulla entitate poſitiva præſentiæ, ſi eſſet quid diſtinctum realiter; ergo vel illud non eſt neceſſarium, vel non eſt quid diſtinctum ab entitate Corporis Chriſti.

Reſp. neg. ant. Nam implicat, Corpus Chriſti poni ſub ſpeciebus, quin ſit illis præſens; ſicut implicat, quod Deus ponat me in hac cella, & quod ibi non ſim præſens, & quod non reſultet relatio præſentiæ meæ ad illam.

Inſt. 3. Illa vera entitas nova, & poſitiva præſentiæ eſſet etiam præſens; & hoc vel per ſeipſam immediate, vel per aliam pariter ſc. diſtinctam per ſe immediate; ergo idem eſt de ipſo corpore: ſi per aliam; ergo & hæc alia per 3. & ſic in infinitum.

Reſp. ut alias de omni relatione, diſt. ant. per ſeipſam *ut quo*, conc. per ſeipſam *ut quod*, neg. ant. & conſ. Nam in ſimilibus ſiſtitur in primo *quo*, ut ſæpius dictum eſt in ſimilibus; ratio eſſendi, & *qua*, nunquam

eva-

evadit ratio *qua* in eodem genere. Non negamus tamen, quin una relatio poſſet fundare aliam.

Objic. cont. 3. Pura relatio non poteſt exiſtere ſine ſuo termino; ſed hæc præſentia Corporis Chriſti poteſt exiſtere ſine termino, ſc. ſine ſpeciebus; ergo non eſt pura relatio, ſed quid abſolutum. Prob. min. Si in pixide ſpecies panis deſtruerentur a Deo, ibidem poſſet conſervare corpus Chriſti; ſed tamen duraret illa præſentia; ergo &c.

Reſp. diſt. min. duraret præſentia corporis ad locum, ſeu ad pixidem, con. ad ſpecies, neg. min. Nam ceſſaret quidem eſſe ſub ſpeciebus, ſed non ceſſaret eſſe in pixide.

Objic. 2. Si præſentia nihil eſſet niſi relatio, eſſet purum accidens; ergo converſio non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis, quia terminaretur ad purum accidens.

Reſp. neg. conſ. qua, ut jam dictum eſt, illud accidens non eſt terminus *qui* converſionis, ſed corpus ipſum, & Sanguis Chriſti, de cujus adductione ſub ſpecies reſultat illa relatio novæ præſentiæ.

Objic. cont. ult. p. Summum genus *ubi* eſt circumſcriptivum; ſed Chriſti præſentia in Euchariſtia non eſt circumſcriptiva, ut dicetur; ergo non ſpectat ad *ubi*. Prob. maj. ex definitione ejus; quia illud eſt id, ratione cujus res eſt in loco; ſed Chriſtus non eſt præſens ſpeciebus, ut in loco; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam datur etiam *ubi* definitive, quod multum differt a circumſcriptivo. Et diſt. min. prob. ut in loco proprie, & circumſcriptive, con. definitive aliquo modo, neg. 2. min. Nam, ut dicemus, Chriſtus eſt in ſpeciebus definitive, ſc. ſine commenſuratione, & diviſibilitate, ſed indiviſibiliter eo modo, quo res ſpirituales ſunt in loco, licet non ita definiatur in uno, ut non ſit etiam alibi.

CONCLUSIO II.

N*On datur alia unio phyſica inter Corpus, & Sanguinem Chriſti præter illam realem præſentiam*. Eſt etiam Scotiſtarum contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto. Nam [1] *ſpecies non ſunt ratio for-*

[1] *d.10.q.3.A.n.2.*

formalis Corpori eſſendi hic ; quia non ſunt formaliter in Corpore Chriſti , nec per eas aliquid formaliter ineſt Corpori Chriſti . Item ſpecies non eſt forma ejus , nec ipſum eſt forma ſpeciei . [1] *Et denique ſpecies non inſunt Corpori Chriſti , ut in ſubjecto , neque ipſum ſic ineſt ſpeciebus ;* ergo nulla eſt ibi unio phyſica , quæ faciat ullam compoſitionem , qualis eſt inter illa , quæ ſe habent ut potentia , & actus .

Prob. 2. Omnis unio phyſica vel eſt inter partes eſſentiales , ut materia , & forma ſubſtantialis : vel accidentales , ut ſubjectum , & accidens : vel inter partes integrales , ut inter manus , & brachia : ſed nullum horum dici poteſt de Chriſti corpore , & ſpeciebus panis : ergo &c. Maj patet : nam nulla alia compoſitio phyſica ſolet aſſignari . Prob. min. Nam ſpecies panis non ſunt materia , & forma , nec pars corporis ; aut viciſſim Corpus non eſt nec materia , nec forma ſpecierum , nec pars earum : nec faciunt inter ſe ullam compoſitionem phyſicam magis , quam locatum , & locus , ſeu ſuperficies , quæ illud continet : ergo &c.

Prob. 3. ex Conciliis , & Patribus , qui non aliter explicant exiſtentiam Chriſti in Euchariſtia , quam per realem præſentiam , aut continentiam ; ſed neutra importat unionem ullam phyſicam ; ergo &c.

Prob. denique : quia nulla eſt neceſſitas fingendi aliam unionem , quam intimam præſentiam ſubſtantiæ Corporis , & Sanguinis , quæ penetrat omnes partes quantitatis , & aliorum accidentium panis , & vini : ergo &c. Ant. patebit ſolutione objectionum .

Objic. 1. Sine aliqua unione phyſica inter Corpus , & ſpecies non poſſunt bene ſalvari omnia , quæ dicuntur de hoc Sacramento : ergo &c. Prob. ant. non ſalvatur quomodo Corpus Chriſti ſit incompoſſibile cum ſubſtantia panis , & cum ejus unione cum ſuis accidentibus : ergo &c. Prob. ant. Nam hæc incompoſſibilitas venire non poteſt niſi ab unione Corporis Chriſti cum illis accidentibus , quatenus uniri non poſſunt duobus ſubjectis totalibus , & ſic unio eorum cum corpore deſtruit unionem eorum cum ſubſtantia panis ; ergo &c.

Reſp.

[1] *q. 12. q. 1. & 2.*

Reſp. neg. utrumque ant. quia non alia eſt iſta incompoſſibilitas, quam quia Deus non vult conſervare ſubſtantiam illam ſub ſuis accidentibus ad præſentiam Corporis Chriſti ſub illis; alioquin poſſent ſtare ſimul, & Corpus ibi eſſe poſſet penetrative cum pane, ſi Deus vellet.

Objic. 4. Sine unione iſta non poſſet concipi, quomodo Corpus Chriſti moveatur cum ſpeciebus: ad hoc enim non ſufficit ſimplex præſentia ejus ad illas; ſicut locus, ſeu ſuperficies ambiens corpus moveri poteſt ſine iſto, quamvis ſit præſens loco: ergo debet corpus eſſe alligatum ſpeciebus aliquo vinculo ſtrictiori, quam per ſimplicem præſentiam.

Reſp. neg. ant. cujus falſitas patet multis experientiis. Muſca movetur cum bove, vel equo, ſicut & eques illis inſidens: homo cum nave: vinum cum dolio, aut vaſe &c. licet inter iſta non ſit unio compoſitionis, nec alia, quam unio ſimplicis præſentiæ. Scotus autem dicit, quod Deus inſtituens hoc Sacramentum decrevit facere Corpus Chriſti præſens, ubicumque erunt præſentes ſpecies, & cum illis moveri.

Inſt. Saltem ſine unione aliqua Corpus Chriſti non demonſtraretur ſufficienter per ſpecies, nec vere dici poſſet, *hoc eſt corpus meum*: ergo &c. Prob. ant. Si adeſſet Angelus per puram præſentiam in ſpeciebus, non poſſet dici, *hoc eſt Angelus*: ergo &c.

Reſp. neg. ant. utrumque. Nam ſi Angelus eſſet ſub ſpeciebus eadem præſentia, qua Chriſtus, tam vere demonſtraretur per verba, *hoc eſt angelus*, quia ſignificaretur vere id, quod eſt ſub ſpeciebus illis, eſt Angelus: ad hoc enim nihil facit unio, ſicut non facit, ut oſtenſo corpore dicatur vere, *hoc eſt anima*.

Objic. 5. Species reddunt Corpus Chriſti ſenſibile, & viſibile, movibile, manducabile, diviſibile &c. ſed hæc non facerent ſine unione phyſica: ergo &c. Prob. min. quia ſola indiſtantia, & præſentia localis ad hæc verificanda non ſufficit: ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam ſuppoſita præſentia illa voluntaria Chriſti ad ſpecies panis ex inſtitutione divina, omnia illa prædicata panis, & vini, & accidentium ejus ſibi ſumpſit, non quidem ut in omni ſenſu de corpore illius directe prædicetur, ſed vel dire-

ctè, ut manducare; vel indirectè, & ratione ſpecierum, & per attributionem, ut frangi, dividi, &c. *Non corporis ſignati, ſed ſigni tantùm fit fractura, integro manente ſignato.*

Objic. 4. Sine unione phyſica ſalvari non poſſunt loquutiones Conciliorum, & Patrum; ergo talis eſt agnoſcenda. Prob. ant. Conc. Trid. [1] dicit, eam exiſtendi rationem in hoc Sacramento licèt verbis exprimere vix poſſimus, tamen eſſe poſſibilem: facile autem verbis id exprimeremus per ſimplicem præſentiam, vel aſſiſtentiam. In cap. *firmiter* dicitur, ſpecies continere corpus, & ſanguinem inſeparabiliter; ergo agnoſcitur ibi unio ſtrictiſſima, & inſeparabilis. S. Damaſcenus dicit, *Deum conjunxiſſe divinitatem ſuam pani, & vino, & feciſſe ea corpus & ſanguinem ſuum*; ſed hoc non verificatur ſine unione; ergo, &c. Denique corpus, & ſanguis cum ſpeciebus faciunt unum Sacramentum; ergo inter ſe uniuntur aliqua compoſitione.

Reſp. neg. conſ. quia ad hæc omnia ſufficit intima, & voluntaria præſentia ſic volita à Deo ex inſtitutione Sacramenti, ut nolit hæc ſeparari, niſi per deſtructionem ſigni, ſeu ſpecierum. 1. Concil. Trident. id potiùs confirmat: quia non loquitur de unione, ſed de continentia, vel de exiſtendi ratione. 2. inſeparabilitas non venit ab unione: nam hæc non impedit ſeparabilitatem, ſed potiùs eam cauſat, aut ſupponit; ſed venit ex decreto Dei. 3. Damaſcenus non aliam conjunctionem aſſerit, quàm intimam præſentiam, qua verificetur, *hoc eſt corpus meum*. 4. Idem eſt de Sacramenti conſtitutione ex ſpeciebus, & corpore ſub illis contento: nam in aliis Sacramentis inter ſignum ſenſibile, & ſignificatum non intercedit unio compoſitionis phyſicæ.

Objic. 5. Corpus Chriſti habet aliquam efficientiam circa ſpecies; ergo illis unitur. Prob. ant. Nam Deus per illud conſervat ſpecies ſine ſubjecto, cujus vices ſupplet, non ut ſubjectum inhæſionis, ſed ſuſtentationis effectivæ; ſed neutrum fieri poteſt ſine unione corporis ad ſpecies; ergo, &c. Maj. patet: nam ſubſtantia panis dupliciter ſe habet ad ſua accidentia. 1. ſuſtentat ea ſubjectivè, ſeu materialiter per illorum inhæ-

[1] *ſeſſ. 13. c. 2.*

inhæſionem, 2. conſervat eadem per aliquem influxum conſervativum; ergo, &c.

Reſp. 1. neg. ant. quoad utramque part. Nam conſervatio accidentium ſine ſubjecto habet vim creationis, ad quam nulla creatura poteſt influere.

Reſp. 2. neg. maj. Nam ad efficientiam illam utramque, ſi adeſſet, adhuc non requireretur illa unio.

CONCLUSIO III.

Corpus Chriſti eſt in eodem loco cum ſpeciebus, ſed non eodem modo: nam ſpecies ſunt in loco circumſcriptivè, Chriſtus autem definitivè, ideſt indiviſibiliter, & totus in toto ſpatio, & totus in qualibet parte, ſicut & in ipſis ſpeciebus.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *poſt conſecrationem ubicumque hoſtia, ibi verè eſt corpus Chriſti; ergo propter præſentiam uniformem corporis ad hoſtiam,* (ad ſpecies) *qua hoſtia habet aliam, & aliam præſentiam localem primò ad aliud, & aliud continens,* (locum) *ſequitur, quòd corpus Chriſti habeat aliam, & aliam præſentiam, aliud, & aliud continens,* &c. *Et de potentia abſoluta poſſet Deus facere corpus iſtud præſens aeri circumſtanti hoſtiam, & non eſſe præſens ſpeciei; tamen de potentia ordinaria eſt præſens ei non tantùm ſpeciei, ſed etiam loco, ſeu aeri ambienti ſpeciem; & ſic utraque ſpecies, & corpus ſunt in eodem loco.* Et in Reportatis: [2] *Corpus Chriſti non variat ſuam præſentialitatem per comparationem ad ſpecies; quia manentibus ſpeciebus panis, ſemper corpus eſt eis præſens; ſed variatur ſua præſentia per comparationem ad continens ſpecies, reſpectu cujus ſpecies variantur.*

Prob. 2. Nam corpus Chriſti verè præſens eſt eidem loco, in quo ſunt ſpecies, & ab eodem aere ambitur, licèt, ut dicebam, non eodem modo; quippe ſpecies ibi ſunt circumſcriptivè, non autem corpus; ſed ibi eſt ſicut ſubſtantiæ ſpirituales; ergo verè eſt cum eis in loco.

Prob. 2. Nam aeris ſuperficies, quæ ambit ſpecies reſpectu corporis, verè eſt ſuperficies corporis ambiētis, licèt diverſo modo; ergo habet rationem loci, ſicut & ipſum habet ſub illo reſpectu rationem locati 1.

nec

[1] *d. 10. q. 6. C. n. 3.* [2] *ibid. n. 3.*

nec id meretur longiorem diſquiſitionem.

Prob. 3. Nam ubicatio *circumſcriptiva* illa eſt, per quam res ſic commenſuratur loco, ut ſingulæ partes locati reſpondeant ſingulis partibus loci: *definitiva* autem eſt ea, qua locatum ita eſt in uno loco, ut non ſit alibi, ſed in eo quaſi definitur, & concluditur: & præterea ibi eſt ſine commenſuratione ad locum; ſed totum eſt in toto ſpatio, & totum ſimul in qualibet parte loci; ſed ſpecies Eucharíſticæ ſunt in loco commenſurativè, & ita in uno loco, ut non ſint alibi: Chriſtus verò non eſt in ſpeciebus, nec per conſequens in loco ſpecierum commenſurativè, nec ita in illis, aut illarum loco, quin ſit etiam in cœlo, & in aliis ſpeciebus; ergo ſpecies Euchariſticæ ſunt in loco circumſcriptivè, & Chriſtus tam in illis, quàm in locis definitivè quoad modum eſſendi, non autem quoad limitationem unius loci.

Prob. 2. p. ex Script. Nam Chriſtus poſt conſecrationem dedit diſcipulis inter ſe dividendum: *Accipite, & dividite inter vos.* Et fortè panem conſecraverat, antequam illum diſtribueret; nec enim legitur, quòd ſingulis dixerit, *Accipite, hoc eſt corpus meum*. Et ſaltem omnes ſimul particulas conſecravit; ſed ſinguli totum ſanguinem, & totum corpus ſumpſerunt; ergo indiviſibiliter ponitur ſub ſpeciebus.

Prob. 3. ex Conciliis, & Decretis Eccleſiæ. Nam in Conc. Florent. dicitur: *Sub qualibet parte hoſtiæ conſecratæ, & vini conſecrati, ſeparatione facta, totus eſt Chriſtus*. Idem definit Trid. [1] & in Decretis [2] ex S. Hilario: *Singuli accipiunt Chriſtum D. & in ſingulis portionibus totus eſt*, &c. Item, *Ubi eſt pars corporis, eſt & totum: eadem eſt ratio corporis Domini, quæ in manna ejus figura, de quo dicitur, quòd qui plus collegerat, non habebat amplius*, &c. Idem docent etiam alii Patres. *Per partes manducatur, & manet integer totus*, ait Auguſt. [3] &c. Imò & ante diviſionem ſpecierum in eis eſt indiviſibiliter, ſc. *totus in ſingulis partibus.... quoniam in quaſcumque partes dividantur ſpecies, in ſingulis eſt Chriſtus totus*. Et certè ſicut ſingulæ partes ante conſecrationem erant panis, quia eſt totum homogeneum (& idem eſt de vino) ita in ſingulis par-

[1] *ſeſſ.13.c.3.* [2] *d.2.de conſec.c.77.& 78.*
[3] *ibid.cap.75.*

partibus ſpecierum eſt totus Chriſtus.

Objic. 1. Inexplicabilis eſt ille modus præſentiæ; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. 1. neg. ant. Nam explicatur per modum, quo anima eſt in corpore, & Angelus in loco, quatenùs corpus Chriſti eſt totum in tota hoſtia, & totum in qualibet parte ejuſdem. Et ita eſt de ſubſtantiis ſpiritualibus ſive in corpore, ſive in loco.

Inſt. Ergo eſſet infinitus in minima hoſtia: nam quęlibet pars eſt diviſibilis in plures, & plures in infinitum.

Reſp. neg. ſubſ. quia illæ partes non ſunt infinitæ actu, & categorematicè, ſicut non ſunt actu ſenſibiles; ita nec Chriſti corpus in eis exiſtens erit infinitum, quia non eſt niſi in illis, prout ſunt actu exiſtentes ſenſibiliter.

Objic. 2. Non eſt in ſpeciebus niſi juxta intentionem conſecrantis; ſed iſte non habet intentionem de ſingulis, ac minimis partibus hoſtiæ; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. juxta intentionem explicitam, & formalem, vel implicitam, & virtualem, conc. juxta explicitam, & formalem tantùm, neg. maj. & conſ. Nam intentio Sacerdotis eſt de conſecranda tota hoſtia pręſente, & ſenſibili, quæ conſtat ſuis partibus.

Quæres, *An corpus Chriſti ſit etiam totum in partibus indiviſibilibus, ſeu punctis unientibus*.

Reſp. breviter, rem eſſe majoris difficultatis, quàm utilitatis. Scotus [1] videtur problematicus: dicit enim, quòd *corpus Chriſti non eſt præſens ſpeciei alicui, ad minus niſi minimo ſenſibili; quia nulli indiviſibili eſt præſens*; ſed illa puncta ſunt indiviſibilia, & inſenſibilia; ergo non cenſet, corpus Chriſti eſſe in eis. At alibi [2] comparat præſentiam ejus ſub ſpeciebus præſentiæ Angeli in loco, & velut dubitanter dicit, quòd *nec illud corpus eſt magis præſens hic alicui corpori in ratione paſſi, quam ſi Angelus eſſet hic*: an autem Angelus poſſet eſſe in puncto, etiam problematicus eſt, ut vidimus: *Si tamen poſſet eſſe in puncto, vel non, videtur ratio neceſſaria nec ad unam partem, nec ad aliam*.

Ego verò, quia illa puncta continuativa fortè non ſunt quid abſolutum, dicerem etiam, nec Angelum in

[1] *d.10.q.9.tr.3.* [2] *ibid.q.5.D.5.*

in loco, nec corpus Chriſti in ſpeciebus non eſſe propriè in illis punctis; ibi tamen eſt, ſicut erat ibi ſubſtantia panis cum proportione. De quo viderint Philoſophi agentes de continuo.

QUÆSTIO VI.

An totus Chriſtus ponatur ſub ſpeciebus ſecundum totam humanitatem, & divinitatem.

CHriſtus importat hominem Deum, ſeu ſingularem, & perfectam humanitatem conſtantem corpore, & anima rationali cum ſubſiſtentia Verbi, in qua ſubſiſtit illa humanitas cum ipſa divinitate, cui ſubſiſtentia Verbi identificatur.

Rurſus dicit ſubſtantialiter eaſdem partes ſubſtantiales, tum eſſentiales, ut materiam, & formam corporis; tum integrales, ut ſunt membra, caput, brachia, crura, &c. tum accidentales, ut quantitas. De his omnibus præſens quæſtio procedere poteſt.

Porrò de ſubſtantia carnis, & conceptu, ſub quo ibi ponitur corpus, ſicut & de ſanguine, prout ibi ponuntur per tranſubſtantiationem, nulla eſt difficultas. Ideo reſtat dicendum de anima ejus, & de divinitate, an, & quomodo ibi ponantur; ſc. an directè, & ex vi verborum, an concomitanter, & indirectè; & quoad corpus, & ſanguinem quæritur, an ibi ponantur cum ſua quantitate. Pro quo

Suppono ex Philoſophia, quantitatem explicari per extenſionem partium ejus; ſed illa duplex eſt, *intrinſeca*, per quam partes ſubſtantiæ materiales ordinantur inter ſe, ita ut una ſit extra aliam, v. g. caput extra pedes, & ſingulæ partes ſint in ſua figura, & ordine: *Extrinſeca*, per quam ponuntur in ordine ad locum, ita ut una reſpondeat uni parti loci, ſeu corporis ambientis, & alia alteri; & dicitur *ſitus*, qui, ut diximus ibidem, eſt relatio extrinſecus adveniens ex diſpoſitione partium totius corporis ad partes totius loci; *intrinſeca* eſt de eſſentia quantitatis, non autem *extrinſeca*; ſine illa non poteſt haberi quantitas, bene verò ſine iſta.

CONCLUSIO I.

Totus Chriſtus exiſtit ſub utraq; ſpecie; ſed ſub ſpecie panis ponitur ſanguis, & anima, & divinitas, & ſubſiſtentia per concomitantiam; & viciſſim ſub ſpeciebus vini ponitur ſubſtantia corporis, & anima, & divinitas cum eadem ſubſiſtentia etiam concomitanter. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto ſuperiùs cit. [1] ubi docet totum corpus, non ut conſtans materia, & anima intellectiva, ſed ex materia, & forma ſubſtantiali corporeitatis eſſe terminum totalem converſionis Euchariſticæ. Item ſuperiùs; nam inquit, *Eſt dubium de corpore, ut eſt in Euchariſtia, quæ ſunt illa, quæ continet tanquam partes. Dico, quòd non continet animam, nec accidentia.* & dat rationem 1. *quia id poſſibile eſt.* 2. *congruum; quia ſpecies repræſentant alimentum,* ſeu corpus ſub ratione cibi. 3. *hoc etiam factum eſt; quia ſi in triduo* (mortis) *Euchariſtia fuiſſet conſecrata, fuiſſet ibi vera res Euchariſtiæ, & tamen non fuiſſet ibi anima.* Idem eſt de divinitate, & hypoſtaſi divina; ergo ex Scoto anima Chriſti non exiſtit in Euchariſtia cum corpore vi verborum, &c.

Prob. 2. ex Concilio Trid. [2] docente, quòd *ſemper hæc fides fuit in Eccleſia, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumque ejus ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie una cum ipſius anima, & divinitate exiſtere, corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur,* &c. Hìc habes totam concluſionem; quod iterum definit Can. 1.

Prob. 3. ex Catechiſmo Romano; [3] quia verba Sacramentalia efficiunt quidquid ſignificant: *Divinarum rerum Scriptores dicunt, id eſſe in ſacramento vi ſacramenti, quod verborum forma exprimitur;* ſed ver-

[1] *d.* 11. *q.* 3. P. & *q.* 25. & KK. 57.
[2] *ſeſſ.* 13. *cap.* 3. & *can.* 1.
[3] *par.* 2. *cap.* 4. *num.* 32.

verborum forma ſuper panem exprimitur ſolum corpus, & ſuper vinum ſolus ſanguis; ergo hæc per ſe, & directè, & vi formæ ponuntur, & exiſtunt ſub ſpeciebus Euchariſticis, cætera vero per concomitantiam.

Confirm. de anima ex dictis ſuprà, & ex Scoto cit. Nam ſi in triduo mortis per eadem verba fuiſſet conſecratus panis, ibi fuiſſet Corpus Chriſti ſine anima, & ſine ſanguine, & ſanguis ſub ſpeciebus vini ſine corpore; quia ſic ſeparata tunc exiſtebant corpus Chriſti, & anima, & ſanguis; ergo, &c. Prob. ant. Nam Chriſtus non poteſt eſſe in Sacramento quoad ſubſtantialia, & abſoluta aliter, quàm in ſeipſo, & in ſuo eſſe naturali. Ideò quia nunc in ſe exiſtit cum anima, & divinitate, & ſanguine, ac partibus omnibus ſuis ſubſtantialibus, ita & talis ponitur, & exiſtit in Sacramento, ſub quacumque ſpecie ſit: nam ſanguis in cœlo non eſt ſine corpore, nec corpus ſine anima, & divinitate, &c. ergo nec ſine illis eſt in Euchariſtia.

Objic. 1. Si ſanguis eſſet ſub ſpeciebus panis cum corpore, bis poneretur ibi, & fruſtra conſecraretur vinum; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo, &c. Prob. ant. Nam poneretur 1. ſub ſpeciebus panis cum corpore; ergo iterum, & fruſtra poneretur ſub ſpeciebus vini.

Reſp. ex Scoto [1] diſt. maj. bis diverſo modo, conc. maj. & neg. min. bis eodem modo, neg. maj. & conſ. Nam ſub ſpeciebus panis eſſet ſanguis per concomitantiam, & indirectè, & ſub ſpeciebus vini directè, & ex vi verborum. Idem eſt de corpore, quod ponitur ſub ſpeciebus vini. De anima autem, quæ utrobique ponitur concomitanter, ſicut & divinitas, nullum eſt inconveniens.

Objic. 2. Unio hypoſtatica ponitur utrobique per ſe, & directè vi verborum; ergo & ſubſiſtentia, & divinitas, non autem per concomitantiam tantum. Prob. ant. 1. ex verbis Concilii Epheſini dicentis: *Nos in hoc Sacramento percipimus carnem, non communem .... ſed verè vivificatricem, & ipſius Verbi propriam factam:* ergo perſona Verbi ſignificatur directè per conſecrationis verba.

V 4 Reſp.

[1] *d.* 10. *q.* 4. *n.* 13.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nec enim caro Chriſti deſinit eſſe *vivificatrix*, *& propria Verbi*, licèt Verbum ipſum, vel unio hypoſtatica ibi non ponantur directè vi verborum; alioquin ipſa anima poneretur ibidem directè, & per ſe; quia eſt prior unione hypoſtatica, quia fundatur in tota humani tate: ſuppoſitatio enim eſt ultimum complementum naturæ ſingularis, ut ſuppono in Philoſophia.

Inſt. In forma conſecrationis ponitur, *corpus meum*, & *ſanguis meus*; ſed vox *meum*, & *meus* ſignificat directè perſonam, cui corpus, & ſanguis uniuntur; ergo &c. Prob. min. Nam ſignificat perſonam loquentem: ſed hæc perſona eſt Verbum in duabus naturis; ergo, &c.

Reſp. diſt. utramque min. ſignificat indirectè, & concomitanter, conc. directè, & per ſe, ac immediatè, neg. min. Nam ſignificatur illud eſſe corpus, quod eſt Chriſti, in cujus perſona loquitur Sacerdos: alioqui etiam divinitas ibidem, & per idem ſignificaretur directè vi verborum, non autem concomitanter, quod eſt contra mentem Concil. Trid. alioqui quoties Chriſtus dicit, *tempus meum*, aut quid ſimile, ſignificaretur ut unio hypoſtatica cum ſubjecto.

Objic. 3. Si Chriſtus dixiſſet, *hoc eſt corpus meum mortale*, *aut paſſibile*, mortalitas, & paſſibilitas ibi ſignificarentur vi verborum: ergo quia dixit, *corpus meum*, ſignificatur vi verborum, & directè perſona Verbi, & unio hypoſtatica ejus cum corpore.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt quia mortalitas, aut paſſibilitas tunc ſignificatur, ut forma intrinſeca corpori: *meitas* verò, ſeu pertinentia, ſeu poſſeſſio ad Chriſtum loquentem, ut quid extrinſecum corpori: ideoque non eodem modo per ly *meum* importatur perſonalitas.

Quæres, *an etiam Pater*, *& Spiritus Sanctus ibidem ſint ſpecialiter præſentes*. Dico *ſpecialiter*; nam per immenſitatem eſſentiæ divinæ ſunt ubique: ideò quæritur de ſpeciali aliqua præſentia ſacramentali, ſecundum quam non ſint alibi.

Reſp. alias perſonas Divinas dici poſſe etiam præſentes, & recipi in hoc Sacramento. Prob. ex D. Thoma: [1] *Deus Pater in Euchariſtia totum, quod ipſe eſt, & ha-*

(1) *tract. de Euchar.*

& habet cum Spiritu S. in ſummo dedit, &c. Et Lanſpergius: *Cum* (Chriſtus) *non habeat corpus exangue, nec inanimatum, neceſſe eſt etiam concomitanter in eodem corpore eſſe animam, ſanguinem, gratias, & virtutes, quibus Verbum cum ſit unicum, a quo reliquæ duæ Perſonæ ſunt indiviſæ, ſequitur, totam Trinitatem huic Sacramento ineſſe*, &c.

Quæres 2. *An etiam dici poſſet tota Trinitas hic eſſe cibum, & manducari.*

Reſp. ſalvo meliori judicio, non poſſe hoc dici, niſi valdè impropriè, quia nullibi ea loquutio legitur in Scriptura, vel Patribus. Sufficit, quod propter inſeſſionem, & inſeparabilitatem, ſicut dictum eſt in Chriſto illas ineſſe, ita & in hoc Sacramento ſint; & ſicut propter illam inſeparabilitatem in Chriſto non enuntiatur cum idiomatum communicatione; ita neque hic de illis dicuntur, quæ de corpore Chriſti dicuntur.

CONCLUSIO II.

Corpus Chriſti eſt in hoc Sacramento cum ſua quantitate intrinſeca, non vi verborum, ſed per concomitantiam. Eſt communiſſima contra Durandum, qui vult ſolam ſubſtantiam corporis Chriſti eſſe hic ſine quantitate, & contra Nominales, quatenus non diſtinguunt quantitatem à ſubſtantia.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dico, quod poſitio, quæ eſt differentia quantitatis, neceſſariò ineſt quanto continuo permanenti; & iſtam oportet ſalvari in propoſito, ſcil. quæ dicit ordinem partium in totale*: & infrà: *Concedo, quòd pars eſt extra partem, prout ly*, extra, *reſpicit per partes ipſas corporis, & requiritur ad poſitionem, quæ eſt differentia quantitatis, ſeu prout* extra *pertinet ad locum; ſic pars non eſt extra partem, ſed ſunt compenetratæ, ſeu una eſt in eodem loco, in quo eſt alia*, &c.

Prob. 2. ex Patribus ſupra cit. quatenùs docent, idem hic eſſe corpus Chriſti, quod fuit in utero Virginis, quod in cruce, quod in ſepulcro, & quod in cœlo eſt; ſed in illis omnibus fuit, & eſt cum ſua quantitate; ergo & hic.

Prob. 3. quia corpus Chriſti in Euchariſtia cum hac

(1) 4. 10. q. 1. *M. n.* 14.

hac organizatione requiſita ad animationem; ergo ibi partes ejus ſunt ab invicem diſtinctæ, & diſpoſitæ: nam in hoc conſiſtit organizatio. Prob. antec. Nam aliter corpus Chriſti eſſet ibi confuſum, & ſine ſua pulchritudine, & incapax animationis; ergo, &c. Prob. ant. Nam *anima eſt actus corporis organici*, & pulchritudo, & forma corporis conſiſtit in debita ordinatione partium inter ſe, & quoad totum. Si enim caput, brachia, manus, pectus, pedes, &c. eſſent confuſa inter ſe, quid eſſet illud corpus, niſi horribile monſtrum? &c. ſed in hoc conſiſtit eſſentia quantitatis; ergo, &c.

Probari poſſet ex Trident. cit. quatenùs docet, quòd pertinentia ad corpus Chriſti ponuntur ſub ſpeciebus ex vi connexionis, quam ad illud habent; ſed quantitas non minorem habet connexionem cum illo, quàm alia, quæ cum illo ponuntur concomitanter; ergo, &c. Prob. min. Nam quantitas eſt minùs ſeparabilis à ſubſtantia corporis, quàm ſanguis ejus, vel anima; ſed hæc ponuntur concomitanter ſub ſpeciebus cum corpore; ergo, &c.

Prob. 2. Nam directè, & vi verborum nihil ponitur, niſi quod ſignificatur formaliter, & directè per illa, ut ſæpè dictum eſt: ſed quantitas non ſignificatur formaliter, & directè per verba formæ: ergo, &c.

Confir. quia ſi directè, & per ſe vi verborum poneretur quantitas, actio conſecrativa terminaretur ad accidens; & ſic non eſſet tranſubſtantiatio, ſed tranſaccidentatio, ſaltem partialiter, & per ſe: ſed conſ. eſt falſum: ergo, &c.

Dixi autem, *quantitatem intrinſecam*, & *in ordine ad ſe*, *ſeu ad totum*, non autem extrinſecam, & in ordine ad locum: quia diximus, eſſe ibi ſecundum modum eſſendi ſubſtantiarum ſpiritualium reſpectivè ad locum, ſc. totum in toto ſpatio, & totis ſpeciebus, & totum iu ſingulis partibus.

Objic. 1. Subſtantia corporis Chriſti eſt ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis: ſed hæc erat cum extenſione extrinſeca: ergo & illud.

Reſp. diſt. maj. quoad eſſe abſolutum exiſtentiæ, con. quoad omnem modum eſſendi, neg. maj. & conſ. Nec enim ſe habet ad ſpecies, ut ſubjectum inhæſionis, nec aliis modis communibus ſubſtantiis naturalibus, & ma-

& materialibus: ita nec ejus quantitas quoad extenſionem actualem, & extrinſecam, ſeu localem.

Objic. 2. Extenſio, & diviſibilitas ſunt de eſſentia quantitatis; ſed corpus Chriſti non habet in Euchariſtia extenſionem, nec diviſibilitatem; ergo nec quantitatem.

Reſp. diſt. maj. extenſio, & diviſibilitas aptitudinalis, & in ordine ad ſe, ſeu intrinſeca, con. maj. & neg. min. actualis, ſeu extrinſeca, & in ordine ad locum, neg. maj. & conſ. Sic corpus Chriſti habet hic primam illam extenſionem, & diviſibilitatem, non hanc ſecundam. Corpus Chriſti eſt ſacramentaliter præſens ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſimus, poſſibilem tamen eſſe Deo *cognitione per fidem illuſtrata aſſequi poſſumus*, inquit Concil. Trident. [1].

Inſt. Quantitas exiſtere non poteſt ſine ſuo modo eſſendi; ſed quantitas non eſt in Euchariſtia cum corpore Chriſti quoad modum hunc eſſendi; ergo, &c. Maj. patet; nam eſſentia eſt inſeparabilis à ſuis proprietatibus, & modus eſſendi proprius quantitatis eſt extenſio partium extra ſe invicem.

Reſp. diſt. maj. exiſtere non poteſt naturaliter, conc. ſupernaturaliter, neg. maj. & diſt. min. extenſio aptitudinalis, conc. actualis, neg. min. ut patet ex Philoſophia, ubi de quantitate, & penetrabilitate corporum.

Inſt. 2. De eſſentia quantitatis, & extenſionis ejus eſt, ut una pars non ſit in loco alterius; ſed hoc non poteſt ſine extenſione actuali; ergo, &c. Prob. maj. Si 2. pars eſſet in eodem loco cum prima, eſſent, & non eſſent diſtinctæ, & extra ſe invicem; ſed hoc implicat; ergo &c. Prob. maj. 1. eſſent extra ſe invicem; quia eſſent diſtinctæ, non confuſæ. 2. non eſſent, quia eſſent intra ſe invicē, & in eodem loco omnes, & neutra eſſet extra locum alterius.

Reſp. diſt. maj. quantitas extenſionis extrinſecæ, & actualis, conc. intrinſecæ, & aptitudinalis, neg. 1. maj. & min. & ſimiliter diſt. 2. maj. eſſent diſtinctæ, & extra ſe in ordine ad ſe, & non eſſent in ordine ad extra ſeu ad locum, conc. eſſent, & non eſſent diſtinctæ, & extra ſe eadem extreitate, ſeu eodem modo, & ſub eo-

[1] *ſeſſ. 13. c. 1.*

dem reſpectu, neg. maj. Eſſent extra ſe in ordine ad ſe, & ad totum; & non eſſent extra ſe in ordine ad locum, ſed omnes eſſent, & ſunt indiviſibiliter in eodem loco, quantumcumque parvo.

Objic. 3. Si corpus cum ſua quantitate eſſet totum in toto indiviſibiliter, illa quantitas haberet tot præſentias in tota hoſtia, quot ibi ſunt partes ſpecierum, & quantitatis panis, & vini, aut loci earum, & ſic infinitas; quia ſunt partes infinitæ, ſaltem potentia: ſed hæc ſunt abſurda, & falſa; ergo &c.

Reſp. 1. idem, ni fallor, objici poſſe, etiamſi ſola ſubſtantia corporis Chriſti poneretur ſub ſpeciebus, & ſub quantitate panis, & ſine propria ſua quantitate: ita & de anima in corpore, & de Angelo in ſpatio reali, ac diviſibili. Nam hæc ibi tot haberent præſentias, quot ſunt partes corporis quanti, & loci. Unde

Reſpon. 2. neg. min. Nam ſicut ſubſtantia, & quantitas panis habent partes infinitas potentia; ita & corpus Chriſti cum ſua quantitate præſentias habet ſub iiſdem ſpeciebus, unam præſentiam totalem in toto, & ſimiles in infinitum potentias in ſingulis partibus ſpecierum earumdem, & ejuſdem quantitatis panis.

Objic. 4. Si corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis haberet ſuam quantitatem, poſſet cum illis, & earum quantitate frangi, & dividi, ſicut ipſæ, & earum quantitas; ſed conſ. eſt falſum; ergo & quod ibi habeat ſuam quantitatem. Prob. maj. Nam quantitas corporis Chriſti eſſet ejuſdem rationis cum ipſa quantitate panis; ſed hæc poteſt frangi, & dividi; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. ejuſdem rationis, & eſt ibi diverſo modo, conc. eſt ibi eodem modo, neg. maj. & conſ. Nam quantitas panis eſt ibi ſecundum extenſionem actualem, & extrinſecam: quantitas autem Chriſti ſecundum aptitudinalem tantum, & intrinſecam, Deo ſic volente de potentia ſua abſoluta, & ſupernaturaliter.

Inſt. Saltem eſsent duæ quantitates in Euchariſtia: ſed hoc eſt impoſſibile: quia deberent compenetrari, & abſurdu m, quia una eſset ſuperflua: ergo, &c.

Reſpon. neg. min. Nam 1. cum duæ illæ quantitates non habeant eumdem modum eſsendi, non ſic impediunt

diunt ſe, nec penetrantur; aut ſi penetrantur, id fit ſupernaturaliter,& ſic non repugnat. Quantitas Chriſti eſt ibi ſine extenſione externa, & in ordine ad locum, quantitas vero ſpecierum extenditur extrinſece, & ad locum.

Objic.5. Si ibi eſſent partes diſtinctæ cum extenſione etiam intrinſeca, totum corpus non poſſet contineri in minima hoſtia; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo, &c. Prob. maj. Una pars eſſet extra aliam, & ſingulæ extra ſe invicem; ſed hoc fieri non poſſet, quin excederent ſpatium hoſtiæ; ergo, &c. Prob. min. Nam collum eſſet extra caput, humeri extra collum, brachia extra humeros; & ſic de aliis; ſed hoc fieri non poſſet ſine occupatione majoris ſpatii, & plurium partium hoſtiæ; ergo &c.

Reſp. neg.1. maj. & diſt.2. & 3. extra aliam, v. gr. collum extra caput in ordine ad totum, & inter ſe, con. maj. & neg. min. in ordine ad locum, vel aliud corpus externum, neg. maj. & conſ. quia diſtinctio illa, & ordo partium corporis Chriſti eſt totus intrinſecus; nec reſpicit quidquam extra illud. Id quidem conceptu difficile: ſed *in hoc ſacramento credere debemus, diſcurrere prohibemur*, ait Innoc.III. (1)

Objic.1. con.2.p. Quod pertinet ad conſtitutionem intrinſecam corporis organici, ponitur directe, & vi verborum in hoc Sacramento; ſed quantitas pertinet ad intrinſecam conſtitutionem corporis Chriſti in ratione corporis; ergo &c. Prob. min. Organizatio pertinet ad intrinſecam conſtitutionem corporis viventium; ſed organizatio eſt a quantitate; ergo &c. Prob. min. Organizatio dicit diverſitatem partium heterogenearum; ſed hæc diverſitas eſt a quantitate; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. corporis organici ſubſtantialiter, conc. maj. & neg. min. accidentaliter organici, neg. maj. & conſ. Nam quantitas, & alia accidentia non pertinent ad organizationem ſubſtantialem corporis, ſed tantum accidentalem: primam habet a ſeipſo, prout conſtat partibus ſuis entitativis,& heterogeneis, ut diximus in Philoſophia: a quantitate non habet partes; ſed quod illæ ſint aptæ poni extra ſe in ordine ad locum in tali velut ſitu.

Inſt.

(1) 4. *de Euch*.1. c.9.

Inſt. Corpus Chriſti poſitum vi verborum eſt integrum, & perfectum; ſed tale corpus requirit quantitatem, & alia accidentia; ergo & Corpus Chriſti. Reſp. diſt. maj. integrum perfectione ſubſtantiali, conc. maj. & neg. min. accidentali, neg. maj. & conſ. Nam quantitas, & alia accidentia non faciunt perfectionem ſubſtantialem.

Inſt. 2. Sine organizatione accidentali non agnoſcitur diverſitas organorum; ergo nec diverſitas corporis ponendi in Sacramento; ergo hæc debet ſignificari directe ex vi verborum.

Reſp. eodem modo diſt. ant. non agnoſcitur diverſitas accidentalis, con. ſubſtantialis, neg. ant. & conſ. Nam verba conſecrationis habent ſuum ſenſum, & ſuam veritatem ex ſola poſitione organizationis ſubſtantialis.

Objic. 2. Panis convertitur in quantitatem corporis Chriſti; ergo hæc ponitur vi verborum: nam tota converſio fit vi verborum.

Reſp. neg ant. alioqui enim converſio illa non eſſet mere tranſubſtantiatio, ſed etiam tranſaccidentatio, ut jam diximus. Reliqua ſolvi, aut reſolvi poſſunt ex dictis in Philoſophia de quantitate.

QUÆSTIO VII.

Quid, & quomodo Chriſtus poſſit agere, & pati in Euchariſtia.

Suppono 1. Chriſtum in Euchariſtia non poſſe habere primo, & per ſe operationes potentiarum ſenſitivarum, ut ſunt ſenſationes internæ, & externæ; imo nec illas ſpirituales, quæ ab illis dependent quoad fieri, & eſſe: quia modus, quo Chriſtus eſt ibi, eſt modus exiſtendi indiviſibiliter, & ſine omni prorſus extenſione externa, ut diximus, ſine qua tales actiones exerceri non poſſunt connaturaliter; quia ſunt naturales, & pendent a principiis naturalibus, quæ talem etiam exigunt modum eſſendi. Item quia ſenſationes non fiunt ſine ſpeciebus ſenſibilibus ex parte objectorum, quæ pariter exigunt ſubjectum extenſum, cum & ipſæ ſint materiales.

Igitur quæſtio principaliter procedit de operationibus

bus pure ſpiritualibus intellectus, & voluntatis.

Suppono 2. aliqua dici de Chriſto in Euchariſtia exiſtente primario, & per ſe, ac principaliter; & quædam ſecundario, & concomitanter. 1. modo dicuntur ea, quæ inſunt illi ratione ſui, non ratione alterius exiſtentiæ, quam habeat alibi; ita ut hæc illi venire poſſint, quamvis nuſquam alibi exiſteret. 2. modo illa, quæ inſunt illi hic ratione alterius exiſtentiæ, ſeu præſentiæ, quam habet alibi: v. gr. viſio Angelorum, & Beatorum dicitur de Chriſto in Euchariſtia exiſtente; quia hæc illi ineſt ratione ſuæ exiſtentiæ in Cœlo, ubi illos habet præſentes, & cœteræ operationes, quæ pendent ab exiſtentia naturali ejus, aut a loco, ut cognitiones ſenſitivæ, & etiam intellectivæ, quæ ab illis dependent. Hoc ſuppoſito

Quæritur hic, an, & quales operationes tam immanentes, quam tranſeuntes, tam ſpirituales, quam corporeæ ineſſe poſſint Chriſto in Euchariſtia, & quales motus tam paſſivi, quam activi.

CONCLUSIO I.

Operationes omnes ſpirituales, quæ conveniunt Chriſto ſecundum humanitatem primario, prout eſt in Cœlo, conveniunt illi concomitanter in Euchariſtia; immanentes vero pure ſpirituales, & independentes a ſenſationibus, v. g. intellectiones, & volitiones ineſſe poſſunt etiam primario, & per ſe. Eſt communis quoad utramque partem.

Prob. 1. ex Scot. [1] *Chriſto hic concomitanter ineſt omnis operatio, quæ primo ſibi ineſt, ut in cœlo* (ecce pro 1. p.) *& operatio ſpiritualis; ut intellectus, & voluntatis poteſt primo ineſſe Chriſto, ut eſt in Euchariſtia* (ecce pro 2.)

Dixi *pure ſpirituales, & independentes a ſenſationibus*; nam, inquit Doctor, [2] *nulla ſenſatio poteſt primo ineſſe Chriſto, ut eſt in ſacramento*, ſaltem naturaliter. Unde ſi quæ ineſt ſic dependens a ſenſationibus, ineſt tantum concomitanter.

Prob. 2. 1. p. ex eodem: quia anima Chriſti eſt realiter eadem in Euchariſtia, quæ eſt in cœlo; nec in alio mutatur, aut differt, niſi penes relationem extrinſecus

[1] *d. 10. q. 5. A. n. 2.* [2] *Ibid.*

ſecus advenientem ex ejus poſitione ſub ſpeciebus; denique penes diverſitatem præſentiæ; ſed hæc diverſa, aut nova relatio præſentiæ non tollit ab illa anima perfectionem ullam abſolutam, & a loco independentem, quales ſunt operationes ſpirituales, ſeu cognitiones, & volitiones, ut ſuppono ex Philoſophia: ergo anima Chriſti in Euchariſtia habet eaſdem operationes ſpirituales, ſeu cognitiones, & volitiones, quas habet in Cœlo; ibi quidem primario, & per ſe, hic vero ſecundario, & concomitanter. Dico, *quales ſunt cognitiones, & volitiones;* nam, ut ſuppono ex Philoſophia, illæ ſunt qualitates abſolutæ inhærentes animæ, & independentes a loco, quamvis importent aliquos reſpectus ad objecta, quæ vel illas cauſant partialiter cum potentia, vel eas terminant.

Prob. 3. ex Conc. Trid. [1] Anima ibi eſt cum corpore propter naturalem unionem ipſorum; ſed intellectiones, & volitiones ſpirituales non minus ſtricte uniuntur animæ in Cœlo, quam anima corpori; ergo tam illæ operationes ſequuntur animam exiſtentem in hoc Sacramento, quam anima corpus.

Confir. Nam Chriſtus in Sacramento non caret ſua beatitudine cœleſti; ſed hæc conſiſtit in operationibus ſpiritualibus intellectus, & voluntatis; ergo, &c. Imo & propter eandem rationem debet habere eaſdem rationes, non quidem primo, ſed concomitanter; quia appetitus etiam corporei ejus, nec ſenſus tam externi, quam interni non debent carere ſua beatitudine, qua fruuntur in Cœlo, quamvis in Sacramento non poſſint elicere tales operationes; quia non eſt ibi circumſcriptive, ut poſſit uti potentiis organicis; tamen poſſunt ineſſe illi qualitates earum abſolutæ, ut videbimus.

Prob. 2. p. Nam in Euchariſta Chriſtus habet potentias ſpirituales animæ eaſdem, quas habet in Cœlo, & independenter ab illa præſentia, ita ut, ſi ceſſaret ibi eſſe, adhuc remanere poſſet, & conſervari in Sacramento; ergo tam perfecte intelligit hic, quam ibi.

Objic. 1. Chriſtus in Cœlo habet objecta illorum actuum præſentia, non autem in Sacramento; ergo hic non habet intellectionem, aut viſionem, aut volitio-

[1] *Seſſ. 13. c. 3.*

litionem ut in Cœlo. Prob. conſ. Nam hæ cognitiones ſupponuntur intuitivæ; ergo cauſari debent ab objectis præſentibus ut præſentibus.

Reſp. diſt. conſ. quantum ad omnes reſpectus, & conditiones viſiones, con. quantum ad entitatem abſolutam illorum actuum, neg. conſ. Nam in illis actibus conſiderari debent vel ſecundum id, quod habent abſoluti; ſunt enim qualitates abſolutæ; vel ſecundum id, quod habent relativi, nempe relationem attingentiæ objectorum. Sub 1. conſideratione eaſdem habet in Euchariſtia, & in Cœlo, non ſub ſecunda; quia in Euchariſtia non attingit objecta ut in ſe præſentia, ſicut in Cœlo.

Inſt. Niſi Chriſtus utrobique videret & idem objectum, v.g. Beatam Virginem, idem Chriſtus eſſet videns, & non videns idem objectum; ſed hoc implicat; ergo vel utrobique non videt, vel utrobique videt.

Reſp. neg. min. quia ad contradictionem viſionis, & non viſionis requiruntur eædem circumſtantiæ ex parte tam potentiæ, quam objectorum, & tendentiæ in illa, qualis non eſt in hoc caſu. Nam licet viſiones quoad abſolutum, quod important, ſint utrobique eædem, & ex parte principii, & objectorum, non tamen quoad tendentiam: nam in Cœlo tendunt in objecta ut in ſe præſentia realiter, non autem in Sacramento.

Inſt. 2. Viſio non poteſt eſſe in potentia, niſi faciat videntem; ſed operatio exiſtens in Chriſto in Euchariſtia eſt viſio; eſt enim viſio in Cœlo; ergo & in Euchariſtia facit Chriſtum videntem æque, ac in Cœlo. Prob. maj. Forma non poteſt eſſe in ſubjecto ſine effectu ſuo formali primario; ſed effectus formalis primarius viſionis eſt facere videntem; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. utramque, ſi adſint conditiones omnes neceſſariæ ad totum effectum in tota ſua perfectione, con. ſi non adſint, neg. mai. utramque. Nam in Cœlo actus ille tendit, & terminatur ad B. Virginem ut realiter præſentem; & ſic habet rationem viſionis proprie, in Euchariſtia vero non ita.

Ideo non eſt viſio proprie, ſed large defectu præſentiæ realis objecti, & in ſe: erit tamen utrobique eadem realiter qualitas quoad entitatem, ſed non cum

iiſ-

iiſdem conditionibus relativis. Pro ampliori intelligentia repete ex Philoſophia, operationes intellectus, & voluntatis importare qualitates abſolutas, quæ conſtituunt potentias illas intelligentes, aut videntes, quatenus in eis recipiuntur: nam intelligere eſt quoddam pati, ut diximus ibidem, qualitates illas abſolutas poſſe poni a Deo in potentiis, a quibus non producuntur. Unde viſio Petri Romæ exiſtentis poteſt poni in oculo, vel intellectu Pauli exiſtentis Camberii; ſed in Paulo non erit proprie viſio; quia per illam Paulus non habebit objectum, v. g. Papam realiter ſibi præſentem; ſed defectu relationis tendentię in objectum ut realiter præſens.

Colligis ergo, quod Chriſtus in hoc Sacramento intelligit omnia intelligibilia, & habet omnes cognitiones, quas habet in Cœlo; quia non eſt minus beatus, nec perfectus quoad corpus, & animam hic, quam ibi, exceptis operationibus, quæ pendent a phantaſmatibus, & a potentiis externis, quas tali modo, & cum tali dependentia hic per ſe, & primo habere non poteſt.

CONCLUSIO II.

Chriſtus in Euchariſtia poteſt agere per actionem aliquam ſpiritualem tranſeuntem in paſſum externum, non autem actione corporali.

Prob. 1. ex Scoto 1. p. *quia potentia ſpiritualis activa non requirit ad actionem, quod habeat eſſe localiter; quia & ſi agens per principium ſpirituale ſit in loco, non tamen requiritur, quod ſit ibi localiter ad hoc, quod agat.... Unde dico, quod Chriſtus in Euchariſtia poteſt habere aliquam actionem mere ſpiritualem tam ex parte principii, quam termini.* Et quoad 2. p. dicit; quod non poteſt uti potentia aliqua activa corporea:.... *quia hæc requirit paſſum, in quod agat approximatum localiter. Iſta autem potentia, ut eſt hic, non eſt alicui localiter approximata*: ergo &c.

Prob. 2. 1. p. ex eodem: quia ſi Angelus eſſet præſens Chriſto in Euchariſtia, anima ejus poſſet ipſum illuminare, aut loqui ei, ſicut alter Angelus; ergo anima Chriſti poſſet efficere aliquid extra ſe per veram actionem tranſeuntem: & ſimiliter ſicut Angelus,

ius, qui totus eſt ſpiritualis carens omni pontentia organica, poteſt agere in res corporales, & eas cognoſcere; ergo &c.

Confir. Nam talis virtus eſt etiam in anima ſeparata, ut in beatis; ergo & in anima Chriſti in Euchariſtia.

Prob.2. p.1. ex dictis ab initio quæſtionis. Iſtæ actiones exigunt extenſionem extrinſecam, & localem; nec enim facultates materiales poſſunt ſic agere, niſi exiſtant modo organico; ſed talem exiſtentiæ modum non habet Chriſtus hic; ergo &c.

Prob. 2. quia omnis potentia naturalis requirit approximationem, & quidem localem agentis ad paſſum; ſed nulla poteſt adeſſe talis approximatio Chriſti, prout eſt in Sacramento, ad ullum ſubjectum materiale; ergo neque actio.

CONCLUSIO III.

Chriſtus in Euchariſtia non poteſt movere corpus ſuum organice intra, vel extra ſpecies, imo nec inorganice.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Potentia illa motiva Chriſti, quæ eſt organica, & corporalis, licet ſit in corpore Chriſti, ut hic tamen non poteſt eſſe principium actus ſui in corpore ut hic, quia requirit partem extra partem, non tantum in toto, ſed in comparatione ad locum ad hoc, ut per unam partem motam localiter moveat aliam. Potentia autem motiva non organica poteſt in actum ſuum hic ſicut in Cœlo; & per conſequens ſecundum iſtam poteſt movere aliud corpus ſibi approximatum, ſicut Angelus poſſet: ſed tamen non poteſt movere corpus ſuum; quia ut hic, corpus illud non ſubeſt alicui potentiæ motivæ, niſi divinæ immediate.* &c.

Prob.2. 1.p. quia moveri organice eſt moveri in ordine ad locum, & per partem poſt partem; ſed hoc repugnat Chriſto ut exiſtenti in Euchariſtia; ergo, &c. Maj. patet: quia eſt moveri per unam partem poſt aliam, & ita ut una ſit in ea parte ſpatii, in qua non ſit alia, quæ poſt illam movetur. Probat. min. quia Chriſtus ut in Sacramento eſt ibi definitive, & indi-

[1] *d. 10. q. 7. H. n. 6.*

indiviſibiliter, ut ſæpe dictum eſt; ergo non poteſt moveri diviſibiliter.

Prob. 3. quia modus operandi ſequitur modum eſſendi; ſed modus eſſendi Chriſti in Euchariſtia eſt indiviſibilis; ergo & modus movendi, qui eſt modus operandi.

Confir. Nam ideo Angelus, aut punctum non poſſunt moveri organice, & diviſibiliter, quia exiſtunt indiviſibiliter; ſed talis eſt modus eſſendi Chriſti, ut eſt in Euchariſtia; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam præſentia Chriſti in Euchariſtia eſt ſupernaturalis in ſubſtantia; nec enim talis poſitio corporis, ſcilicet indiviſibiliter, poteſt eſse ab ulla creatura; ergo non poteſt mutari ab ulla creatura, nequidem ab anima Chriſti etiam inorganice, quia ſic ibi daret aliquam præſentiam inextenſam, & indiviſibilem novam; quod ſoli Deo reſervatum eſt, inquit Doctor.

Objic. Anima Chriſti in Cœlo poteſt movere corpus ſuum; ergo & in Sacramento. Prob. conſ. Nam ibi eſt eadem cum tota ſua virtute: ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam in Cœlo exiſtit circumſcriptive, & organice: & ſic movere poteſt corpus ſuum organice: at in Sacramento corpus ſuum habet præſens, & exiſtens indiviſibiliter; & talis præſentia corporis non ſubeſt niſi ſoli potentiæ divinæ, ſive intra eaſdem ſpecies diviſibiles, ſive extra illas.

Inſt. Eadem anima poteſt movere alia corpora inorganice: ergo & ſuum a fortiori: quia illud eſt ſibi magis unitum, & approximatum; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & parit. de aliis. Nam iſta ſunt mobilia organice, & circumſcriptive in ordine ad locum ex parte ipſorum corporum: & ſic iſte motus, & præſentia nova ex parte illorum non eſt in ſubſtantia ſupernaturalis, nec ſoli Deo reſervata, ſicut eſt præſentia ſacramentalis corporis Chriſti

CON-

CONCLUSIO IV.

Corpus Chriſti in Euchariſtia mediantibus ſpeciebus poteſt moveri localiter, ſed reſpectu corporis Chriſti motus ille proprie non eſt a ſacerdote, ſed a ſolo Deo. Ita Scotiſtæ contra plurimos; ſed, ni fallor, altercatio eſt de voce.

Dico, *mediantibus ſpeciebus*; nam de motu immediato nullus dubitat illum eſſe ſupra virtutem omnis creaturæ, etiam Angelicæ: quippe nulli agenti creato Chriſti corpus in hoc ſtatu approximatur ſufficienter, nec ejus actioni ſubjacet.

Prob. 1. ex Scoto. *Corpus Chriſti ut in Euchariſtia non poteſt moveri primo motu, vel mutatione proprie dicta a creatura. Poteſt moveri, & movetur primo motu extenſive ſumpto. Iſto modo non movetur immediate, niſi a ſolo Deo*: & infra docet, quod *Corpus Chriſti non eſt hic localiter, imo quantum ad omnem habitudinem ad aliud corpus eſt hic, ac ſi non eſſet hic*: ſc. non habet locum ullum; & per conſequens ſub hoc reſpectu non movetur localiter ab ullo agente creato.

Prob. 2. Cum hoſtia defertur ab uno altari ad aliud, aut a templo ad infirmum, vere dici poteſt Chriſtum non eſſe in primo altari, ſed in ſecundo, nec amplius in templo, ſaltem pro illo tempore, ſed in domo infirmi, aut in via ad illum; ergo vere movetur Chriſtus in hoc Sacramento, & cum ſpeciebus ab uno loco ad alium.

Dices, Chriſtum non proprie moveri, ſed fieri præſentem in 2. altari, aut apud infirmum, ſicut cum primo conſecratur hoſtia.

Contra. Si hoc eſſet, non deſereret primum altare, nec tabernaculum, neque totum ſpatium viæ, per quam defertur, ſicut per conſecrationem, qua fit præſens hoſtiæ, non deſerit calicem: ſed hoc eſt falſum, & contra mentem Eccleſiæ; ergo &c.

Prob. 1. p. Nam de fide eſt, corpus idem Chriſti quod ponitur in altari per conſecrationem elevari, demitti, deferri, circumferri ſub ſpeciebus per manus ſacerdotum; ergo vere movetur localiter mediantibus ſpeciebus: nam locus ſpecierum eſt etiam aliquo

mo-

modo locus Corporis Chriſti,ut patet ex dictis ſupra; licet quoad ipſum corpus non habeat proprie locum, ſed nudam præſentiam.

Prob. 2. p. in qua eſt major difficultas. Nam ſacerdos, nec ulla creatura non habet vim motivam in Corpus Chriſti per ſe exiſtentis, & immediati; ergo nec proprie habet eam vim in idem corpus exiſtens in ſpeciebus, & per ſpecies. Prob. conſ. Ut ſacerdos, vel alia creatura dicatur proprie movere unum per aliud, oportet, ut illa inter ſe habeant aliquam neceſſariam unionem, & dependentiam; ſed nulla talis unio, vel dependentia eſt inter Corpus Chriſti, & ſpecies panis; ergo qui movet ſpecies, non dicitur proprie movere Corpus Chriſti. Min. patet Nam ſpecies, & corpus non ſe habent ut actus, & potentia, ſeu non ſunt materia, & forma compoſiti phyſici; neque ut continens, & contentum non voluntarium, ſicut calix, & vinum, quo plenus eſt; neque naturali aliqua neceſſitate conjunctum, ut corpus grave conjungitur illi, a quo ſuſtinetur. Item patet ex dictis ſupra, ſc. quod inter Corpus Chriſti, & *ſpecies* nulla ineſt unio phyſica: nec enim aliter corpus *illud* eſt a ſpeciebus inſeparabile, quam ex Dei voluntate, qua decrevit illud ibi facere præſens, quamdiu integræ manerent, & ubicumque poſt conſecrationem ponantur; ergo ex eadem, & ſola Dei voluntate movetur ad motum ſpecierum, non autem a ſacerdote, qui eas movet; quandoquidem ab ipſo non dependet proprie, & immediate, quod Corpus Chriſti eas comitetur.

Objic. 1. contra 1. p. Chriſtus cum ponitur ſub ſpeciebus per conſecrationem, non dicitur moveri localiter: quia non relinquit locum ullum; ergo neque cum defertur ab uno altari ad aliud; quia in neutro habet locum.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. in neutro eſt in loco per ſe immediate, con. ratione ſpecierum, neg. ant. & ſic moveri dicitur ratione ſpecierum, ratione quarum deſinit eſſe præſens in uno altari, & fit præſens in alio ratione hoſtiæ, cui eſt præſens: & ſicut ipſa eſt localiter in altari, ita & Chriſtus dicitur ibi eſſe localiter per concomitantiam; & ratione aliqualis continentiæ.

Objic.

Objic.2.Ille motus Chriſti eſſet continuus, vel diſcretus, & inſtantaneus; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob.min. 1. non continuus, quia non movetur per partes, cum exiſtat ibi indiviſibiliter: non diſcrete, & inſtantanee; alioqui deſereret ſpecies, quæ non ita moventur; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ad prob. dico, quod formaliter, & ratione corporis Chriſti motus eſt indiviſibilis; terminative autem, & ratione ſpecierum, quæ ſunt continuæ, & diviſibiles, motus eſt ſucceſſivus, & diviſibilis.

Obiic. con.2.p. Quod movet aliquid immediate, & per ſe, movet mediate, & per accidens omne, quod eſt in eo: ſed ſacerdos ſic movet hoſtiam; ergo & Corpus Chriſti, quod in ea eſt, movet mediate.

Reſp.diſt. maj. quod in eo eſt per aliquam phyſicam, & naturalem unionem, aut dependentiam, con. quod in eo eſt voluntarie, neg. maj.& conſ. Nam ſicut ſi Angelus voluntarie inſideret lapidi, qui lapidem moveret, non diceretur proprie Angelum movere, ſed potius quod Angelus ſe moveret cum lapide; ita eſt de Chriſto in hoſtia.

Inſt. Species, & Chriſtus ſic connectuntur ſacramentaliter; ſed hæc connexio ſufficit, ut movens illas dicatur movere & iſtud, ſaltem concomitanter; ergò &c.

Reſp. neg.min. Nam quia connexio iſta ſacramentalis eſt voluntaria Deo; & ſacerdos de ſe nullam habet actionem immediatam in corpus, ideo non tam ipſe movet Chriſtum, quam ſolus Deus volens continuare præſentiam illam Chriſti in hoſtia, ubicumque iſta ſit, & quovis modo moveatur. Igitur per conſecrationem Chriſtus fit præſens ſpeciebus. 2. id fit volente Deo hanc præſentiam comitari ſpecies, quamdiu conſervantur incorruptæ. 3. illa præſentia importat relationem extrinſecus advenientem inter Chriſtum, & ſpecies per poſitionem ejus ſub illis loco ſubſtantiæ panis, & vini; & ſic tota illa connexio pendet a Dei voluntate.

Objic.2.Si Angelo exiſtente in lapide, & dormiente moverem lapidem, moverem & Angelum; ergo idem eſt de Chriſto in Euchariſtia.

Reſp.neg.ant. Non enim potius diceretis movere

An-

Angelum, quam tangere, aut videre; ſed videns, aut tangens lapidem non videt, nec tangit Angelum inſidentem; ergo neque illum moverem, ſed tantum lapidem, cui adeſt præſens Angelus: ita eſt de Chriſto præſente in hoſtia.

Objic. 3. Saltem ſacerdos poteſt vires accipere a Deo ad illum motum cauſandum; ergo ſaltem poſſibilis eſt ſacerdoti motio illa.

Reſp. neg. ant. Nam defectus non eſt in viribus ratione ponderis, ſed in diſproportione agentis ad paſſum, quam Deus ſupplere non poteſt; ſicut nec facere poteſt, ut oculus corporeus videat Angelum.

Objic. 4. Sacerdos dicitur elevare hoſtiam, & manducare Corpus Chriſti realiter, & vere; ergo & movere: nam hæc ſine motu non fiunt.

Reſp. diſt. ant. elevare, & manducare, quatenus ſpecies elevat, & in os ſuum, & ſtomachum defert, con. quatenus ipſum Chriſtum per ſe movet, neg. ant. Nam in vero ſenſus Deus hæc facit juxta motum ſpecierum, & concomitanter.

Inſt. Sequeretur ſingulos motus hoſtiæ eſſe tot miracula nova, ſicut prima poſitio Chriſti ſub illa; ſed conſ. eſt contra Scotum; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Non enim motus illi ſunt nova miracula, ſed continuatio primi, quæ conſervat præſentiam ſemel cauſatam in conſecratione: & ita docet Scotus.

Objic. 5. Corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis, & vini; ſed hæc ſubſtantia movebatur a movente ſpecies; ergo & Corpus Chriſti a ſacerdote movente eaſdem ſpecies.

Reſp. diſt. maj. loco ſubſtantiæ ſine unione phyſica, & naturali, con. cum ſimili unione, neg. maj. & conſ. Subſtantia panis continetur ſub ſpeciebus per unionem phyſicam, & naturalis inhærentiæ. Non ita eſt de corpore Chriſti, quod ibi non habet niſi præſentiam voluntariam, ut diximus.

CON-

CONCLUSIO V.

CHriſtus in Euchariſtia poteſt pati, ſeu recipere aliquam formam ſpiritualem ab Angelo, vel anima ſeparata, ſi ſint illi ſufficienter præſentes, non autem corpoream.

Prob. 1. ex Scoto. Nam [1] *ſi eſſet Angelus aliquis præſens Chriſto in Euchariſtia, poſſet anima Chriſti illum illuminare, & illi loqui locutione mentali eo modo, quo Angelus exiſtens ut Chriſtus poſſet alium illuminare, & illi loqui*: ergo & ipſe Chriſtus poſſet audire illum Angelum loquentem, & reſpondentem, & ſic cauſare in illo auditionem, ſeu cognitionem ſui, & ſuæ cogitationis.

Confir. ex eodem. Nam *illa locutio* (Angeli ad Chriſtum, ſicut & Chriſti ad Angelum) *non requirit niſi principium activum ſufficiens in illuminante, & loquente, & ſubjectum capax ex parte illuminati, ſive cui fit locutio, & fortè approximationem ſecundum ubi definitivum*, &c. ſed Anima Chriſti eſt ſubjectum capax talis illuminationis, ſeu auditionis reſpectu Angeli, vel animæ ſeparatæ; & illa fieri nequit, niſi quatenus ille Angelus, vel anima imprimeret, ſeu cauſaret in Chriſto ſuam cognitionem, ut diximus de locutione Angelorum; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam Corpus Chriſti ut eſt in Euchariſtia, non eſt capax ullius formæ extenſæ, ut probatum eſt; & quia ibi exiſtit modo inextenſo ad extra, & indiviſibili; ſed nulla creatura poteſt dare ulli formæ corporeæ modum eſſendi indiviſibiliter; ergo nec ullam formam corpoream ponere in corpore Chriſti.

Objic.con.2. p. Angelus poſſet movere primò Corpus Chriſti, & concomitanter ſpecies; ſed in hoc caſu reciperet novam formam corpoream, ſc. novam præſentiam, & novum motum; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam ille motus, & illa præſentia eſſet in ſe, & in ſubjecto indiviſibilis, quamvis terminaretur ad ſpecies, & locum diviſibilem; ſicut unio animæ ad corpus eſt in entitate, & in ſubjecto indiviſibilis, & terminus diviſibilis, ſc. corpus.

QUÆSTIO VIII.

An, & à quo præſentia Chriſti in Sacramento ſit cognoſcibilis.

QUæritur hìc, an intellectus creatus poſſit videre Chriſtum ut exiſtentem in hoc Sacramento, & quidem naturaliter, aut ſaltem ſupernaturaliter, & hoc quæritur de intellectu humano unito corpori, & pro hoc ſtatu mortali, vel in ſtatu ſeparationis, in quo eadem eſt ratio de illo, ac de Angelo. Item quæſtio procedit de cognitione tam intuitiva, quàm abſtractiva.

Porrò non dubitamus de cognitione abſtractiva illius præſentiæ ab intellectu hominis viatoris. Nam fides eam docet, & omnes fideles eam credunt firmiter; nec etiam de viſione pro intellectu viatoris, & dependente à ſenſibus: nam pro hoc ſtatu nihil videmus, niſi quod cadit ſub ſenſum; Chriſtus autem hìc non cadit ſub ſenſus ullos; imò quidquid ibi ſenſibile eſt, oſtendit panem, & vinum, non autem carnem, & ſanguinem Chriſti.

CONCLUSIO I.

EXiſtentia Corporis Chriſti in Euchariſtia poteſt naturaliter cognoſci, & videri ab intellectu Angelico, vel humano à ſenſibus non dependente. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto dicente: [1] *Omnis intellectus ſive Angelicus, ſive animæ ſeparatæ, ſive hominis creati naturaliter poteſt videre exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia*. Et id probat ſolidè, ut videbis in Textu.

Prob. 2. quia Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt extra ſphæram, & ordinem objecti naturalis attingentiæ talium intellectuum; ergo ab eis naturaliter attingi, & videri poteſt ſuppoſita præſentia, & applicatione ſufficienti, ut patet ex dictis in Philoſophia de objecto intellectus, quod diximus eſſe totum ens creatum. Prob. conſ. Nam omnis potentia poteſt naturaliter attingere objectum ſuum, & quidquid

[1] *q. 8. D. n. 6.*

quid in eo continetur, ſi ſit debitè approximatum.

Confir. Nam ſi quid obſtaret, maximè ſupernaturalitas exiſtentiæ, & præſentiæ Corporis in Sacramento; ſed hoc nihil obſtat; ergo &c. Prob. min. quia ſupernaturalitas rei non impedit ejus cognoſcibilitatem. Unde ſi corpus idem poneretur extenſivè in pluribus locis, ut ſæpè contigit, ſupernaturalitas illius poſitionis non impediret ejus viſibilitatem naturalem: & denique non variat rationem formalem rei ſupernaturaliter productæ; ergo &c.

Prob. 2. Angelus ſicut poteſt naturaliter videre ſubſtantiam, ita & ejus abſentiam ſub ſpeciebus poſt conſecrationem, non obſtante ſupernaturalitate talis abſentiæ; ergo & videre poteſt ibidem eſſe Corpus Chriſti eo modo, quo ibi eſt, nempe indiviſibiliter; videt enim, quòd ibi non eſt modo extenſo.

Objic. 1. Omne cognoſcibile per fidem, & ſupernaturaliter excedit vires naturales intellectus; ſed præſentia Chriſti realis in Euchariſtia eſt cognoſcibilis per fidem; ergo non eſt naturaliter viſibilis.

Reſp. diſt. maj. excedit vires naturales potentiæ in eodem ſtatu exiſtentis, & eodem modo, vel mediis agentis, con. maj. & neg. min. in alio ſtatu exiſtentis, & diverſis mediis utentis, neg. maj. & conſ. Nam pręſentia hęc Chriſti eſt ſupernaturaliter cognoſcibilis ab intellectu viatoris utentis medio ſenſationum, & dependentis à ſenſibus, non autem ab intellectu Angeli, vel animæ ſeparatæ, vel beatorum, qui in ſuis cognitionibus non dependent, nec utuntur medio ſenſuum.

Inſt. Illa præſentia eſt ordinis ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo non eſt viſibilis naturaliter ab ullo intellectu.

Reſp. ut ſuprà, neg. conſ. Nam ſupernaturalitas præcisè non extrahit res ex ſphęra objecti naturaliter attingibilis à potentia, ut patet de duobus corporibus compenetratis, quæ naturaliter videri poſſunt ab Angelo; & de corpore replicato in duobus locis, quod videtur naturaliter oculis corporeis.

CONCLUSIO II.

Corpus Chriſti in Euchariſtia videri non poteſt oculis corporeis naturaliter, imò nec ſupernaturaliter reduplicativè quoad modum exiſtendi indiviſibiliter. Eſt communis inter Scotiſtas & Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quidquid videtur* (oculo corporeo) *videtur ſub pyramide, cujus baſis eſt in re viſa, & conus in oculo; ergo & corpus Chriſti videtur ſub tali pyramide; ſed non eſt ibi dare baſim pyramidis, quia illa eſſet ſimul cum baſe pyramidis, ſub qua videtur hoſtia: nam ubique eſt corpus cum hoſtia; & tunc corpus Chriſti cum hoſtia ſimul viderentur ſub æquali angulo correſpondenti; ſed quæ videntur ſub eodem angulo, videntur æqualia; ergo corpus Chriſti videretur æquale ſpeciei: ſequeretur etiam, quòd corpus Chriſti videretur ut rotundum, ſicut baſis, ſub qua videntur ſpecies*; ſed hæc abſurda ſunt; ergo & falſa; ergo &c.

Prob. 2. ex eodem. Nam ſicut oculus corporeus eſt extenſus, ita & operatio ejus; ſed Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia non poteſt attingi viſione diviſibili, ſeu extenſa; nam eſt ibi indiviſibiliter; ergo &c. Prob. maj. Nam vel illa viſio conſideratur ex parte potentiæ, aut principii, aut termini; ſed neutro modo eſſe poteſt in oculo corporeo; ergo &c. Prob. min. Nam 1. principia effectiva viſionis ſunt objectum, & potentia; iſta eſt materialis, & extenſa, illud verò exiſtit hìc modo ſpirituali, & indiviſibili; ergo ſimul concurrere nequeunt ad eandem viſionem; ſed potiùs ad invicem repugnant: nam objectum non poteſt emittere ſpeciem diviſibilem, ſaltem exte[n]ſam; ſed deberet emittere ſpecies fere infinities replicatas; quia totum objectum eſt in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, quæ ſunt infinitæ ſyncategorematicè. Prob. 2. eadem min. quia terminus viſionis extenſæ debet etiam habere extenſionem: & ſicut res ſpirituales ſunt extra ſphæram objecti potentiæ materialis, ita & res, quæ habent modum exiſtendi rerum ſpiritualium.

Hinc patet concluſio quoad utramque partem. Nam Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia, & ſub

[1] *d.1.q.9.n.2.& 3.n.5.*

ſub illo modo exiſtendi non poteſt naturaliter videri ob oculo corporis, nequidem ſupernaturaliter, multò minùs naturaliter.

Confir. quoad illam 1. partem: quia ad viſionem corpoream, quæ non poteſt eſſe abſtractiva, requiritur approximatio objecti ad potentiam; ſed naturaliter Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia non poteſt approximari oculo corporeo; ergo nec videri ab illo.

Objic. 1. con. 1. p. Corpus Chriſti hìc habet quantitatem, & qualitates corporeas, v. g. colorem, figuram, & extenſionem internam; ergo de ſe eſt viſibile.

Reſp. diſt. conſ. eſt viſibile remotè, con. proximè, neg. conſ. Nam ut de ſe ſit viſibile, debet exiſtere modo proportionato potentię, & illi ſufficienter poſſe applicari: at utrumque deeſt huic corpori; nam potentia eſt de ſe extenſa extrinſecè, & in loco circumſcriptivè: Chriſtus verò hìc exiſtit indiviſibiliter, & non eſt in loco.

Inſt. Saltem oculus corporis beati poſſet illud videre; ergo &c. Prob. ant. Niſi enim in Euchariſtia videret Corpus Chriſti, deciperetur viſis ſpeciebus putans ibi ſubeſſe panem; ſed conſequens eſt inconveniens; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. Nam ſi uteretur lumine rationis, directè videret corpus illud, ut diximus, ſi ſolo lumine materiali oculorum, attingeret ſpecies ſenſibiles panis per ſimplicem intuitum, & apprehenſionem, & ſic non erraret; quia ſenſus non judicant, non affirmant, aut negant, id pertinet ad intellectum.

Objic. con. 2. p. Oculus corporis elevari poteſt ad videndum objectum ſpirituale; ergo multò magis ad videndum objectum materiale, licèt indiviſibiliter exiſtens, ut eſt Corpus Chriſti.

Reſp. ex dictis in Philoſophia, & in tract. de Deo neg. ant. nam objecta ſpiritualia ſunt extra ſphæram objecti totalis potentiæ materialis.

Objic. 2. Si daretur punctum mathematicum lucis, hæc poſſet videri ab oculo perſpicaciſſimo; ſed illud punctum eſſet indiviſibile; ergo indiviſibilitas non repugnat viſioni corporeæ, nec indiviſibilitas Corporis Chriſti in Euchariſtia, & quidem à fortiori,

quia hoc corpus eſt extenſum intrinſecè, & quantum.

Reſp. ex Scoto neg. maj. & ſubſumptum. Nam lux punctualis non poteſt mittere ſpecies ad organum corporeum.

Quæres, *an apparitiones Chriſti ſub ſpeciebus Eucharisticis, quæ in variis hiſtoriis referuntur, fuerint veræ, ac reales, an verò tantùm apparentes*. Hæc enim ſæpe Deus permiſit vel ad confirmationem fidei, & confuſionem, aut convictionem hæreticorum, vel ex ſpeciali favore erga ſanctos, ad excitandam reverentiam, & devotionem erga hoc myſterium, & alios pios affectus, & fines.

Reſp. cum Seraphico Doctore, [1] quòd *ſi miraculosè oſtenſum eſt, numquam tamen oſtenſum fuit in forma, quam ibi habet, ut communiter dicitur; quia oſtenſum fuit in forma parvuli, & ipſe Chriſtus eſt ibi ſecundum quantitatem, quam habet in Cœlo, & ſic eſt ibi cum qualibet parte; & iſte modus eſſendi abſtrahitur ab omni ſenſu* &c.

Igitur non fuerunt apparitiones ipſius corporis ut exiſtentis in Sacramento, ſed ſpecies, ſeu repræſentationes ejus aliquando apparentes per immutationem phantaſiæ illorum, quibus apparebat, aliquando per veram aliquam imaginem, ſeu ſpeciem. Primo modo ſunt illæ apparitiones, quæ parum durant, & paucis oſtenduntur: 2. verò, quæ plus durant, & omnibus oſtenduntur, ſaltem iis, qui in eodem loco adſunt; ſed ipſa realis caro numquam apparet, nec videtur.

QUÆSTIO IX.

De Chriſti deſitione in Euchariſtia: quomodo ibi deſinat eſſe.

Diximus, Chriſtum poni in Euchariſtia per adductionem, qua fit realiter præſens ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis, & vini, & hanc præſentiam conſiſtere in relatione reali extrinſecùs adveniēte reducibili ad prædicamentum *ubi*, licèt non ſit propriè locatio; nec ſpecies dici poſſent locus ejus: jam quærimus, quomodo, & quando deſinat ibi eſſe.

CON-

[1] *d.* 10. 2. *q.* 2. *n.* 60.

CONCLUSIO I.

Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus Eucharisticis, quando iſtæ ſic mutantur, & corrumpuntur, ut corrumperetur etiam panis, & vinum, ſi adeſſent. Eſt communis quoad hoc contra quoſdam hæreticos volentes, Chriſtum deſinere eſſe in Sacramento ſtatim cùm tangitur labiis à peccatore: item contra aliquos Catholicos dicentes, Chriſtum ſolummodo manere, quamdiù conteritur in ore: & alios dicentes, tunc primùm deſinere, cùm ſpecies fiunt inutiles uſui humano, ut ſi à beſtiis corrodantur, aut in lutum cadant.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *In tali alteratione ad qualitatem, in qua non poſſet ſtare ſpecies panis, deſinit eſſe Euchariſtia; quia Deus ſtatuit non conſervare Euchariſtiam, hoc eſt accidentia ſine ſubjecto, in quibus ſit Corpus Chriſti, niſi quamdiù manent ibi qualitates natæ perficere ſubſtantias jam converſas* &c. ergo in tali corruptione ſpecierum, in qua non maneret in eis ſubſtantia panis, & vini, deſinit ibi eſſe Corpus, & Sanguis Chriſti. Idem docet in Reportatis: [1] *Illis* (accidentibus) *corruptis, deſinit ibi eſſe Corpus Chriſti; quia ſtatuit Deus, quòd quandiu remanerent ſpecies in Euchariſtia, remaneret ibi Corpus ſuum, etiam quàm citò illæ deſinerent, deſineret Corpus Chriſti in illis eſſe.*

Prob. 2. Nam Corpus Chriſti in hoc Sacramento ponitur loco ſubſtantiæ panis, & vini; ergo quamdiù ibi durare debuiſſet ſubſtantia panis, & vini, tamdiù debet ibi eſſe, & eorum loco permanere Corpus, & Sanguis Chriſti, & tunc primùm ibi deſinere, quando & illa deſinere debuiſſent, ſc. corruptis eorum accidentibus.

Prob. 3. Nam experientia conſtat, quòd ſpeciebus corruptis generantur ex eis vermes, cineres, pulvis, aut aliæ ſubſtantiæ, & accidentia, ſub quibus Deus non inſtituit Euchariſtiam, nec voluit corpus ſuum eſſe, ſed ſub ſolis accidentibus panis, & vini, ſub quibus voluit fieri cibus, & potus noſter; ergo &c.

Objic. Si deſineret ibi Corpus Chriſti, accidentia

[1] *d. 12. q. 5. B. 5.*
[2] *Ibid. q. 4. n. 5.*

remanerent naturaliter ſine ſubjecto, vel ex eis deberet generari alia ſubſtantia; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. non 1. quia conſervatio accidentium ſine actuali inhærentia in ſubjecto ſubſtantiali eſt prorſus miraculoſa; ergo &c. non 2. quia deberet illa ſubſtantia ibi poni per creationem; nam accidentia non ſunt materia apta, ex qua poſſit generari ſubſtantia; ergo.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. quoad 2. p. Nam quomodo nova ſubſtantia ibi generetur videbimus infra: interim nihil prohibet Deo id tribuere.

CONCLUSIO II.

Chriſtus deſinit in Euchariſtia non per veram, & propriam mutationem, non per localem, nec per ſubſtantialem purè moralem, ſed per realem, quæ conſiſtit in deperditione, ſeu deſitione præſentiæ realis, quam per conſecrationem, & adductionem acquiſierat ſub ſpeciebus illis: Eſt communis inter Scotiſtas, & ſequitur ex dictis ſupra de præſentia Chriſti in Euchariſtia, quam diximus conſiſtere in relatione extrinſecùs adveniente, & de actione, per quam hic ponitur.

Eſt autem contra plures docentes, deſitionem illam eſſe puram denominationem extrinſecam, aut purum motum localem, quo dicitur in Cœlum rapi, ut dicitur in Canone, *Tribus gradibus*: [1] aut mutationem ſubſtantialem, qua perdat eſſe ſubſtantiale, quod putant Chriſtum accipere per productionem, cum ibi poſitus eſt.

Prob. 1. ex Scoto. Nam docet, quod *poſitio Chriſti in Sacramento fit per adductionem, qua acquirit præſentiam novam, quæ eſt aliquis reſpectus extrinſecus adveniens novus ſine omni mutatione* (per formam abſolutam) *nec mutari, tunc erit ab alio in aliud ire,* (ſc. moveri localiter) ſcilicet deſitio exiſtentiæ nihil erit præter deperditionem talis præſentiæ, ſeu relationis extrinſecus advenientis, qua dicebatur præſens ſpeciebus corruptis, quamdiù exiſtebant integræ poſt conſecrationem, & præſentiæ, ſeu ſimilis relationis, qua illæ dicebantur præſentes, & continentes eum.

Prob. 2.

[1] *De conſecr. d.* 2.

Prob. 2. Nam ibi eſt vera, & realis mutatio, ubi fit tranſitus rei à forma reali ad non formam illam; ſicut eſt, ubi fit tranſitus à non forma ad formam realem: ſed Corpus Chriſti per corruptionem ſpecierum panis, & vini tranſit à forma reali ad non formam; ſc. perdit præſentiam illam realem, quæ eſt relatio realis extrinſecus adveniens, dum corrumpuntur ſpecies; ergo, &c.

Confir. Nam ſi Chriſtus deſineret eſſe in ſpeciebus, quamvis ipſæ non ceſſarent exiſtere, adhuc diceretur mutari realiter quoad illam relationem præſentiæ realis; ergo & ita mutatur, quando amittit eandem præſentiam, ſicut & ipſæ ſpecies, dum corrumpuntur.

Prob. 2. p. de mutatione locali. Nam Chriſtus nec locum novum acquirit per illam deſitionem, nec antiquum propriè locum amittit; quia non erat ibi localiter ſaltem propriè, ut dictum eſt, & ſic pure ceſſat eſſe præſens ſine alio motu in cœlum, ubi non deſinit eſſe, cùm ſit præſens hic.

Prob. 4. de morali. Nam præſentia Chriſti non eſt moralis, ſed phyſica; ergo deſitio ejus erit & phyſica mutatio.

Prob. denique tota concl. ex eodem Scoto: [1] quia talis eſt mutatio, qualis forma per mutationem acquiſita, aut perdita; ſed forma perdita in tali deſitione eſt forma realis, & phyſica, & intrinſecè inhærens Chriſto, non ſubſtantialis, ſed accidentalis, ut probatum eſt, ſc. præſentia: ergo &c.

Confir. de mutatione ſubſtantiali. Nam ſi Chriſtus deſineret ibi eſſe per mutationem ſubſtantialem, toties mutaretur ſubſtantialiter, quoties deſineret eſſe hic ſacramentaliter; ſed hoc eſt abſurdum, & diſconveniens dignitati Corporis Chriſti; ergo &c.

Confir. 2. quia ſi mutaretur ſubſtantialiter, id fieret vel per converſionem in aliam ſubſtantiam, vel per aliqualem annihilationem ejus, qualis eſt deſtructio panis per conſecrationem, vel per propriam corruptionem; ſed nihil horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non per converſionem, vel annihilationem, quia Corpus Chriſti eſt incorruptibile, & naturaliter indefectibile, ſeu inconvertibile, & remanet totus in Cœlo, & alibi; & indignum eſſet Chri-

[1] *Ibid.*

ſto converti in vermem, pulverem &c.2. non per propriam corruptionem, quia deberet remanere materia corrupti, ſc. materia Corporis Chriſti, quod abſit dicere: & præterea dictum eſt: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; ergo &c.

Objic. 1. con.1. p. Mutatio realis recipitur in ſubjecto, quod ſic mutari dicitur; ſed hoc dici non poteſt de Chriſto deſinente eſſe in Euchariſtia; ergo &c. Prob. min. quia nihil de Chriſto remanet ibi, ut illi inhæreat mutatio; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam in mutatione poſitiva, quæ eſt de una forma poſitiva ad aliam, debet aliquid mutati remanere, non autem in mutatione purè negativa, quæ eſt de eſſe ad non eſſe, de præſentia ad non præſentiam, qualis eſt iſta.

Objic. con. 3. Actio conſervativa Corporis Chriſti in Euchariſtia diſtinguitur à conſervativa præſentiæ illius; & iſta non ſufficit ſine illa; ergo deſitio exiſtentiæ Chriſti importat ceſſationem utriuſque actionis; ſed illa prima actio terminatur ad ſubſtantiam; ergo deſitio iſta eſt mutatio ſubſtantialis.

Reſp. neg. conſ. imò ſequitur 2. poſſe deſinere ſine prima; ſicut Chriſtus poteſt conſervari in ſe, & ſecundum eſſe ſuum in Cœlo, v. g. quoad eſse ſubſtantiale locale, & deſinere conſervari præſens in altari.

Inſt. 1. In hac deſitione tam ceſsat eſse ſubſtantialiter, & ſimpliciter, quam præſentialiter, ſeu localiter in altari; quia ibi eſt etiam ſubſtantialiter æquè, ac ſi non exiſteret alibi; ergo hæc deſitio eſt ſubſtantialis mutatio. Prob. ant. Nam ſi deſinens eſse ſub ſpeciebus non deſineret eſse ſimpliciter, remaneret ſubſtantialiter alibi, aut nullibi: non alibi; ubi enim? non nullibi, quia nihil poteſt exiſtere ſine ubi.

Reſp. neg. ant. & min. Nam in tali caſu remaneret aut in loco, ubi erant ſpecies, vel alibi ad beneplacitum Dei. Corpus ergo Chriſti non deſinit eſse ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter.

Objic. 2. Quando in cœna ſumpto Sacramento conſumptæ ſunt ſpecies panis in ſtomacho Apoſtolorum, vel Deus continuavit conſervare ſubſtantialiter Corpus Chriſti, prout erat in Sacramento, vel ceſsavit conſervare quoad illud eſse: ſi continuavit; ergo Chriſtus remanſit exiſtens ſecundum illud eſse ſubſtan-

ſtantiale replicatum: ſi ceſsavit conſervare; conſtat mutatus eſt Chriſtus quoad eſse ſubſtantiale.

Reſp. diſt. ant. ceſsavit conſervare, prout erat in Sacramento, & quoad illam præſentiam, & ſecundum quid, con. quoad eſse exiſtentiæ abſolutè, & ſimpliciter, neg. maj. Nam quoad iſtud eſse nunquam immutatus eſt Chriſtus, ſed tantùm quoad præſentiam illam ſacramentalem.

Objic. 3. Eodem modo corruptis ſpeciebus deſinit Corpus Chriſti ibi eſse, ac ſi Angelus deſineret conſervari in hac ſchola; ſed iſte Angelus hic deſineret eſse ſimpliciter, & ſubſtantialiter; ergo & Chriſtus ibi.

Reſp. neg. maj. Nam Angelus non habens hic aliud eſse, quam ſubſtantiale cum accidentali, totus, & ſimpliciter deſinit eſſe, cum deſinit ibi conſervari. Non ita eſt de Chriſto, qui cùm ſit idem numero in Cœlo, & in omnibus hoſtiis, non amittit in ſingulis niſi eſſe accidentale: ſemper alicubi exiſtit ſimpliciter, & quoad eſſe ſubſtantiale.

Inſt. Aliter Chriſtus deſinit eſſe in hoſtia dum conſumitur, quàm anima deſinat eſſe in brachio, vel crure, cum abſcinditur; ſed anima in hoc caſu ceſſat tantum eſſe in illis membris per retractionem localem in ſe ipſam; ergo Chriſtus deſinit eſſe ſubſtantialiter in hoſtia; alioqui hoc fieret per puram retractionem localem in templum.

Reſp. neg. maj. Nam illa paritas, & comparatio retractionis animæ in ſe ipſam inſervit ad explicandam opinionem noſtram. Nam ſicut illa, abſciſſo brachio, remanet ſubſtantialiter integra; nec amittit niſi præſentiam, & unionem, quam habebat in illo ante abſciſſionem; ita eſt de Chriſto in una hoſtia per corruptionem ſpecierum.

Inſt. 3. Si Chriſtus nullibi exiſteret, niſi in una hoſtia Camberii, corrupta illa, ceſſaret ſimpliciter, & ſubſtantialiter exiſtere; ergo idem eſt de ceſſatione ejuſdem in eodem altari, licèt alibi ſimul exiſtat.

Reſp. neg. ant. Nam, ut diximus, ceſſaret quidem in eo caſu eſſe præſens in illa hoſtia, vel altari quoad præſentiam illam accidentalem; ſed conſervaret ſubſtantialem in ſe, & in eodem altari, vel alibi, ubi Deus, vel ipſe vellet.

QUÆSTIO VIII.

An, & à quo præſentia Chriſti in Sacramento ſit cognoſcibilis.

QUæritur hìc, an intellectus creatus poſſit videre Chriſtum ut exiſtentem in hoc Sacramento, & quidem naturaliter, aut ſaltem ſupernaturaliter, & hoc quæritur de intellectu humano unito corpori, & pro hoc ſtatu mortali, vel in ſtatu ſeparationis, in quo eadem eſt ratio de illo, ac de Angelo. Item quæſtio procedit de cognitione tam intuitiva, quàm abſtractiva.

Porrò non dubitamus de cognitione abſtractiva illius præſentiæ ab intellectu hominis viatoris. Nam fides eam docet, & omnes fideles eam credunt firmiter; nec etiam de viſione pro intellectu viatoris, & dependente à ſenſibus: nam pro hoc ſtatu nihil videmus, niſi quod cadit ſub ſenſum; Chriſtus autem hìc non cadit ſub ſenſus ullos; imò quidquid ibi ſenſibile eſt, oſtendit panem, & vinum, non autem carnem, & ſanguinem Chriſti.

CONCLUSIO I.

E*Xiſtentia Corporis Chriſti in Euchariſtia poteſt naturaliter cognoſci, & videri ab intellectu Angelico, vel humano à ſenſibus non dependente*. Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto dicente: [1] *Omnis intellectus ſive Angelicus, ſive animæ ſeparatæ, ſive hominis creati naturaliter poteſt videre exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia*. Et id probat ſolidè, ut videbis in Textu.

Prob. 2. quia Corpus Chriſti in Euchariſtia non eſt extra ſphæram, & ordinem objecti naturalis attingentiæ talium intellectuum; ergo ab eis naturaliter attingi, & videri poteſt ſuppoſita præſentia, & applicatione ſufficienti, ut patet ex dictis in Philoſophia de objecto intellectus, quod diximus eſſe totum ens creatum. Prob. conſ. Nam omnis potentia poteſt naturaliter attingere objectum ſuum, & quidquid

[1] *q. 8. D. n. 6.*

quid in eo continetur, ſi ſit debitè approximatum.

Confir. Nam ſi quid obſtaret, maximè ſupernaturalitas exiſtentiæ, & præſentiæ Corporis in Sacramento; ſed hoc nihil obſtat; ergo &c. Prob. min. quia ſupernaturalitas rei non impedit ejus cognoſcibilitatem. Unde ſi corpus idem poneretur extenſivè in pluribus locis, ut ſæpè contigit, ſupernaturalitas illius poſitionis non impediret ejus viſibilitatem naturalem: & denique non variat rationem formalem rei ſupernaturaliter productæ; ergo &c.

Prob. 2. Angelus ſicut poteſt naturaliter videre ſubſtantiam, ita & ejus abſentiam ſub ſpeciebus poſt conſecrationem, non obſtante ſupernaturalitate talis abſentiæ; ergo & videre poteſt ibidem eſſe Corpus Chriſti eo modo, quo ibi eſt, nempe indiviſibiliter; videt enim, quòd ibi non eſt modo extenſo.

Objic. 1. Omne cognoſcibile per fidem, & ſupernaturaliter excedit vires naturales intellectus; ſed præſentia Chriſti realis in Euchariſtia eſt cognoſcibilis per fidem; ergo non eſt naturaliter viſibilis.

Reſp. diſt. maj. excedit vires naturales potentiæ in eodem ſtatu exiſtentis, & eodem modo, vel mediis agentis, con. maj. & neg. min. in alio ſtatu exiſtentis, & diverſis mediis utentis, neg. maj. & conſ. Nam præſentia hæc Chriſti eſt ſupernaturaliter cognoſcibilis ab intellectu viatoris utentis medio ſenſationum, & dependentis à ſenſibus, non autem ab intellectu Angeli, vel animæ ſeparatæ, vel beatorum, qui in ſuis cognitionibus non dependent, nec utuntur medio ſenſuum.

Inſt. Illa præſentia eſt ordinis ſupernaturalis in ſubſtantia; ergo non eſt viſibilis naturaliter ab ullo intellectu.

Reſp. ut ſuprà, neg. conſ. Nam ſupernaturalitas præcisè non extrahit res ex ſphera objecti naturaliter attingibilis à potentia, ut patet de duobus corporibus compenetratis, quæ naturaliter videri poſſunt ab Angelo; & de corpore replicato in duobus locis, quod videtur naturaliter oculis corporeis.

CONCLUSIO II.

Corpus Chriſti in Euchariſtia videri non poteſt oculis corporeis naturaliter, imò nec ſupernaturaliter reduplicativè quoad modum exiſtendi indiviſibiliter. Eſt communis inter Scotiſtas & Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quidquid videtur* (oculo corporeo) *videtur ſub pyramide, cujus baſis eſt in re viſa, & conus in oculo; ergo & corpus Chriſti videtur ſub tali pyramide; ſed non eſt ibi dare baſim pyramidis, quia illa eſſet ſimul cum baſe pyramidis, ſub qua videtur hoſtia: nam ubique eſt corpus cum hoſtia; & tunc corpus Chriſti cum hoſtia ſimul viderentur ſub æquali angulo correſpondenti; ſed quæ videntur ſub eodem angulo, videntur æqualia; ergo corpus Chriſti videretur æquale ſpeciei: ſequeretur etiam, quòd corpus Chriſti videretur ut rotundum, ſicut baſis, ſub qua videntur ſpecies*; ſed hæc abſurda ſunt; ergo & falſa; ergo &c.

Prob. 2. ex eodem. Nam ſicut oculus corporeus eſt extenſus, ita & operatio ejus; ſed Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia non poteſt attingi viſione diviſibili, ſeu extenſa; nam eſt ibi indiviſibiliter; ergo &c. Prob. maj. Nam vel illa viſio conſideratur ex parte potentiæ, aut principii, aut termini; ſed neutro modo eſſe poteſt in oculo corporeo; ergo &c. Prob. min. Nam 1. principia effectiva viſionis ſunt objectum, & potentia; iſta eſt materialis, & extenſa, illud verò exiſtit hìc modo ſpirituali, & indiviſibili; ergo ſimul concurrere nequeunt ad eandem viſionem; ſed potiùs ad invicem repugnant: nam objectum non poteſt emittere ſpeciem diviſibilem, ſaltem extenſam; ſed deberet emittere ſpecies fere infinities replicatas; quia totum objectum eſt in tota hoſtia, & totum in qualibet parte, quæ ſunt infinitæ ſyncategorematicè. Prob. 2. eadem min. quia terminus viſionis extenſæ debet etiam habere extenſionem: & ſicut res ſpirituales ſunt extra ſphæram objecti potentiæ materialis, ita & res, quæ habent modum exiſtendi rerum ſpiritualium.

Hinc patet concluſio quoad utramque partem. Nam Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia, & ſub

[1] *d.1.q.9.n.2.& 3.n.4.*

ſub illo modo exiſtendi non poteſt naturaliter videri ob oculo corporis, nequidem ſupernaturaliter, multò minùs naturaliter.

Confir. quoad illam 1. partem: quia ad viſionem corpoream, quæ non poteſt eſſe abſtractiva, requiritur approximatio objecti ad potentiam; ſed naturaliter Corpus Chriſti ut exiſtens in Euchariſtia non poteſt approximari oculo corporeo; ergo nec videri ab illo.

Objic. 1. con. 1. p. Corpus Chriſti hìc habet quantitatem, & qualitates corporeas, v. g. colorem, figuram, & extenſionem internam; ergo de ſe eſt viſibile.

Reſp. diſt. conſ. eſt viſibile remotè, con. proximè, neg. conſ. Nam ut de ſe ſit viſibile, debet exiſtere modo proportionato potentię, & illi ſufficienter poſſe applicari: at utrumque deeſt huic corpori; nam potentia eſt de ſe extenſa extrinſecè, & in loco circumſcriptivè: Chriſtus verò hìc exiſtit indiviſibiliter, & non eſt in loco.

Inſt. Saltem oculus corporis beati poſſet illud videre; ergo &c. Prob. ant. Niſi enim in Euchariſtia videret Corpus Chriſti, deciperetur viſis ſpeciebus putans ibi ſubeſſe panem; ſed conſequens eſt inconveniens; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. Nam ſi uteretur lumine rationis, directè videret corpus illud, ut diximus, ſi ſolo lumine materiali oculorum, attingeret ſpecies ſenſibiles panis per ſimplicem intuitum, & apprehenſionem, & ſic non erraret; quia ſenſus non judicant, non affirmant, aut negant, id pertinet ad intellectum.

Objic. con. 2. p. Oculus corporis elevari poteſt ad videndum objectum ſpirituale; ergo multò magis ad videndum objectum materiale, licèt indiviſibiliter exiſtens, ut eſt Corpus Chriſti.

Reſp. ex dictis in Philoſophia, & in tract. de Deo neg. ant. nam objecta ſpiritualia ſunt extra ſphæram objecti totalis potentiæ materialis.

Objic. 2. Si daretur punctum mathematicum lucis, hæc poſſet videri ab oculo perſpicaciſſimo; ſed illud punctum eſſet indiviſibile; ergo indiviſibilitas non repugnat viſioni corporeæ, nec indiviſibilitas Corporis Chriſti in Euchariſtia, & quidem à fortiori,

quia hoc corpus eſt extenſum intrinſecè, & quantum.

Reſp. ex Scoto neg. maj. & ſubſumptum. Nam lux punctualis non poteſt mittere ſpecies ad organum corporeum.

Quæres, *an apparitiones Chriſti ſub ſpeciebus Eucharisticis, quæ in variis hiſtoriis referuntur, fuerint veræ, ac reales, an verò tantùm apparentes*. Hæc enim ſæpe Deus permiſit vel ad confirmationem fidei, & confuſionem, aut convictionem hæreticorum, vel ex ſpeciali favore erga ſanctos, ad excitandam reverentiam, & devotionem erga hoc myſterium, & alios pios affectus, & fines.

Reſp. cum Seraphico Doctore, [1] quòd *ſi miraculosè oſtenſum eſt, numquam tamen oſtenſum fuit in forma, quam ibi habet, ut communiter dicitur; quia oſtenſum fuit in forma parvuli, & ipſe Chriſtus eſt ibi ſecundum quantitatem, quam habet in Cœlo, & ſic eſt ibi cum qualibet parte; & iſte modus eſſendi abſtrahitur ab omni ſenſu* &c.

Igitur non fuerunt apparitiones ipſius corporis ut exiſtentis in Sacramento, ſed ſpecies, ſeu repræſentationes ejus aliquando apparentes per immutationem phantaſiæ illorum, quibus apparebat, aliquando per veram aliquam imaginem, ſeu ſpeciem. Primo modo ſunt illæ apparitiones, quæ parum durant, & paucis oſtenduntur: 2. verò, quæ plus durant, & omnibus oſtenduntur, ſaltem iis, qui in eodem loco adſunt; ſed ipſa realis caro numquam apparet, nec videtur.

QUÆSTIO IX.

De Chriſti deſitione in Euchariſtia: quomodo ibi deſinat eſſe.

Diximus, Chriſtum poni in Euchariſtia per adductionem, qua fit realiter præſens ſub ſpeciebus loco ſubſtantiæ panis, & vini, & hanc præſentiam conſiſtere in relatione reali extrinſecùs adveniēte reducibili ad prædicamentum *ubi*, licèt non ſit propriè locatio; nec ſpecies dici poſſent locus ejus: jam quærimus, quomodo, & quando deſinat ibi eſſe.

CON-

[1] *d.*10.2.*q.*2.*n.*60.

CONCLUSIO I.

Chriſtus deſinit eſſe ſub ſpeciebus Euchariſticis, quando iſtæ ſic mutantur, & corrumpuntur, ut corrumperetur etiam panis, & vinum, ſi adeſſent. Eſt communis quoad hoc contra quoſdam hæreticos volentes, Chriſtum deſinere eſſe in Sacramento ſtatim cùm tangitur labiis à peccatore: item contra aliquos Catholicos dicentes, Chriſtum ſolummodo manere, quamdiù conteritur in ore: & alios dicentes, tunc primùm deſinere, cùm ſpecies fiunt inutiles uſui humano, ut ſi à beſtiis corrodantur, aut in lutum cadant.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *In tali alteratione ad qualitatem, in qua non poſſet ſtare ſpecies panis, deſinit eſſe Euchariſtia; quia Deus ſtatuit non conſervare Euchariſtiam, hoc eſt accidentia ſine ſubjecto, in quibus ſit Corpus Chriſti, niſi quamdiù manent ibi qualitates natæ perficere ſubſtantias jam converſas* &c. ergo in tali corruptione ſpecierum, in qua non maneret in eis ſubſtantia panis, & vini, deſinit ibi eſſe Corpus, & Sanguis Chriſti. Idem docet in Reportatis: [2] *Illis* (accidentibus) *corruptis, deſinit ibi eſſe Corpus Chriſti; quia ſtatuit Deus, quòd quandiu remanerent ſpecies in Euchariſtia, remaneret ibi Corpus ſuum, etiam quàm citò illæ deſinerent, deſineret Corpus Chriſti in illis eſſe.*

Prob. 2. Nam Corpus Chriſti in hoc Sacramento ponitur loco ſubſtantiæ panis, & vini; ergo quamdiù ibi durare debuiſſet ſubſtantia panis, & vini, tamdiù debet ibi eſſe, & eorum loco permanere Corpus, & Sanguis Chriſti, & tunc primùm ibi deſinere, quando & illa deſinere debuiſſent, ſc. corruptis eorum accidentibus.

Prob. 3. Nam experientia conſtat, quòd ſpeciebus corruptis generantur ex eis vermes, cineres, pulvis, aut aliæ ſubſtantiæ, & accidentia, ſub quibus Deus non inſtituit Euchariſtiam, nec voluit corpus ſuum eſſe, ſed ſub ſolis accidentibus panis, & vini, ſub quibus voluit fieri cibus, & potus noſter; ergo &c.

Obiic. Si deſineret ibi Corpus Chriſti, accidentia

[1] *d. 12. q. 5. B. 5.*
[2] *Ibid. q. 4. n. 5.*

remanerent naturaliter ſine ſubjecto, vel ex eis deberet generari alia ſubſtantia; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c.Prob. min. non 1. quia conſervatio accidentium ſine actuali inhærentia in ſubjecto ſubſtantiali eſt prorſus miraculoſa; ergo &c. non 2. quia deberet illa ſubſtantia ibi poni per creationem; nam accidentia non ſunt materia apta, ex qua poſſit generari ſubſtantia; ergo.

Reſp. diſt. maj. & conſ. prob. quoad 2. p. Nam quomodo nova ſubſtantia ibi generetur videbimus infra; interim nihil prohibet Deo id tribuere.

CONCLUSIO II.

Chriſtus deſinit in Euchariſtia non per veram, & propriam mutationem, non per localem, nec per ſubſtantialem purè moralem, ſed per realem, quæ conſiſtit in deperditione, ſeu deſitione præſentiæ realis, quam per conſecrationem, & adductionem acquiſierat ſub ſpeciebus illis: Eſt communis inter Scotiſtas, & ſequitur ex dictis ſupra de præſentia Chriſti in Euchariſtia, quam diximus conſiſtere in relatione extrinſecùs adveniente, & de actione, per quam hic ponitur.

Eſt autem contra plures docentes, deſitionem illam eſſe puram denominationem extrinſecam, aut purum motum localem, quo dicitur in Cęlum rapi, ut dicitur in Canone, *Tribus gradibus*: [1] aut mutationem ſubſtantialem, qua perdat eſſe ſubſtantiale, quod putant Chriſtum accipere per productionem, cum ibi poſitus eſt.

Prob. 1. ex Scoto. Nam docet, quod *poſitio Chriſti in Sacramento fit per adductionem, qua acquirit præſentiam novam, quæ eſt aliquis reſpectus extrinſecus adveniens novus ſine omni mutatione* (per formam abſolutam) *nec mutari, tunc erit ab alio in aliud ire*, (ſc. moveri localiter) ſcilicet deſitio exiſtentiæ nihil erit præter deperditionem talis præſentiæ, ſeu relationis extrinſecus advenientis, qua dicebatur præſens ſpeciebus corruptis, quamdiù exiſtebant integræ poſt conſecrationem, & præſentiæ, ſeu ſimilis relationis, qua illæ dicebantur præſentes, & continentes eum.

Prob. 2.

[1] *De conſecr. d. 2.*

Prob. 2. Nam ibi eſt vera, & realis mutatio, ubi fit tranſitus rei à forma reali ad non formam illam; ſicut eſt, ubi fit tranſitus à non forma ad formam realem: ſed Corpus Chriſti per corruptionem ſpecierum panis, & vini tranſit à forma reali ad non formam; ſc. perdit præſentiam illam realem, quæ eſt relatio realis extrinſecus adveniens, dum corrumpuntur ſpecies; ergo, &c.

Confir. Nam ſi Chriſtus deſineret eſſe in ſpeciebus, quamvis ipſæ non ceſſarent exiſtere, adhuc diceretur mutari realiter quoad illam relationem præſentiæ realis; ergo & ita mutatur, quando amittit eandem præſentiam, ſicut & ipſæ ſpecies, dum corrumpuntur.

Prob. 2. p. de mutatione locali. Nam Chriſtus nec locum novum acquirit per illam deſitionem, nec antiquum propriè locum amittit; quia non erat ibi localiter ſaltem propriè, ut dictum eſt, & ſic pure ceſſat eſſe præſens ſine alio motu in cœlum, ubi non deſinit eſſe, cùm ſit præſens hic.

Prob. 4. de morali. Nam præſentia Chriſti non eſt moralis, ſed phyſica; ergo deſitio ejus erit & phyſica mutatio.

Prob. denique tota concl. ex eodem Scoto: [1] quia talis eſt mutatio, qualis forma per mutationem acquiſita, aut perdita; ſed forma perdita in tali deſitione eſt forma realis, & phyſica, & intrinſecè inhærens Chriſto, non ſubſtantialis, ſed accidentalis, ut probatum eſt, ſc. præſentia: ergo &c.

Confir. de mutatione ſubſtantiali. Nam ſi Chriſtus deſineret ibi eſſe per mutationem ſubſtantialem, toties mutaretur ſubſtantialiter, quoties deſineret eſſe hic ſacramentaliter; ſed hoc eſt abſurdum, & diſconveniens dignitati Corporis Chriſti; ergo &c.

Confir. 2. quia ſi mutaretur ſubſtantialiter, id fieret vel per converſionem in aliam ſubſtantiam, vel per aliqualem annihilationem ejus, qualis eſt deſtructio panis per conſecrationem, vel per propriam corruptionem; ſed nihil horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non per converſionem, vel annihilationem, quia Corpus Chriſti eſt incorruptibile, & naturaliter indefectibile, ſeu inconvertibile, & remanet totus in Cœlo, & alibi; & indignum eſſet Chri-

[1] *Ibid.*

ſto converti in vermem, pulverem &c.2. non per propriam corruptionem, quia deberet remanere materia corrupti, ſc. materia Corporis Chriſti, quod abſit dicere: & præterea dictum eſt: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Mutatio realis recipitur in ſubjecto, quod ſic mutari dicitur; ſed hoc dici non poteſt de Chriſto deſinente eſſe in Euchariſtia; ergo &c. Prob. min. quia nihil de Chriſto remanet ibi, ut illi inhæreat mutatio; ergo &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam in mutatione poſitiva, quæ eſt de una forma poſitiva ad aliam, debet aliquid mutati remanere, non autem in mutatione purè negativa, quæ eſt de eſſe ad non eſſe, de præſentia ad non præſentiam, qualis eſt iſta.

Objic. con. 3. Actio conſervativa Corporis Chriſti in Euchariſtia diſtinguitur à conſervativa præſentiæ illius; & iſta non ſufficit ſine illa; ergo deſitio exiſtentiæ Chriſti importat ceſſationem utriuſque actionis; ſed illa prima actio terminatur ad ſubſtantiam; ergo deſitio iſta eſt mutatio ſubſtantialis.

Reſp. neg. conſ. imò ſequitur 2. poſſe deſinere ſine prima; ſicut Chriſtus poteſt conſervari in ſe, & ſecundum eſſe ſuum in Cœlo, v. g. quoad eſse ſubſtantiale locale, & deſinere conſervari præſens in altari.

Inſt. 1. In hac deſitione tam ceſsat eſse ſubſtantialiter, & ſimpliciter, quam præſentialiter, ſeu localiter in altari; quia ibi eſt etiam ſubſtantialiter æquè, ac ſi non exiſteret alibi; ergo hæc deſitio eſt ſubſtantialis mutatio. Prob. ant. Nam ſi deſinens eſse ſub ſpeciebus non deſineret eſse ſimpliciter, remaneret ſubſtantialiter alibi, aut nullibi: non alibi; ubi enim? non nullibi, quia nihil poteſt exiſtere ſine ubi.

Reſp. neg. ant. & min. Nam in tali caſu remaneret aut in loco, ubi erant ſpecies, vel alibi ad beneplacitum Dei. Corpus ergo Chriſti non deſinit eſse ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter.

Objic. 2. Quando in cœna ſumpto Sacramento conſumptæ ſunt ſpecies panis in ſtomacho Apoſtolorum, vel Deus continuavit conſervare ſubſtantialiter Corpus Chriſti, prout erat in Sacramento, vel ceſsavit conſervare quoad illud eſse: ſi continuavit; ergo Chriſtus remanſit exiſtens ſecundum illud eſse ſubſtan-

ſtantiale replicatum: ſi ceſsavit conſervare; ergo mutatus eſt Chriſtus quoad eſse ſubſtantiale.

Reſp. diſt. ant. ceſsavit conſervare, prout erat in Sacramento, & quoad illam præſentiam, & ſecundum quid, con. quoad eſse exiſtentiæ abſolutè, & ſimpliciter, neg. maj. Nam quoad iſtud eſse nunquam immutatus eſt Chriſtus, ſed tantùm quoad præſentiam illam ſacramentalem.

Objic. 3. Eodem modo corruptis ſpeciebus deſinit Corpus Chriſti ibi eſse, ac ſi Angelus deſineret conſervari in hac ſchola; ſed iſte Angelus hic deſineret eſse ſimpliciter, & ſubſtantialiter; ergo & Chriſtus ibi.

Reſp. neg. maj. Nam Angelus non habens hic aliud eſse, quam ſubſtantiale cum accidentali, totus, & ſimpliciter deſinit eſſe, cum deſinit ibi conſervari. Non ita eſt de Chriſto, qui cùm ſit idem numero in Cœlo, & in omnibus hoſtiis, non amittit in ſingulis niſi eſſe accidentale: ſemper alicubi exiſtit ſimpliciter, & quoad eſſe ſubſtantiale.

Inſt. Aliter Chriſtus deſinit eſſe in hoſtia dum conſumitur, quàm anima deſinat eſſe in brachio, vel crure, cum abſcinditur; ſed anima in hoc caſu ceſſat tantum eſſe in illis membris per retractionem localem in ſe ipſam; ergo Chriſtus deſinit eſſe ſubſtantialiter in hoſtia; alioqui hoc fieret per puram retractionem localem in templum.

Reſp. neg. maj. Nam illa paritas, & comparatio retractionis animæ in ſe ipſam inſervit ad explicandam opinionem noſtram. Nam ſicut illa, abſciſſo brachio, remanet ſubſtantialiter integra; nec amittit niſi præſentiam, & unionem, quam habebat in illo ante abſciſſionem; ita eſt de Chriſto in una hoſtia per corruptionem ſpecierum.

Inſt. 3. Si Chriſtus nullibi exiſteret, niſi in una hoſtia Camberii, corrupta illa, ceſſaret ſimpliciter, & ſubſtantialiter exiſtere; ergo idem eſt de ceſſatione ejuſdem in eodem altari, licèt alibi ſimul exiſtat.

Reſp. neg. ant. Nam, ut diximus, ceſſaret quidem in eo caſu eſſe præſens in illa hoſtia, vel altari quoad præſentiam illam accidentalem; ſed conſervaret ſubſtantialem in ſe, & in eodem altari, vel alibi, ubi Deus, vel ipſe vellet.

Quæres, *An illa deſitio Chriſti ſub ſpeciebus in caſu corruptionis earum dici poſſet converſio, quandoquidem ſemper ſubſtantiæ corporis ejus ſuccedit alia ſubſtantia; ſicut ſubſtantia Corporis ejuſdem ſuccedit ſubſtantiæ panis.*

Reſp. negativè; nam licèt ſuccedat ei talis alia ſubſtantia, v. g. vermis, aut cineris: tamen deſunt ei aliæ conditiones ad veram, & propriam converſionem. Prima eſt, ut ſubſtantia, quæ dicitur converti, penitùs deſinat eſſe ex vi actionis converſivæ: at Chriſtus non ita deſinit eſſe: nam ſemper exiſtit ſubſtantialiter in cœlo. 2. requirunt aliqui, ut terminus *a quo*, ſeu res converſa remaneat in termino *ad quem* ſecundum aliquid commune, ut ſubſtantia panis remanet quoad ſua accidentia: corpus autem Chriſti nihil hic relinquit in mixto ſuccedente accidentibus corruptis, &c.

Quæri poſſet, à quo illa accidentia poſſint corrumpi, aut alterari: & quænam mixtio deſtruat Sacramentum, &c. ſed de his in ſequenti diſputatione.

DISPUTATIO IV.

De accidentibus, ſeu ſpeciebus Euchariſticis.

QUia diximus, per conſecrationem fieri tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti, remanentibus accidentibus panis, reſtant pauca examinanda circa hæc accidentia, quæ hic ſubjiciemus, ut plenior habeatur hujus myſterii notitia.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo omnia accidentia panis, & vini ſint in Euchariſtia ſine ſubjecto.

SUppono 1. ut certum eſt de fide, accidentia ſaltem abſoluta, & ſenſibilia omnia panis, & vini poſt conſecrationem immutata permanere, quamvis abſit ſubſtantia panis, & vini, cui inhærebant, & a qua ſuſtentabantur. Et conſtat ex definitione Concilii Trident. [1] docentis, ibi non manere ſubſtantiam pa-

[1] *Seſſ. 13. can. 2.*

panis, & vini, ſed illam totam converti in Corpus, & Sanguinem Chriſti, *manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini*. Et id etiam patet ex ſenſibus: nam nullam mutationem advertunt in colore, figura, quantitate, odore, ſapore, &c. Sed hæretici diſputant, & non credunt, illa poſſe exiſtere ſine aliquo ſubjecto ſubſtantiali, cui inhæreant; quia volunt eſſentiam accidentis conſiſtere in actuali inhæſione, non autem ſolum in aptitudinali, ut diximus in Philoſophia; ideoque ſuſtinent illa non poſſe ab omni ſubſtantia ſeparari, & ſeparata exiſtere per ullam potentiam: & id damnatum fuit in Concilio Conſtantienſi contra Jo: Hus, qui dicebat, quod *fingere accidens ſine ſubjecto erat blaſphemare in Deum, ſcandalizare ſanctos, & illudere Eccleſiæ per verba accidentis*.

Suppono 2. ex eadem Philoſophia diſtinctionem realem quantitatis a materia, & hanc cum aliis accidentibus panis, & vini remanere poſt conſecrationem. An autem quantitas ſic exiſtens ſeparata ab omni ſubjecto ſubſtantiali indigeat novo aliquo Dei concurſu conſervativo, non repetimus: vide in eadem Philoſophia: ſupponimus, partem negantem eſſe veriorem, & Scoto conformem.

Dixi ab initio remanere accidentia panis, & vini abſoluta, & ſenſibilia: nam certum eſt, quod relationes inhærentiæ, & ſuſtentationis, & ſimiles, quibus ſubſtantia reſpicit quantitatem, & alia accidentia, & viciſſim quibus iſta reſpiciunt ſubſtantiam, neceſſario pereunt cum illa: quippe nulla relatio actualis exiſtit ſine ſuis terminis, & fundamentis. 2. non eſt certum, an præter accidentia ſenſibilia, quæ dicuntur hic ſpecies ſenſibiles, adſint in pane, & vino aliquæ inſenſibiles præter metaphyſicas, de quibus non diſputamus; & ſi aliquæ ibi ſint, etiam dubium eſt, an ibi remaneant; ſaltem id non videtur definitum; nec enim forte de illis cogitarunt Concilia citata ſub nomine accidentium, quæ dixerunt ſola remanere. His præmiſſis.

CON-

CONCLUSIO I.

Accidentia realia, & abſoluta panis, & vini, quæ remanent cum corpore Chriſti poſt conſecrationem, ibi ſunt ſine omni ſubjecto ſubſtantiali; non tamen omnia ſine ſubjecto accidentali. Eſt de fide quoad 1. p. & communiſſima quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui diſtinguit de ſubjecto accidentium *ultimate*, ſeu *remoto*, quod terminat ultimate dependentiam alicujus formæ accidentalis; ut ſola ſubſtantia eſt ſubjectũ accidentium: *& non ultimate*, ſeu *proximo*, quod terminat illam dependentiam proxime, & non ultimate, quia ſc. iſtud ipſum pendet ab alio ulteriori, & ultimato: ſic quantitas immediate ſubjectat albedinem, & ipſa ſubjectatur in ſubſtantia, quæ reſpectu albedinis eſt ultimatum, quantitas vero proximum. *Primo modo planum eſt, quod nihil poteſt eſſe ſubjectum accidentis*, (ſc. ultimatum) *2. modo dico, poſſibile eſſe aliquod accidens eſſe ſubjectum accidentis... & poſſibile eſt, accidens quodcumque abſolutum eſſe poſſe ſine ſubjecto utroque modo; ſed impoſſibile eſt, accidens relativum eſſe ſine ſubjecto 2. modo, ſc. proximo, & non ultimo, ſed de facto quid? Reſpondeo, accidens reſpectivum eſſe hic in ſubjecto 2. modo; ergo relatio præſentiæ ſubjectatur in ſpeciebus, & terminatur ad Corpus Chriſti, & viciſſim: Sed de abſolutis qui dicunt, quantitatem eſſe aliam eſſentiam ab eſſentia ſubſtantiæ corporeæ, & qualitatis, ut dicit communis opinio, dicerent, quantitatem hic eſſe ſine ſubjecto, ſed non qualitatem; imo quod qualitas eſt in quantitate*, &c. ergo ex Scoto accidentia abſoluta ſunt in Euchariſtia ſine ſubjecto ſubſtantiali, ſeu ultimato, non autem ſine proximo, ſeu accidentali, ſaltem quoad qualitatem; nam quantitas ibi vere eſt ſine omni ſubjecto.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Conciliis Lateran. c. *Firmiter*, & Florent. & Tridentino docentibus, per conſecrationem fieri tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti; ſed tranſubſtantiatio non eſſet vera, niſi tota panis, & vini ſubſtantia deſineret eſſe ſub ſpeciebus, & niſi iſtæ remanerent

[1] *D. 12. q. 2. H.*

rent integræ ſine ſubſtantia; ergo &c. Maj. conſtat ex dictis: prob. min. 1. quia ex dictis conſtat, de ratione tranſubſtantiationis eſſe, ut prior ſubſtantia tota deſinat, & illi alia ſuccedat ſub iiſdem accidentibus communibus, quæ remanent. 2. quia niſi accidentia quædam termini *a quo* remaneant ſub termino *ad quem*, ſeu ſub nova ſubſtantia, ſc. ſub Corpore Chriſti, non eſſet tranſitus, nec mutatio, ſed pura ſucceſſio unius compoſiti ad aliud 3. quia non eſſet ratio, cur poſt conſecrationem Chriſtus diceret: *Ego ſum panis vivus*, nec quod caro *ejus eſſet cibus*: nihil enim ibi eſt manducabile, & potabile præter ſpecies panis, & vini.

Confir. ex dictis. Nam Concilia citata definiunt, remanere ſola accidentia panis, & vini; & damnant propoſitiones hæreticorum dicentium, quod *accidentia panis, & vini non manent ſine ſubjecto*, ut dicebat VVicleff. & talis eſt mens totius Eccleſiæ, & omnium Theologorum Catholicorum, paucis admodum exceptis. Nam quidam dicuntur hoc ſæculo docuiſſe, quod cum ſubſtantia panis, & vini pereunt, ita etiam omnia eorum accidentia, & loco ipſorum ponuntur a Deo ſpecies intentionales eorumdem, ſub quibus latet Corpus, & Sanguis Chriſti. Sed hæc opinio nova, & temeraria, imo & erronea, & hæretica cenſetur a Patribus noſtris Pontio, & Gavatio, & Herink.

Confir. 2. ex Patribus. Nam Baſilius putat, lucem, quæ primis creationis diebus luxit, fuiſſe ſine ſubjecto, ſed per ſe exiſtentem: [1] *Ne dixeris, fieri hoc non poſse, ut lux a ſolis corpore ſeparetur: neque enim hanc ſeparationem mihi, ac tibi poſſibilem dico; ſed aſſerendum eſſe cenſeo, quæ mentis ſola cogitatione diſparari a ſe poſſunt, ea re ipſa ſejungi facultate Creatoris.* [2] Idem docent Nazianz. Orat. de novo die Dominico, & Theodoret.

Prob. 3. Nam accidentia Euchariſtica non inhærent ſubſtantiæ panis, & vini, quia non ſunt ibi, nec Corpori Chriſti, quod eſt inalterabile, nec alteri ulli, quia nulla alia ibi eſt præter Corpus, & Sanguinem Chriſti. Præterea accidens non tranſit de ſubjecto in ſubjectum, ſc. de ſubſtantia panis in ſub-

ſtan-

[1] *hom. 6.* [2] *in ſen. q. 14. & 16.*

ſtantiam Chriſti, vel alterius; nec denique in aere circumſtante, quia illis immotis movetur totus aer circumſtans. Uno verbo, non poteſt aſſignari ullum tale ſubjectum ſubſtantiale, & ultimatum: ergo &c.

Prob.2. p. Nam omnes qualitates ſubjectantur proxime, & immediate in quantitate, quæ ſola eſt ſine ullo ſubjecto, & eſt ſubjectum proximum, & accidentale aliorum; ergo &c. Prob.ant. quoad 1.p. Nam ſi qualitates non ſubjectarentur in quantitate, non poſſent extendi, vel arctari, nec intendi, vel remitti, nec calefieri, vel refrigeſcere naturaliter; ſed conſ. eſt falſum, & contra experientiam, maxime de calice, in quo ſpecies congelantur, & diſſolvuntur, & calefiunt &c. ergo &c. Prob. maj. Nam omne agens naturale requirit ſubjectum, in quod agat; nec quidquam facit in nihilo, vel de nihilo; & cum calefierent ſpecies, frigus annihilaretur, & calor crearetur; ſed hæc falſa ſunt; ergo &c.

Dices. Quantitas eſt ſine omni ſubjecto, & tamen poteſt naturaliter deſtrui; ergo illa ratio non valet; aut diceretur eam tunc annihilari, cum minuitur, & deſtruitur, aut creari, cum augetur.

Contra: quia ipſamet eſt in ſe, & per ſe diviſibilis; & cum ſic alteratur, ut deſtrui debeat, hoc fit a Deo, qui loco illius creat aliquam ſubſtantiam cum nova quantitate, aut ſinit annihilari ceſſando conſervare illam. Non nego tamen, quin poſſent de potentia extraordinaria conſervari alia accidentia abſoluta, & qualitates ſine omni ſubjecto, ut ſuppono ex Philoſophia, ſed loquor de facto, ut fit in Euchariſtia.

Objic. 1. con. 2. p. Subſtantia nequit exiſtere ſine actuali perſeitate; ergo nec accidens ſine actuali inhærentia; quia tam eſt de eſſentia accidentis inhærere actu, quam ſubſtantiæ eſſe per ſe actu.

Reſp. neg.conſ. & ant. prob. quia per aptitudinalem perſeitatem non ſalvatur conceptus eſſentialis ſubſtantiæ, bene vero conceptus eſſentialis accidentis cum inhærentia aptitudinali, ut ſi ei deſit ſubjectum ſubſtantiale, cui actu inhæreat.

Reſp.2. neg. ant. Nam ex myſterio Incarnationis patet, naturam ſubſtantialem exiſtere ſine ſua propria ſubſiſtentia; ſed per alienam, ſc. divinam ſubſiſtit.

Objic. 2. Deus non poteſt ſupplere defectum cauſæ mate-

materialis; ſed ſubjectum ſubſtantiale ſe habet ut cauſa materialis accidentium; & deberet ſupplere defectum talis cauſæ, ut ea conſervaret ſine ſubjecto ſubſtantiali; ergo iſta non poſſunt eſſe ſine ſubjecto ſubſtantiali.

Reſp. diſt. maj. ſupplere ſubjective, ſeu paſſive, con. effective, neg. mai. Nam Deus hic non ſupplet defectum ſubjecti per informationem, ſeu ad inhæſionem paſſivam, ſed active, illa ſubſtentando per voluntatem ſuam.

Objic. 3. Niſi accidentia haberent ſubjectum, eſſent in ſtatu violento, quia inclinantur, & appetunt inherere; ſed hoc non decet ſummam Dei ſapientiam, & bonitatem; ergo &c. Prob. min. quia innumera accidentia per totum orbem, & tot ſæcula paterentur violentiam; ergo &c.

Reſp. neg.maj.& 2. conſ. quia omnis creatura prius, & magis inclinatur ad obedientiam in Deum, quam in bonum proprium: imo & dum ſic conſervantur, nobilitantur, & honorantur; quia conſervantur extra dependentiam a ſubjecto, & ſuper ſe elevantur.

Quoad 2. p. [1] objectiones ſolutæ ſunt in Philoſophia, ubi de ſubjecto accidentium: nec vacat eas hic repetere.

Quæres, *utrum illa accidentia ſic ſeparata indigeant aliquo modo poſitivo, qui dicatur perſeitas, aut concurſu novo diſtincto, & differenti ab eo, quo conſervabantur unita ſubſtantiæ panis, & vini*.

Reſp. difficultatem eſſe mere philoſophicam, & non hujus loci. Vide P.Maſtrium. [2] Interim per tranſennam dico, accidentia Euchariſtica ſic ſeparata non indigere modo aliquo novo poſitivo perſeitatis, nec novo, & differenti concurſu: ſed ſufficere ceſſationem concurſus conſervativi ſubſtantiæ panis, & vini.

Ratio eſt 1. ex Scoto dicente, quod[3] *ſicut idem eſt eſſe accidentis in pane, & ſine pane, ita & idem modus eſſendi*: & quod *nihil novum accidit eis, niſi deſitio, ſeu privatio reſpectus inhærentiæ: quia eſſe illud in pane fuit ſubjectum cujuſdam reſpectus realis ad panem; quando autem eſt per ſe, privatur illo reſpectu* &c.

Qui-

[1] *to.3.d.7.q.6.* [2] *Phyſic.d.3.n.55.*
[3] *d.12.q.1.Q.20.*

Quidam volunt, quod ſaltem requiritur fortior concurſus conſervativus accidentium in ſtatu ſeparationis, ut loquitur Herink: ſed ex parte Dei nihil innovatur; ex parte autem termini, ſeu accidentium nihil video novi præter ceſſationem conſervationis ſubſtantiæ panis, & vini, & continuationem conſervationis accidentium.

Prob.2. Nam ſecluſo omni modo, vel actione nova tam ex parte Dei, quam accidentium, hoc ipſo quod Deus vult non conſervare ſubſtantiam panis, & vini, & conſervare accidentia illorum, ſatis intelligitur, quod illa exiſtant ſine ſubjecto, & per ſe; tamen res mihi videtur parvi momenti.

QUÆSTIO II.

Quid accidentia Euchariſtica poſſint agere, vel pati

CUm eadem realiter accidentia, quæ ſubſtantiam panis, & vini comitabantur, remaneant in Euchariſtia cum Corpore, & Sanguine Chriſti ſine ſubjecto ſubſtantiali, ut vidimus, quærimus, an ibi remaneant cum omnibus virtutibus, & efficaciis ſuis, ita ut eaſdem actiones, eoſdem effectus, quos producebant unita ſubſtantiæ panis, & vini, efficiant ſeparata, & in præſentia Chriſti: v. g. an ſpecies vini calefaciant, & inebrient ſumptæ in magna quantitate, ut faciunt in vino ipſo, & an ſpecies panis in corruptione generent vermes, & nutriant, & in ſtomacho faciant chilum, & ſanguinem.

Suppono autem ex Philoſophia, nullum accidens generare ſubſtantiam nec principaliter, nec inſtrumentaliter, ſed diſpoſitive.

CONCLUSIO I.

Accidentia Euchariſtica per influxum accidentalem agunt hic eadem, quæ agebant in pane, & vino tam ad actionem realem, quam intentionalem. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [a] *Triplex actio convenire poteſt accidentium*

[a] *d. 12. q. 3. B. 7.*

cidentibus. 1. *reſpectu ſubſtātiæ generandæ*; (hanc negat illis) *& duæ reſpectu accidentium cauſandorum*; *una intentionalis reſpectu ſenſationis*; *alia realis in paſſum realiter habens contrarium*: *& de illis duabus actionibus in ſenſum, & intellectum quoad intentionalem, & in contrarium quoad realem. Accidens ſeparatum, ſaltem eo modo, quo qualitas tertiæ ſpeciei eſt hic ſeparata, ſc. ſine ſubſtantia poteſt eſſe principium utriuſque actionis eo modo, quo prius*: ergo ex Scoto [1] accidentia Euchariſtica habent eaſdem actiones in Sacramento, quas in pane, & vino.

Prob. 2. quia hæc accidentia retinent eandem naturam; ergo & eandem virtutem, ut eadem agant. Nam forma manens in eſſe eadem retinet eandem virtutem.

Confir. quia ſi quid deeſſet ad illas actiones, maxime inhærentia actualis; ſed hic defectus nihil impedit: ergo &c. Prob. min. Inhærentia illa in pane nihil conferebat præter exiſtentiam; ſed exiſtentia illorum tam perfecta eſt in Euchariſta, quam in pane, & vino; ergo nihil deeſt ad agendum.

Prob. 3. de actionibus intentionalibus. Nam experientia docet, quod eaſdem ſpecies immittunt in oculos, & alios ſenſus internos, & externos; & cauſant eaſdem ſenſationes, calefaciunt, humectant, refrigerant, inebriant, ſi exceſſive potentur; cooperantur ad corruptionem qualitatum contrariarum; ergo habent eoſdem effectus, & actiones intentionales in Euchariſtia & ſeparatas, ac unitas.

Prob. 4. Quando una forma de ſe habet totale principium activum alicujus actionis, ſi manet in ſe ſola cum debito modo ad agendum, poteſt ſe ſola id agere, quod agebat in alio; ſed accidentia Euchariſtica habent totale principium illarum actionum, & ſunt ibi debito modo ad agendum; ergo & in illo ſtatu, ſc. ſe ſolis poſſunt eadem agere. Prob. min. & 1. de actione intentionali hoc patet experientia quoad viſum, tactum, guſtum, &c. ſenſus nullam ibi percipiunt differentiam.

2. De actione reali patet etiam eadem experientia. Nam vinum eodem modo producit humiditatem, & frigus; ſuum colorem imprimit, & communicat aquæ &c. ergo &c.

[1] *Ibid.* K. *n.* 12.

Objic.

Objic. 1. Si accidentia iſta haberent eaſdem actiones in Sacramento, quas habebant in pane, & vino, poſſent æque alterare, & corrumpere alia corpora, & ſubſtantiam, & producere novam: ſed conſ. eſt falſum: ergo &c. Prob. maj. Poſſent qualitates ſibi contrarias ſic alterare, ut formæ ſubſtantiales non poſſent ſub illis manere: ergo corrumperent ſubſtantias: Item qualitates ſibi ſimiles producerent in illis materiis: & ſic diſponerent ad novas formas ibi producendas: quippe corruptio unius eſt generatio alterius: nec corruptio contingit ſine generatione.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam accidentia conjuncta non poſſunt alterare alia corpora uſque ad corruptionem formæ ſubſtantialis: ergo nec ſeparata.

Inſt. Omnes gradus contrarii ſunt homogenei: ergo ſicut accidentia vini poſſunt corrumpere unum, aut duos gradus in corpore vicino, ita & alios omnes: v. g. ſi poſſunt corrumpere in aqua unum, aut duos gradus frigiditatis, ita & alios, qui neceſſarii ſunt ad conſervationem formæ ſubſtantialis aquæ in ſua materia.

Reſp. diſt. ant. ſunt ejuſdem rationis intrinſece, & in ſe, con. extrinſece, & ex parte formæ ſubſtantialis, neg. ant. & conſ. Nam ultimi gradus, ſine quibus forma aquæ (& ſic de aliis) conſervari non poteſt, firmius illi adhærent: quia illos fortius ſibi retinet, & pro illis pugnat contra agentia contraria. In accidentibus autem unitis pugnat pariter ſubſtantia, cui ſunt unita, ut reliquos gradus vincat, donec deficiant penitus illi, ſine quibus alia forma conſervari nequit; & ſic ſequitur ejus corruptio.

Inſt. 2. Tanta poſſet eſſe vis activa ſpecierum Euchariſticarum, v. g. tantus calor vini, & tam debilis frigiditas aquæ, ut longe ſuperaret iſtam, & ſic totam expelleret; & in hoc caſu, deſtructis ultimis diſpoſitionibus ad corruptionem, adhuc non ſequeretur corruptio; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. non ſequeretur corruptio virtute accidentium, con. virtute divina, neg. maj. Nam Deus ſuppleret defectum proprii ſubjecti ſubſtantialis ſpecierum, ut corrumperet illud compoſitum, & produceret aliam formam in illa materia, ut mox videbimus.

CON-

CONCLUSIO II.

Accidentia Euchariſtica non producunt ullam ſubſtantiam nec principaliter, nec inſtrumentaliter; ſed ſi aliqua ſubſtantia in iis corruptis generatur, hæc a ſolo Deo producitur.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod poſſet poni triplex actio convenire accidentibus: una reſpectu ſubſtantiæ generandæ; & hæc nullo modo poteſt competere accidenti ſeparato, qualia ſunt accidentia Euchariſtica,* &c. Quod in terminis dicit inferius concl. 1. [2] *quod accidens ſeparatum nullo modo poteſt eſſe principium actionis ad ſubſtantiam, & hoc inſtrumentale virtute ſubſtantiæ, quæ non eſt.* Et concluſione 2. quod [3] *accidens non poteſt eſſe principium effectivum generandi ſubſtantiam principaliter;* quod etiam probat ſolide per totam quæſtionem. [4]

Prob. 2. ex eodē. [5] Omne agēs totale vel eſt univocum, & ita æque perfectum producto, vel æquivocum, & ita perfectius; ſed omne accidens eſt omnino imperfectius ſubſtantia; ergo &c. prob. maj. quam dicit eſſe notiſſimam in Philoſophia: quia ſi hoc negetur, neſcirem probare aliquem ordinem entium: imo neque primum ens eſſet perfectiſſimum, imo poſſet proterviando dici, quod totum univerſum, & quodlibet in eo factum eſſet a muſca &c. ergo accidentia ſeparata, imo nec unita non poſſunt producere ſubſtantiam.

Prob. 2. p. de cauſalitate inſtrumentali. Nam ut accidens cauſaret ſubſtantiam inſtrumentaliter, deberet agere ut motum, vel in virtute alicujus ſubſtantiæ, ſeu cauſæ ſuperioris; ſed neutrum dici poteſt de accidentibus Euchariſticis; quia ibi nulla eſt ſubſtantia, quæ moveat, aut quæ virtutem influat; ſunt enim prorſus ſeparata ab omni ſubjecto ſubſtantiali, ut probatum eſt; ergo &c.

Prob. denique quoad utramque partem. Accidentia in Euchariſtia non plus poſſunt, quam unita propriæ ſubſtantiæ panis, & vini; ſed unita non poſſunt producere ſubſtantiam nec principaliter, nec inſtrumentaliter;

[1] *Ibid. B. n. 7.* [2] *Ibid. D. 9.* [3] *Ibid. F. 13.*
[4] *Ibid. D. n. 9.* [5] *Ibid. F. n. 13.*

liter; ergo nec ſeparata in Euchariſtia. Prob. min. (nam de majori nullus dubitat) Si ſeparata poſſent ſic agere, id facerent vel propria virtute, vel virtute alicujus ſubſtantiæ, v. g. ſubſtantiæ præteritæ panis, & vini; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non virtute propria, alioqui eſſent cauſæ principales, non autem inſtrumentales; ſed adverſarii hoc non admittunt; ergo &c. 2. non virtute ſubſtantiæ deperditæ, quia quod non eſt, non poteſt agere, aut influere virtutem; ſed ſubſtantia panis, & vini prorſus non eſt; ergo &c. Prob. maj. Operari ſequitur eſſe. Vide plura in Philoſophia, ubi quæritur, an accidentia producant ſubſtantiam.

Prob. 3. p. quia non poteſt illa ſubſtantia produci ab ulla creatura; ergo eſt a ſolo Deo. Prob. ant. Nulla creatura poteſt aliquid facere ex nihilo; ſed tales ſubſtantiæ fiunt ex nihilo ſui, & ſubjecti: nihil enim ibi remanet vel de pane, vel de ulla alia ſubſtantia, nequidem accidentia, quia ſupponuntur corrupta; ergo illa ſubſtantia, quæ ſupponitur generi ex ſpeciebus corruptis, producitur ex nihilo; ergo per creationem.

Prob. 2. quia Dei eſt ſupplere defectum cauſæ 2. cum id exigit natura; ſed hæc exigit, ut corruptis illis ſpeciebus generetur aliquid ex eis, v. g. vermes, cineres &c. quæ de facto videmus eis ſuccedere; & nulla eſt aſſignabilis cauſa creata, quæ illa poſſit producere; ergo &c.

Objic. 1. Accidentia ſeparata poſſunt corrumpere ſubſtantiam, & producere aliam: nam generatio ſuccedit naturaliter corruptioni; ergo &c. Prob. ant. Nam ingens calor ignis poſſet corrumpere guttam aquæ.

Reſp. neg. ant. & prob. Numquam enim calor per ſe auferet ultimas diſpoſitiones formæ ſubſtantialis aquæ, niſi adſit aliud agens ſubſtantiale, ut diximus,

Objic. 2. Accidentia coniuncta poſſunt attingere productionem formæ ſubſtantialis, ſaltem in virtute ſubſtantiæ, cui inſunt; ergo & ſeparata, ſi retinent eandem virtutem; ſed accidentia ſeparata a pane, & vino in Sacramento conſervantur cum tota ſua virtute; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam ſubſtantia nihil confert accidentibus ſuis, niſi ſuſtentationem, qua illa conſervat patien-

patiendo illorum inhærentiam; nec plus activitatis confert eis, quam ex ſe habeant.

Objic. 3. Species Sacramentales poſſunt nutrire; ergo producunt aliquo modo ſubſtantiam carnis, in quam convertuntur.

Reſp. diſt. ant. nutriunt, quatenus ex illis corruptis Deus producit ſubſtantiam, quæ illis ſucedat, con. quatenus illa generant illam ſubſtantiam, neg. ant. Deus in inſtanti talis corruptionis accidentium, in quo deſineret ibi eſſe ſubſtantia panis in ſubſtantiam aliti, per ſe hanc ibi ſubſtituit talem, qualis ex vi agentium naturalium genita fuiſſet ex pane digeſto.

Inſt. Non repugnat Deum elevare accidentia Euchariſtica, ut efficiant, quod fieret in corruptione panis per cauſam naturalem; ergo cum deſit ibi talis cauſa naturalis, debet id ſupplere per virtutem, quam tribuit accidentibus illis.

Reſp. 1. neg. ant. Nam, ut diximus in Phyſica de potentia obedientiali activa, hæc non datur in quolibet ad quodlibet agendum, ſed tantum ad illos effectus, ad quos res habent inchoatam, & imperfectam virtutem, qualem non habent accidentia reſpectu ſubſtantiæ producendæ.

Reſp. 2. neg. conſ. quia Deus non facit omne poſſibile, & maxime in hoc myſterio, quod ipſe per ſe efficit.

Quæres, *an ſi ſpecies aliquam accidentalem alterationem patiamur notabilem, v. g. ſi calix vehementer calefiat, poſſint in ſe reparare qualitatem, & temperiem perditam, & connaturalem, remota cauſa alterationis, v. g. cauſa calefaciente.*

Reſp. negative, ſed iſtam reductionem ad priſtinam temperiem fieri a Deo.

1. Ratio eſt, quia ſicut in ſtatu naturali, & unionis cum ſubſtantia panis, & vini talis reductio fit per ſubſtantiam ipſam rei, ut cum aqua calefacta remoto igne reducit ſe ad innatam frigiditatem; ideo abſolute remota propria ſubſtantia panis, & vini non adeſt cauſa naturalis, per quam accidentia illa reſtituantur amiſſæ temperiei.

2. Ratio eſt, quia accidentia non habent ex ſe virtutem intendendi ſe ipſa, etiam in proprio ſubjecto; ergo

ergo multo minus eam habent ſeparata; ergo recurrendum eſt ad Deum, qui ut cauſa univerſalis debet ſupplere defectum cauſæ naturalis, cum id exigitur ab ipſa rerum natura, & ſtatu.

Dices. Id tribui poſſet qualitatibus occultis, quæ exiſtunt in ſingulis entibus, ut tenent plures Philoſophi: nam recurri non debet ad Deum, quandiu ſuppetunt cauſæ ſecundæ, & naturales, quales ſunt iſtæ qualitates: ergo &c.

Reſp. 1. neg. ant. & conſ. prob. Nam gratis aſſeruntur illæ qualitates occultæ. Certe ſi ſunt occultæ. quomodo, & unde illas noſti?

Reſp. 2. neg. idem ant. quod 2. p. quia ſi admittantur illæ qualitates, ſe tenent potius ex parte formarum ſubſtantialium, quibus deſtructis, & abſentibus (ut hic abſunt ſubſtantiæ, & formæ panis, & vini) pereunt, & abſunt illæ qualitates etiam in Euchariſtia, in qua non eſt certum manere accidentia inſenſibilia, ſi quæ ſint in pane, & vino.

Quæres 2. *an materia, quæ generatur ex accidentibus corruptis, ſit eadem numero, quæ fuerat ante conſecrationem.*

Reſp. id incertum eſſe. Nam licet forte non repugnet rem, quæ fuerat deſtructa, redire divinitus eandem numero; & ſic de materia panis deſtructa, ſeu annihilata per converſionem: tamen non eſt certum, quod Deus quaſi duplici miraculo velit eandem numero reſuſcitare; quia videtur facilius novam producere. Forte etiam tam facile eſt utrumque. Res eſt curioſior, quam utilior. Scotus [1] utrumque putat poſſibile. *Materia annihilata redire poteſt, & materia converſa* &c.

QUÆSTIO III.

An, & quæ mutationes in accidentibus Euchariſticis fieri poſſint manente ſacramento.

JAm vidimus, ſpecies ſacramentales poſſe agere, & pati ea, quæ agebant, & patiebantur in proprio ſubjecto; & tunc corpus, & Sanguinem Chriſti deſinere eſſe ſub illis, quando ſic alterâtur, & mutâtur, ut ſubſtantia

[1] q. 6. n. 7.

tia propria corrumperetur, ſi adeſſet. Verùm reſtant aliquot dubia circa alias quaſdam mutationes, & maximè circa quantitatem, ut ſunt rarefactio, & mixtio aliarum ſubſtantiarum, v. gr. in vino, ſi vel vinum non conſecratum, aut alii liquores injiciantur, aut in pane adſit pulvis ex calce, aut alia materia non conſecrabilis.

In caſu rarefactionis, qui cenſent per illam fieri puram, & ſimplicem extenſionem partium quantitatis, & corporis rarefacti, nullam hi patiuntur difficultatem, benè verò illi, qui cenſent illam fieri per introductionem, & immixtionem corporum ſubtiliorum, quæ corpuſcula vocantur. Nam ſic per rarefactionem ſpecierum vini immiſcentur non ſolùm novæ partes quantitatis, ſed etiam ſubſtantiæ non conſecratæ: & quæritur, an talis, & tanta poſſit eſſe hæc rarefactio, & corpuſculorum introductio, ut ceſſet ibi eſſe ſanguis Chriſti?

In caſu etiam mixtionis aliorum liquorum, aut ſubſtantiarum non conſecrabilium, aut non conſecratarum poſſunt eſſe aliæ difficultates, quæ tamen ad præcedentem de rarefactione aliquo modo reduci poſſent.

Porrò ſuppono ex Philoſophia, quòd mixtio generaliter dicitur plurium corporum conjunctio; & alia eſt *impropria*, in qua duo, aut plura inter ſe ſecundum minutiſſimas partes miſcentur, ita tamen, ut ſingula maneant integra, & incorrupta ſubſtantialiter; ut ſi frumentum cum avena miſceatur: alia *propria*, in qua duo ſic inter ſe miſcentur, ut unum in aliud tranſeat; ut cùm guttas aliquot aquæ in vinum injicis, & hæc in vinum tranſit: Alia *propriiſſima*, in qua duo contraria per mutuam actionem, & paſſionem alterantur, & ſubſtantialiter corrumpuntur; & ex illis unum tertium generatur, quod dicitur mixtum, in quo virtualiter remanent. Et hoc definiri ſolet *miſcibilium alteratorum, & deinde corruptorum unio*. Nos hìc de iſta non loquimur, ſed de 2.

Patet autem ex dictis, quòd illæ mutationes in qualitatibus panis, & vini, cum quibus adhuc maneret eorum ſubſtantia, ſeu forma ſubſtantialis, non deſtruunt Sacramentum; ſed ſub talibus ſpeciebus manet corpus, & Sanguis Chriſti: & è contra cùm

tales ſunt alterationes qualitatum, ut non maneret ſub illis propria ſubſtantia, neque manet Corpus, & Sanguis Chriſti.

Hinc ſequitur, quòd ſi eiſdem ſpeciebus miſceantur corpora aliena, ſub quibus non maneret ſubſtantia panis, aut vini, ſed generaretur aliquod mixtum proprium, ceſſat pariter Sacramentum: Secùs verò ſi fiat mixtio tantùm imperfecta, in qua ſpecies conſecratæ retinent ſuam naturam incorruptam; ut ſi vino conſecrato miſceatur aliud non conſecratum ejuſdem ſpeciei. Nam res ejuſdem ſpeciei non agunt in ſe invicem, ſed potiùs ſe mutuò juvant, & fovent: ſic ámbo retinent ſuam entitatem, quamvis à ſolo Deo poſſent diſcerni, & ſeparari. Unde magis communiter docent Theologi, quòd ſi in dolium vini profani miſceretur pars ſciphi conſecrati, iſtud retineret ſuam conſecrationem; & ideò illud vinum dolii non eſſet quidem conſecratum quoad maximam illam partem, ſed tamen non eſſet uſibus profanis relinquendum.

Si verò miſceretur vino alius liquor diverſę ſpeciei, & in majori notabiliter quantitate, probabile eſt, liquorem prævalentem corrumpere ſpecies conſecratas, & ibi deſinere eſſe Sanguinem Chriſti.

Denique certum eſt, ipſum Chriſti Sanguinem non poſſe miſceri, neque attingi ab ullo alio liquore, aut corpore: quia ibi manet incluſus in venis Sacroſancti corporis: imò nec ipſum corpus, quod ibi non eſt obvium ſenſibus, nec agentibus corporeis. Hęc obiter dixiſſe ſufficiat.

DISPUTATIO V.

De effectibus, & neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

JAM ad effectus hujus Sacramenti deſcendimus; & de illius neceſſitate dicemus conſequenter: hæc enim colligetur ex illis, ſaltem neceſſitas rei, ſeu medii: nam neceſſitas præcepti aliunde petenda erit.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Sacramentum hoc cauſet gratiam, & qualem.

EX dictis patet, & commune eſt omnibus Sacramentis Eccleſiæ gratiam ſuſcipientibus conferre ex opere operato, & per conſequens, atque à fortiori iſtud, quod continet fontem ipſum gratiarum omnium.

Hos effectus enumerat, & docet Concil. Trid. [1] dicens, quòd Salvator noſter *ſumi voluit hoc ſacramentum, tanquam ſpiritualem animæ cibum, quo aluntur, confortantur viventes vita illius, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ..... adeoque ſymbolum illius unius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cujuſque nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit* &c. Idem aliis verbis docuerat Florentinum in Decreto Eugenii. Controverſia eſt inter nos, & hæreticos, an conferat per ſe primam gratiam? ſeu an deleat peccata mortalia. Nam inquiebat Lutherus: *Magnus error eſt eorum, qui accedunt ad Sacramentum Euchariſtiæ hìc innixi, quod ſint confeſſi, quòd non ſint ſibi conſcii peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria; omnes illi judicium ſibi manducant, & bibunt. Sed ſi credant, & confidant, ſe gratiam ibi conſecuturos, ſola fides facit eos dignos, & puros.*

CONCLUSIO I.

E*Ffectus primarius hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ ſanctificantis, non autem prima gratia, ſeu gratia remiſſionis peccati mortalis.* Eſt communis inter Catholicos contra Lutherum, & alios hæreticos, qui, ut dicebamus, tribuunt ei remiſſionem peccati mortalis ſola fide mediante.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] quòd *in utroque uſu ferè poſſibile eſt, ſi dignè fiat, gratiam conferre menti.... quia actus perceptionis ſignificat nutritionem ſpiritualem,*

[1] *Seſſ.* 13. *c.* 2. [2] *D.* 8. *q.* 1. *E.* *n.* 6.

lem, *quæ eſt per gratiæ collationem*. Et pro 2. parte quòd non conferat gratiam remiſſionis peccati mortalis, dicit, [1] quòd *qui recipit hoc Sacramentum in peccato mortali*, *peccat mortaliter*, *quia ſimpliciter manducat indignè*; quod non eſſet verum, ſi remitteret tale peccatum. Et denique docet, [2] quòd *mortalia non dimittuntur niſi in baptiſmo*, *& pœnitentia* .... *& ad hoc ſunt tantùm Baptiſmus*, *& Pœnitentia*. Denique pro 3. parte, quòd per accidens remittantur, dicit, [3] quòd *poſt mortale peccatum*, *de quo non recolit*, *nec pœnituit*, *nec pœnitet* .... *ſi non ſit negligentia craſſa*, *puta*, *quia præceſſit examinatio ſufficiens* .... *non pecco communicando*, &c. ergo per accidens recipitur 1. gratia, ſeu remiſſio peccati mortalis per hoc Saramentum.

Prob. 2. ex Concil. cit. Nam inquit Florent. [4] *Per hoc Sacramentum ſumentibus dignè gratia augetur*. Et Trid. [5] docet, *illud ſumi ut ſpiritualem animæ cibum*, *quo alumur*, *& confortantur*, &c. *& quo à peccatis venialibus liberemur*, *& à mortalibus præſervemur*: ergo venialia quidem remittit, non mortalia, & ſupponit primam gratiam, quæ eſt vita; quia mortuis non datur, nec prodeſt cibus. Et Innoc. III. (6) *Per Euchariſtiam virtutes augentur*: ergo ſupponit charitatem, non verò illam infundit.

Prob. 3. ex ipſa Scriptura. *Caro mea verè eſt cibus*, &c. Et Apoſtolus; *Probet ſe ipſum homo*, *& ſic de pane illo edat*; *qui enim manducat indignè*, *judicium ſibi manducat*, &c.

Prob. 4. ex communi ſenſu Eccleſiæ, & Patrum: docent enim, hoc Sacramentum eſſe vivorum: & in Catechiſmo dicitur, quòd *ſicut cibus naturalis mortuo nihil prodeſt*; *ita animæ*, *quæ ſpiritu non vivit*, *iſtud Sacramentum non prodeſt*. Et denique quòd *qui ad hanc menſam accedit*, *debet habere veſtem nuptialem*.

Objic. 1. ex Scriptura. Chriſtus dicit: *Niſi manducaveritis meam carnem*, *non habebitis vitam*: ergo hæc manducatio dat vitam, ſeu 1. gratiam: alioqui ante manducationem, & independenter ab iſta carne haberemus illam; ergo, &c.

Reſp.

[1] *d.9.q.n.2.* [2] *d.23.q.1.B.n.3* [3] *d.9.cit.* [4] *Ibid.* [5] *Ibid.* [6] *Cap. firmit.*

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam per hæc verba probatur neceſſitas Sacramenti ad conſervandam vitam gratiæ, & non ad obtinendam, vel recuperandam.

Inſt. In ipſa forma conſecrationis dicitur ſanguis *in remiſſionem peccatorum effundi*; ergo ex vi inſtitutionis remittit peccata mortalia.

Reſp. neg. conſ. quia id non ſignificat peccata mortalia remitti per ſanguinem calicis, ſed per ſanguinem crucis Chriſtum meruiſſe illam remiſſionem.

Inſt. 2. ex Conc. Trident. (1) Remiſſio peccatorum non eſt principalis effectus Euchariſtiæ; ergo eſt ſaltem minùs præcipuus.

Reſp. diſt. conſ. minùs præcipuus, id. ſecundarius, & per accidens, conc. partialis directè intentus, & cauſatus, neg. conſ. Et præterea intelligi poteſt de remiſſione venialium, & etiam aliorum quoad reliquias, & effectus eorum, ſc. quoad pravos habitus, &c. Concilium loquitur contra Lutherum, & Calvinum tribuentes Euchariſtię remiſſionem peccati mortalis quoad culpam, & directè ex vi ſuæ inſtitutionis, ut vidimus; & hoc improbat Concilium.

Objic. 2. ex Patribus, qui communiter huic Sacramento tribuunt remiſſionem peccatorum. Dicunt, (2) hunc cibum *vivificare, purgare iniquitates*; ergo &c. Prob. ant. *Hæc hauſta faciunt, ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit*, inquit Hilar. & Fabianus Papa jubebat, *ter in anno communicandum, niſi fortè majoribus detineatur homo criminibus*; ergo mortalia non impediunt receptionem Euchariſtiæ, ſed ab illa remittuntur; & primam confert gratiam, qua ſumus in Chriſto, & ipſe in nobis.

Reſp. neg. conſ. quia ex Hilario colligitur ſolùm, quòd Chriſtus in nobis per Euchariſtiam eſt ſpeciali præſentia, ſc. corporali; quia per illam ſimus ejus quaſi concorporei, & conſanguinei, ut loquitur Chryſoſtomus, & quoad gratiam firmiùs nobis inhæret. Fabianus intelligendus eſt de criminibus reſervatis, quæ abſolutioni ordinariæ non ſubjacent, ſed privationem Sacramentorum inducunt per excommunicationem. Quantum ad mortalia minora, non ſequitur ex verbis Fabiani, quin debeant remitti ante

[1] *Seſſ.13.can.5.*
[2] 8. *Tri.*

Communionem, ut dignè, & debitè fiat; & ſic non facit contra nos.

CONCLUSIO II.

Sacramentum hoc, quantum eſt de ſe, & ex opere operato æqualem omnibus confert gratiam, & tantam ſub unica ſpecie, quantam ſub utraque ſimul. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] per rationem, qua probat gratiam baptiſmi ex parte Sacramenti eſſe æqualem in omnibus. Nam, inquit, *propter hoc dici poteſt, quòd ex parte cauſæ principalis effectus eſt regulariter æqualis ſimpliciter, quia datur virtute baptiſmi, quia de lege communi ſupponitur, quòd gratia non datur major abſque omni differentia extra cauſam principalem, quæ eſt ipſe Deus*: & hoc à fortiori verum eſt in Euchariſtia, ubi Chriſtus eſt idem ubique, & hoc Sacramentum in ſuo uſu, & dum ſumitur, & dum operatur, minùs dependet ab intentione, & bonitate miniſtri: *In baptiſmo parvulorum*, inquit, *cùm non habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte ſui recipiendam* (aliud eſt de ſuſcipientibus Euchariſtiam, qui hodie ſunt adulti) *poteſt tamen in parentibus unius* (parvuli) *eſſe major motus, quàm alterius pro ſuo parvulo, vel in aliquibus miniſtris, vel aſſiſtentibus baptiſmo*: ſed hæ cauſæ inæqualitatis rariores ſunt in Euchariſtia; ergo &c.

Prob. 2. 1. p. quia Sacramentum abſolutè idem eſt, & ejuſdem rationis, & efficaciæ in omnibus; ergo cæteris paribus, & quantum eſt de ſe, operatur æquales effectus, & gratias.

Prob. 2. p. 1. ex Concil. Trid. [2] *Nam quia ſub alterutra tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumimus, ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem defraudantur illi, qui unam ſolam ſpeciem accipiunt*: ergo tanta confertur per unicam ſpeciem, quanta per utramque, ſc. ex opere operato, & per ſe: nam per accidens, & ex opere operantis poteſt eſſe inæqualis. Unde ſi laicus ſub una ſpecie majori cum devotio-

[1] *d.4.q.7.A.n.3.* [2] *Seſſ.21.c.3.*

votione ſuſcipiat, majorem habebit gratiam, quam tepidus ſacerdos cum utraque.

Prob. 2. quia cauſalitas gratiæ venit ex voluntate Dei, & præſentia Chriſti, & ex natura Sacramenti; ſed hæc omnia ſunt æqualia, quoquo modo ſumantur, totum enim Sacramentum, & totus Chriſtus eſt ſub ſingulis, ſicut ſub ambabus ſpeciebus ſimul; ergo, &c.

Prob. 3. quia ſi major gratia daretur ſub utraque, quam ſub unica, qui plures, aut majores hoſtias ſumeret, & pleniorem calicem, ampliores reciperet gratias; & injuriam faceret Eccleſia, dum negat uſum calicis fidelibus aliis, quàm ſacerdotibus; ſed hæc falſa ſunt; imò & prohibetur graviter, ne plures, vel ampliores hoſtias accipiant fideles ſub tali prætextu; ergo &c.

Dixi autem, *quantum eſt de ſe, & ex opere operato*; nam quia ſub duplici ſpecie ſumitur etiam duplici actu, fieri poteſt, & de facto accidit, ut ſinguli actus habeant ſuam bonitatem moralem, & ſuum meritum; & inde creſcit gratia, & fructus Sacramenti; ſed hoc venit ex parte operantis, ut patet.

Objic. 1. Qui Concilio Tridentino interfuerunt, dicunt Patres Concilii ſenſiſſe quidem majorem gratiam concedi communicantibus ſub utraque ſpecie; ſed tamen hoc noluerunt definire, contenti dicere, *ſumentes unicum non defraudari ulla gratia neceſſaria ad ſalutem*; aliud autem eſt non defraudari gratia neceſſaria; quia unicus gradus ſufficit ad ſalutem; & aliud non defraudari majori gratia: ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam licet Concilium non judicaverit hoc debere aliter definiri, tamen hoc ipſo quod non dixit minorem gratiam dari ſub unica ſpecie, quam ſub duabus, ſignum eſt id non eſſe verum; aut ſaltem ſub problemate reliquerunt. Unde ex illo textu, & hiſtoria nihil infertur deciſivum, nec contra nos.

Inſt. Ex quadam Bulla Clem. VI. conceditur Regi Galliæ Communio ſub utraque ſpecie, *ad majus gratiæ augmentum*; ergo cenſuit ille Pontifex majorem gratiam dari per utramque, quàm per unicam ſpeciem.

Reſp. 1. Non conſtare ex ullo Bullario, vel ſcripto

authentico de tali Bulla; imò qui eam citant, non conveniunt de Rege, cui conceſſa dicitur, ut oſtendit Gavatius, [1] neque de anno conceſſionis.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam potuit Pontifex gratiam referre ad conceſſionem iſtam, quæ reſpectu aliarum huic Regi conceſſarum dicitur gratiæ augmentum, id eſt majus decus coronæ, ac dignitatis Regiæ.

Reſp. 3. Pontificem non dicere, illud augmentum venturum ex tali communione per ſe, & ex opere operato, at ex opere operantis juxta rationem allatam.

Objic. 2. Singulæ ſpecies ſunt de ſe Sacramentum, & cauſæ gratiæ; ergo ſingulæ cauſant; ergo plus ex duabus accipitur gratiæ, quàm ex unica, etiam ex opere operato.

Reſp. neg. conſ. Nam ex illo ant. iam ſequeretur, per plures particulas plus gratiæ dari, quàm per unicam; quia ſingulæ habent per ſe efficaciam, ut ſunt per ſe Sacramentum.

Reſp. 2. diſt. ant. ſunt Sacramentum partiale reſpectu totius, con. Sacramentum diverſum, neg. ant. Nam idem numero Chriſtus eſt in utroque; & in unicum finem Sacramentum idem ſub utraque ſpecie inſtitutum eſt.

Inſt. Quando ſanguis ſumitur poſt corpus, adeſt nova cauſa gratiæ; ergo & nova gratia. Prob. conſ. Ex nova cauſa producitur novus effectus; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. nova cauſa operans cum præcedenti per modum unius, conc. operans per modum duarum, & diverſarum, neg. ant. & conſ. Quando ſumitur ſanguis, ſumitur idem Chriſtus, & idem Sacramentum in duabus ſpeciebus, & partibus operantibus indiviſim, & per modum unius.

Objic. 2. Euchariſtia ſumitur per modum convivii; & ſic per iſtud nutrimentum eſt magis completum in cibo, & potu; ergo & ſub utraque ſpecie Sacramentum majorem dat gratiam nutritivam animæ.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia panis, & vinum ſunt diverſæ ſubſtantiæ, & habent diverſas virtutes: ſpecies autem panis, & vini continent eandem numero ſubſtantiam, & virtutem Chriſti, qui non

[1] *d.* 12. *n.* 84.

non eſt magis totus in duabus, quàm unica ſpecie.

Inſt. Sub duabus ſpeciebus meliùs ſignificatur perfecta refectio, quàm ſub unica; ergo & perfectius operatur in duabus, quam in unica: nam Sacramentum operatur, ſecundum quod ſignificat. Prob. ant. quia ambæ ſimul ſignificant integrum convivium, non autem ſeorſim; ergo &c.

Reſp. diſt. utrumque ant. perfectiùs extenſivè, ſeu explicatius, & ſpeculativè, conc. intenſivè, & practice, & implicitè, neg. ant. Nam ſub ſpeciebus panis ſignificatur Corpus Chriſti vivum, & per conſequens cum toto ſuo ſanguine; & ſub ſpeciebus vini ſignificatur quidem explicitè, & virtualiter ſanguis, ſed concomitanter Corpus Chriſti, in quo eſt; & ſic idem inſeparabiliter, & indiviſim ſignificant, & operantur.

Inſt. 2. Si ſpecies vini ſumantur ſeorſim à pane, operantur ſuam gratiam; & ſi deinde ſumantur ſpecies panis, operabuntur ſuam; ergo idem, & ſimiliter operantur, ſi ſumantur ſimul; ſc. unaquæque ſpecies operatur ſuam gratiam; ergo ambæ plus conferunt, quàm unica.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia ſeorſim ſunt duo Sacramenta, & ſimul non ſunt niſi unicum, ſicut duæ hoſtiæ ſumptæ ſeorſim ſunt duo Sacramenta; & operantur duas gratias, & unicam, eandemque, ſi ſumantur ſimul.

Objic. 4. Si ambæ ſpecies operantur eandem gratiã, vel iſta datur tota in ſumptione panis, vel tota in ſumptione vini, vel diviſim, ſcilicet pars in una ſumptione, & pars in altera; ſi primum, aut ſecundum; ergo nihil datur in ſumptione alterius; & ſic fruſtra ſumitur altera: ſi 3. ergo qui unicam ſumeret, non reciperet niſi partem gratiæ totalis; ergo ambæ plus faciunt, quàm unica.

Reſp. recipi totam gratiam in ſumptione primæ ſpeciei, quæ ſumitur, & neg. conſ. ſcilicet quod ſecunda ſit ſuperflua: tum quia Deus, qui dat illam gratiam, id facit intuitu utriuſque ſpeciei, quam ad hoc inſtituit, & maximè pro his, quibus licet ſumere utramque: tum quia in ſumptione ſingularum excitatur devotio fidelium ad plures actus meritorios;

& ſic ex opere operantium amplior gratia recipitur: tum denique quia utraque ſpecies magis repræſentat Euchariſtiam in ratione ſacrificii.

Igitur non diffitemur, quin per accidens, & ex opere operantis plus gratiæ conferatur per duas ſpecies, quam per unicam ob rationem datam; quia ſc. duplicantur actus virtutum fidei, ſpei, charitatis, adorationis, pœnitentiæ, & gratitudinis, &c.

2. Non negamus, quin opinio contraria de ampliori gratia ſub duabus, quam ſub unica, etiam ex opere operato, ſit etiam probabilis, & illam ſuſtinent inſignes Theologi, etiam Scotiſtæ, ut Maſtrius, Brancatus, & alii; ſed nobiſcum ſentiunt Gavatius, Herink, Durandus, &c.

QUÆSTIO II.

De efficacia Euchariſtiæ contra venialia, & mortalia. An aliquando mortalia deleat.

DIximus, Euchariſtiam conferre augmentum gratiæ ex vi ſuæ inſtitutionis, non autem primam, quæ eſt juſtificans. Unde ſequi videtur, quod mortalia per ſe, & ordinarie non delet: quia hæc non delentur niſi per gratiam juſtificantem, benè verò venialia, quæ delentur per augmentum gratiæ, licet iſta non ſit eis incompatibilis. De his conveniunt communiter Theologi: ſed reſtat difficultas, an ſaltem per accidens, & in aliquibus caſibus remittere poſſit mortalia.

Porro venialia dupliciter dicuntur remitti per Sacramentum. 1. *indirectè*, prout per aliquem effectum ejus delentur, v. g. per gratias actuales, quæ intuitu Euchariſtiæ dantur, & quatenus homo per actus virtutum, quos adjutus illis gratiis elicit, meretur remiſſionem venialium, & pœnarum etiam pro mortalibus debitarum, & quæ per pœnitentiam non totaliter remittuntur: & de hoc modo remiſſionis nemo dubitat. Nam quia hoc Sacramentum datur per modum ſolidi nutrimenti, ita roborat animam, reparatque vires infirmatas, & dat vires ad ferventiores, & frequentiores actus charitatis, & aliarum virtutum, quibus illa peccata deleantur. 2. *Directè* per

gra-

gratiam ipſam ſacramentalem, & ex opere operato collatam immediatè delentur. De tali remiſſionis modo procedit ſpecialiter quæſtio.

Suppono etiam ex Tr. de Sacramentis in genere, quod aliqua dicuntur *mortuorum*, quia dantur per ſe reis peccati mortalis, quod eſt mors animæ: & iſta reſuſcitant animas ad vitam gratiæ juſtificantis, ut ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia. Alia dicuntur *vivorum*, quia ex vi ſuæ inſtitutionis non dantur niſi viventibus in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ſed tamen ibi diximus, quòd iſta per accidens, & quandoque dantur mortuis, & illos vivificant: ſicut & alia ſæpè dantur vivis, pro quibus non conferunt niſi augmentum gratiæ.

CONCLUSIO I.

E*Ucharistia delet peccata venialia etiam directè*. In hoc habemus adverſarios Scotiſtas inſignes, ut Maſtrium, & Gavatium.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quatenus aliam diſpoſitionem ad hoc Sacramentum non exigit, quam ut homo ſit ſine voluntate peccandi. *De peccato autem veniali non oportet dubitare; quia de illo non eſt neceſſitas pœnitentiæ*: ergo putat, illud poſſe recipi cum peccato veniali, & iſtud poſſe remitti.

Prob. 2. ex Concil. Trid. dicente, (2) *Euchariſtiam eſſe antidotum, quo à quotidianis liberamur culpis, & a mortalibus præſervamur*. Et in Catechiſmo [3] ejuſdem docemur: *Remitti in Euchariſtia leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt quod dubitari debeat*. Et Innoc. III. *Euchariſtia, ſi dignè ſumatur, a malo liberat, & confortat in bono; venialia delet, & cavet mortalia*. Et S. Ambroſ. *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*, &c. ergo &c.

Hoc autem præſtat 1. *Indirectè*, mediante aliquali pœnitentia, & retractatione, quæ ſemper neceſſaria eſt, & ad quam cibus iſte vires addit per gratias actuales, & habituales, quas confert. Nullum enim peccatum remittitur, quin retractetur formaliter,

[1] *d. 9. q. 4.* [2] *Seſſ. 13. c. 2.*
[3] *de effect. Euch.*

tales ſunt alterationes qualitatum, ut non maneret ſub illis propria ſubſtantia, neque manet Corpus, & Sanguis Chriſti.

Hinc ſequitur, quòd ſi eiſdem ſpeciebus miſceantur corpora aliena, ſub quibus non maneret ſubſtantia panis, aut vini, ſed generaretur aliquod mixtum proprium, ceſſat pariter Sacramentum: Secùs verò ſi fiat mixtio tantùm imperfecta, in qua ſpecies conſecratæ retinent ſuam naturam incorruptam; ut ſi vino conſecrato miſceatur aliud non conſecratum ejuſdem ſpeciei. Nam res ejuſdem ſpeciei non agunt in ſe invicem, ſed potiùs ſe mutuò juvant, & fovent: ſic ambo retinent ſuam entitatem, quamvis à ſolo Deo poſſent diſcerni, & ſeparari. Unde magis communiter docent Theologi, quòd ſi in dolium vini profani miſceretur pars ſciphi conſecrati, iſtud retineret ſuam conſecrationem; & ideò illud vinum dolii non eſſet quidem conſecratum quoad maximam illam partem, ſed tamen non eſſet uſibus profanis relinquendum.

Si verò miſceretur vino alius liquor diverſę ſpeciei, & in majori notabiliter quantitate, probabile eſt, liquorem prȩvalentem corrumpere ſpecies conſecratas, & ibi deſinere eſſe Sanguinem Chriſti.

Denique certum eſt, ipſum Chriſti Sanguinem non poſſe miſceri, neque attingi ab ullo alio liquore, aut corpore: quia ibi manet incluſus in venis Sacroſancti corporis: imò nec ipſum corpus, quod ibi non eſt obvium ſenſibus, nec agentibus corporeis. Hȩc obiter dixiſſe ſufficiat.

DISPUTATIO V.

De effectibus, & neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ.

JAM ad effectus hujus Sacramenti deſcendimus; & de illius neceſſitate dicemus conſequenter: hæc enim colligetur ex illis, ſaltem neceſſitas rei, ſeu medii: nam neceſſitas præcepti aliunde petenda erit.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An Sacramentum hoc cauſet gratiam, & qualem.

EX dictis patet, & commune eſt omnibus Sacramentis Eccleſiæ gratiam ſuſcipientibus conferre ex opere operato, & per conſequens, atque à fortiori iſtud, quod continet fontem ipſum gratiarum omnium.

Hos effectus enumerat, & docet Concil. Trid. [1] dicens, quòd Salvator noſter *ſumi voluit hoc ſacramentum, tanquam ſpiritualem animæ cibum, quo alantur, confortantur viventes vita illius, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſervemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ.... adeoque ſymbolum illius unius corporis, cujus ipſe caput exiſtit, cujuſque nos tanquam membra arctiſſima fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit* &c. Idem aliis verbis docuerat Florentinum in Decreto Eugenii. Controverſia eſt inter nos, & hæreticos, an conferat per ſe primam gratiam? ſeu an deleat peccata mortalia. Nam inquiebat Lutherus: *Magnus error eſt eorum, qui accedunt ad Sacramentum Euchariſtiæ hìc innixi, quod ſint confeſſi, quòd non ſint ſibi conſcii peccati mortalis, quòd præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria; omnes illi judicium ſibi manducant, & bibunt. Sed ſi credant, & confidant, ſe gratiam ibi conſecuturos, ſola fides facit eos dignos, & puros.*

CONCLUSIO I.

E*Ffectus primarius hujus Sacramenti eſt augmentum gratiæ ſanctificantis, non autem prima gratia, ſeu gratia remiſſionis peccati mortalis.* Eſt communis inter Catholicos contra Lutherum, & alios hæreticos, qui, ut dicebamus, tribuunt ei remiſſionem peccati mortalis ſola fide mediante.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [2] quòd *in utroque uſu ferè poſſibile eſt, ſi dignè fiat, gratiam conferre utenti.... quia actus perceptionis ſignificat nutritionem ſpiritualem,*

[1] *Seſſ.* 13.*c.*2. [2] *D.*8.*q.*1.*E.n.*6.

lem, *quæ eſt per gratiæ collationem*. Et pro 2. parte quòd non conferat gratiam remiſſionis peccati mortalis, dicit, [1] quòd *qui recipit hoc Sacramentum in peccato mortali, peccat mortaliter, quia ſimpliciter manducat indignè*; quod non eſſet verum, ſi remitteret tale peccatum. Et denique docet, [2] quòd *mortalia non dimittuntur niſi in baptiſmo, & pœnitentia .... & ad hoc ſunt tantùm Baptiſmus, & Pœnitentia*. Denique pro 3. parte, quòd per accidens remittantur, dicit, [3] quòd *poſt mortale peccatum, de quo non recolit, nec pœnituit, nec pœnitet .... ſi non ſit negligentia craſſa, puta, quia præceſſit examinatio ſufficiens .... non pecco communicando*, &c. ergo per accidens recipitur 1. gratia, ſeu remiſſio peccati mortalis per hoc Saramentum.

Prob. 2. ex Concil. cit. Nam inquit Florent. [4] *Per hoc Sacramentum ſumentibus dignè gratia augetur*. Et Trid. [5] docet, *illud ſumi ut ſpiritualem animæ cibum, quo aluntur, & confortantur*, &c. *& quo à peccatis venialibus liberemur, & à mortalibus præſervemur*: ergo venialia quidem remittit, non mortalia, & ſupponit primam gratiam, quæ eſt vita; quia mortuis non datur, nec prodeſt cibus. Et Innoc. III. (6) *Per Euchariſtiam virtutes augentur*: ergo ſupponit charitatem, non verò illam infundit.

Prob. 3. ex ipſa Scriptura. *Caro mea verè eſt cibus*, &c. Et Apoſtolus: *Probet ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat; qui enim manducat indignè, judicium ſibi manducat*, &c.

Prob. 4. ex communi ſenſu Eccleſiæ, & Patrum: docent enim, hoc Sacramentum eſſe vivorum: & in Catechiſmo dicitur, quòd *ſicut cibus naturalis mortuo nihil prodeſt; ita animæ, quæ ſpiritu non vivit, iſtud Sacramentum non prodeſt*. Et denique quòd *qui ad hanc menſam accedit, debet habere veſtem nuptialem*.

Objic. 1. ex Scriptura. Chriſtus dicit: *Niſi manducaveritis meam carnem, non habebitis vitam*: ergo hæc manducatio dat vitam, ſeu 1. gratiam: alioqui ante manducationem, & independenter ab iſta carne haberemus illam; ergo, &c.

Reſp.

[1] *d.9.q.n.2.* [2] *d.23.q.1.B.n.3* [3] *d.9.cit.*
[4] *Ibid.* [5] *Ibid.* [6] *Cap. firmit.*

Reſp.neg.conſ. utramque. Nam per hæc verba probatur neceſſitas Sacramenti ad conſervandam vitam gratiæ, & non ad obtinendam, vel recuperandam.

Inſt. In ipſa forma conſecrationis dicitur ſanguis *in remiſſionem peccatorum effundi*; ergo ex vi inſtitutionis remittit peccata mortalia.

Reſp. neg. conſ. quia id non ſignificat peccata mortalia remitti per ſanguinem calicis, ſed per ſanguinem crucis Chriſtum meruiſſe illam remiſſionem.

Inſt.2. ex Conc. Trident. (1) Remiſſio peccatorum non eſt principalis effectus Euchariſtiæ; ergo eſt ſaltem minùs præcipuus.

Reſp. diſt. conſ. minùs præcipuus, id. ſecundarius, & per accidens, conc. partialis directè intentus, & cauſatus, neg. conſ. Et præterea intelligi poteſt de remiſſione venialium, & etiam aliorum quoad reliquias, & effectus eorum, ſc. quoad pravos habitus, &c. Concilium loquitur contra Lutherum, & Calvinum tribuentes Euchariſtię remiſſionem peccati mortalis quoad culpam, & directè ex vi ſuæ inſtitutionis, ut vidimus; & hoc improbat Concilium.

Objic. 2. ex Patribus, qui communiter huic Sacramento tribuunt remiſſionem peccatorum. Dicunt, (2) hunc cibum *vivificare*, *purgare iniquitates*; ergo &c. Prob. ant. *Hæc hauſta faciunt*, *ut nos in Chriſto*, *& Chriſtus in nobis ſit*, inquit Hilar. & Fabianus Papa jubebat, *ter in anno communicandum*, *niſi fortè majoribus detineatur homo criminibus*; ergo mortalia non impediunt receptionem Euchariſtiæ, ſed ab illa remittuntur; & primam confert gratiam, qua ſumus in Chriſto, & ipſe in nobis.

Reſp. neg. conſ. quia ex Hilario colligitur ſolùm, quòd Chriſtus in nobis per Euchariſtiam eſt ſpeciali præſentia, ſc. corporali; quia per illam ſimus ejus quaſi concorporei, & conſanguinei, ut loquitur Chryſoſtomus, & quoad gratiam firmiùs nobis inhæret. Fabianus intelligendus eſt de criminibus reſervatis, quæ abſolutioni ordinariæ non ſubjacent, ſed privationem Sacramentorum inducunt per excommunicationem. Quantum ad mortalia minora, non ſequitur ex verbis Fabiani, quin debeant remitti ante

[1] *Seſſ.13.can.5.*
[2] *8.Tri.*

Communionem, ut dignè, & debitè fiat; & ſic non facit contra nos.

CONCLUSIO II.

Sacramentum hoc, quantum eſt de ſe, & ex opere operato æqualem omnibus confert gratiam, & tantam ſub unica ſpecie, quantam ſub utraque ſimul. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] per rationem, qua probat gratiam baptiſmi ex parte Sacramenti eſſe equalem in omnibus. Nam, inquit, *propter hoc dici poteſt, quòd ex parte cauſæ principalis effectus eſt regulariter æqualis ſimpliciter, quia datur virtute baptiſmi, quia de lege communi ſupponitur, quòd gratia non datur major abſque omni differentia extra cauſam principalem, quæ eſt ipſe Deus*: & hoc à fortiori verum eſt in Euchariſtia, ubi Chriſtus eſt idem ubique, & hoc Sacramentum in ſuo uſu, & dum ſumitur, & dum operatur, minùs dependet ab intentione, & bonitate miniſtri: *In baptiſmo parvulorum*, inquit, *cùm non habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam ex parte ſui recipiendam* (aliud eſt de ſuſcipientibus Euchariſtiam, qui hodie ſunt adulti) *poteſt tamen in parentibus unius* (parvuli) *eſſe major motus, quàm alterius pro ſuo parvulo, vel in aliquibus miniſtris, vel aſſiſtentibus baptiſmo*: ſed hæ cauſæ inæqualitatis rariores ſunt in Euchariſtia; ergo &c.

Prob. 2. 1. p. quia Sacramentum abſolutè idem eſt, & ejuſdem rationis, & efficaciæ in omnibus; ergo cæteris paribus, & quantum eſt de ſe, operatur æquales effectus, & gratias.

Prob. 2. p. 1. ex Concil. Trid. [2] *Nam quia ſub alterutra tantùm ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumimus, ac propterea quoad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem defraudantur illi, qui unam ſolam ſpeciem accipiunt*: ergo tanta confertur per unicam ſpeciem, quanta per utramque, ſc. ex opere operato, & per ſe: nam per accidens, & ex opere operantis poteſt eſſe inæqualis. Unde ſi laicus ſub una ſpecie majori cum devotio-

[1] *d.4.q.7.A.n.3.* [2] *Seſſ.21.c.3.*

votione ſuſcipiat, majorem habebit gratiam, quam tepidus ſacerdos cum utraque.

Prob. 2. quia cauſalitas gratiæ venit ex voluntate Dei, & præſentia Chriſti, & ex natura Sacramenti; ſed hæc omnia ſunt æqualia, quoquo modo ſumantur, totum enim Sacramentum, & totus Chriſtus eſt ſub ſingulis, ſicut ſub ambabus ſpeciebus ſimul; ergo, &c.

Prob. 3. quia ſi major gratia daretur ſub utraque, quam ſub unica, qui plures, aut majores hoſtias ſumeret,& pleniorem calicem, ampliores reciperet gratias; & injuriam faceret Eccleſia, dum negat uſum calicis fidelibus aliis, quàm ſacerdotibus; ſed hæc falſa ſunt; imò & prohibetur graviter, ne plures, vel ampliores hoſtias accipiant fideles ſub tali prætextu; ergo &c.

Dixi autem, *quantum eſt de ſe, & ex opere operato*; nam quia ſub duplici ſpecie ſumitur etiam duplici actu, fieri poteſt, & de facto accidit, ut ſinguli actus habeant ſuam bonitatem moralem, & ſuum meritum; & inde creſcit gratia, & fructus Sacramenti; ſed hoc venit ex parte operantis, ut patet.

Objic. 1. Qui Concilio Tridentino interſuerunt, dicunt Patres Concilii ſenſiſſe quidem majorem gratiam concedi communicantibus ſub utraque ſpecie; ſed tamen hoc noluerunt definire, contenti dicere, *ſumentes unicum non defraudari ulla gratia neceſſaria ad ſalutem*; aliud autem eſt non defraudari gratia neceſſaria; quia unicus gradus ſufficit ad ſalutem; & aliud non defraudari majori gratia: ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Nam licet Concilium non judicaverit hoc debere aliter definiri, tamen hoc ipſo quod non dixit minorem gratiam dari ſub unica ſpecie, quam ſub duabus, ſignum eſt id non eſſe verum; aut ſaltem ſub problemate reliquerunt. Unde ex illo textu, & hiſtoria nihil infertur deciſivum, nec contra nos.

Inſt. Ex quadam Bulla Clem. VI. conceditur Regi Galliæ Communio ſub utraque ſpecie, *ad majus gratiæ augmentum*; ergo cenſuit ille Pontifex majorem gratiam dari per utramque, quàm per unicam ſpeciem.

Reſp. 1. Non conſtare ex ullo Bullario, vel ſcripto

authentico de tali Bulla; imò qui eam citant, non conveniunt de Rege, cui conceſſa dicitur, ut oſtendit Gavatius, [1] neque de anno conceſſionis.

Reſp. 2. neg. conſ. Nam potuit Pontifex gratiam referre ad conceſſionem iſtam, quæ reſpectu aliarum huic Regi conceſſarum dicitur gratiæ augmentum, id eſt majus decus coronæ, ac dignitatis Regiæ.

Reſp. 3. Pontificem non dicere, illud augmentum venturum ex tali communione per ſe, & ex opere operato, at ex opere operantis juxta rationem allatam.

Objic. 2. Singulæ ſpecies ſunt de ſe Sacramentum, & cauſæ gratiæ; ergo ſingulæ cauſant; ergo plus ex duabus accipitur gratiæ, quàm ex unica, etiam ex opere operato.

Reſp. neg. conſ. Nam ex illo ant. jam ſequeretur, per plures particulas plus gratiæ dari, quàm per unicam; quia ſingulæ habent per ſe efficaciam, ut ſunt per ſe Sacramentum.

Reſp. 2. diſt. ant. ſunt Sacramentum partiale reſpectu totius, con. Sacramentum diverſum, neg. ant. Nam idem numero Chriſtus eſt in utroque; & in unicum finem Sacramentum idem ſub utraque ſpecie inſtitutum eſt.

Inſt. Quando ſanguis ſumitur poſt corpus, adeſt nova cauſa gratiæ; ergo & nova gratia. Prob. conſ. Ex nova cauſa producitur novus effectus; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. nova cauſa operans cum præcedenti per modum unius, conc. operans per modum duarum, & diverſarum, neg. ant. & conſ. Quando ſumitur ſanguis, ſumitur idem Chriſtus, & idem Sacramentum in duabus ſpeciebus, & partibus operantibus indiviſim, & per modum unius.

Objic. 2. Euchariſtia ſumitur per modum convivii; & ſic per iſtud nutrimentum eſt magis completum in cibo, & potu; ergo & ſub utraque ſpecie Sacramentum majorem dat gratiam nutritivam animæ.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia panis, & vinum ſunt diverſæ ſubſtantiæ, & habent diverſas virtutes: ſpecies autem panis, & vini continent eandem numero ſubſtantiam, & virtutem Chriſti, qui non

[1] *d.* 12. *n.* 84.

non eſt magis totus in duabus, quàm unica ſpecie.

Inſt. Sub duabus ſpeciebus meliùs ſignificatur perfecta refectio, quàm ſub unica; ergo & perfectius operatur in duabus, quam in unica; nam Sacramentum operatur, ſecundum quod ſignificat. Prob. ant. quia ambæ ſimul ſignificant integrum convivium, non autem ſeorſim; ergo &c.

Reſp. diſt. utrumque ant. perfectiùs extenſivè, ſeu explicatius, & ſpeculativè, conc. intenſivè, & practice, & implicitè, neg. ant. Nam ſub ſpeciebus panis ſignificatur Corpus Chriſti vivum, & per conſequens cum toto ſuo ſanguine; & ſub ſpeciebus vini ſignificatur quidem explicitè, & virtualiter ſanguis, ſed concomitanter Corpus Chriſti, in quo eſt; & ſic idem inſeparabiliter, & indiviſim ſignificant, & operantur.

Inſt. 2. Si ſpecies vini ſumantur ſeorſim à pane, operantur ſuam gratiam; & ſi deinde ſumantur ſpecies panis, operabuntur ſuam; ergo idem, & ſimiliter operantur, ſi ſumantur ſimul; ſc. unaquæque ſpecies operatur ſuam gratiam; ergo ambæ plus conferunt, quàm unica.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia ſeorſim ſunt duo Sacramenta, & ſimul non ſunt niſi unicum, ſicut duæ hoſtiæ ſumptæ ſeorſim ſunt duo Sacramenta, & operantur duas gratias, & unicam, eandemque, ſi ſumantur ſimul.

Objic. 4. Si ambæ ſpecies operantur eandem gratiã, vel iſta datur tota in ſumptione panis, vel tota in ſumptione vini, vel diviſim, ſcilicet pars in una ſumptione, & pars in altera; ſi primum, aut ſecundum; ergo nihil datur in ſumptione alterius; & ſic fruſtra ſumitur altera: ſi 3. ergo qui unicam ſumeret, non reciperet niſi partem gratiæ totalis; ergo ambæ plus faciunt, quàm unica.

Reſp. recipi totam gratiam in ſumptione primæ ſpeciei, quæ ſumitur, & neg. conſ. ſcilicet quod ſecunda ſit ſuperflua: tum quia Deus, qui dat illam gratiam, id facit intuitu utriuſque ſpeciei, quam ad hoc inſtituit, & maximè pro his, quibus licet ſumere utramque: tum quia in ſumptione ſingularum excitatur devotio fidelium ad plures actus meritorios;

gratiam ipſam ſacramentalem, & ex opere operato collatam immediatè deleantur. De tali remiſſionis modo procedit ſpecialiter quæſtio.

Suppono etiam ex Tr. de Sacramentis in genere, quod aliqua dicuntur *mortuorum*, quia dantur per ſe reis peccati mortalis, quod eſt mors animæ: & iſta reſuſcitant animas ad vitam gratiæ juſtificantis, ut ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia. Alia dicuntur *vivorum*, quia ex vi ſuæ inſtitutionis non dantur niſi viventibus in ſtatu gratiæ ſanctificantis: ſed tamen ibi diximus, quòd iſta per accidens, & quandoque dantur mortuis, & illos vivificant: ſicut & alia ſæpè dantur vivis, pro quibus non conferunt niſi augmentum gratiæ.

CONCLUSIO I.

Eucharistia delet peccata venialia etiam directè. In hoc habemus adverſarios Scotiſtas inſignes, ut Maſtrium, & Gavatium.

Prob. 1. ex Scoto, (1) quatenùs aliam diſpoſitionem ad hoc Sacramentum non exigit, quam ut homo ſit ſine voluntate peccandi. *De peccato autem veniali non oportet dubitare; quia de illo non eſt neceſſitas pœnitentiæ*: ergo putat, illud poſſe recipi cum peccato veniali, & iſtud poſſe remitti.

Prob. 2. ex Concil. Trid. dicente, (2) *Euchariſtiam eſſe antidotum, quo à quotidianis liberamur culpis, & à mortalibus præſervamur*. Et in Catechiſmo [3] ejuſdem docemur: *Remitti in Euchariſtia leviora peccata, quæ venialia dici ſolent, non eſt quod dubitari debeat*. Et Innoc. III. *Euchariſtia, ſi dignè ſumatur, a malo liberat, & confortat in bono; venialia delet, & cavet mortalia*. Et S. Ambroſ. *Iſte panis quotidianus ſumitur in remedium quotidianæ infirmitatis*, &c. ergo &c.

Hoc autem præſtat 1. *indirectè*, mediante aliquali pœnitentia, & retractatione, quæ ſemper neceſſaria eſt; & ad quam cibus iſte vires addit per gratias actuales, & habituales, quas confert. Nullum enim peccatum remittitur, quin retractetur formaliter,

[1] *d. 9. d. 4.* [2] *Seſſ. 13. c. 2.*
[3] *de effect. Euch.*

aut virtualiter. Item per actus virtutum, ad quos excitat, & juvat per eaſdem gratias. 2. *Directè*, minuendo reatum pœnæ ea proportione, qua auget gratiam; quia hæc auget jus ad gloriam; & maculas peccatorum abſtergit; & dat decorem, quo magis anima placeat Deo.

Hos fructus explicat Eugenius IV. in Concil. Florent. per comparationem alimenti corporei. *Omnem effectum, quem materialis cibus, & potus quoad vitam agunt corporalem .... ſacramentum hoc operatur quoad ſpiritualem .... paſſiones noxiæ minuuntur, & expelluntur; bonæ, & ſalubres cogitationes excitantur, quibus liberè aſſentiendo homo liberetur à culpis quotidianis*.

Prob. denique. Nam hoc Sacramentum cauſat gratiam habitualem ſecundam, ut probatum eſt; ſed hæc delet etiam venialia per ſe, & directè, ſecundum quod creſcit: ergo &c. Prob. min. ex dictis tr. de gratia, & effectibus ejus.

Objic. 1. Si Euchariſtia deleret venialia, non eſſet opus movere fideles, ut ſtudeant de illis dolere, ut ab eis mundentur ante Communionem: ſed conſeq. eſt contra praxim, & falſum: ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam utiliſſima eſt illa pœnitentia: quia ſic dignius, & ad uberiorem gratiam accedimus. Et præterea objectio ſupponit, nos velle, quòd illa remittantur ſine omni pœnitentia, quod abſit. Volumus enim, ut illa ſint extra omnem affectum noſtrum. Deus enim non remittit offenſas niſi retractantibus eas.

Objic. 2. Communicans debet eſſe in gratia: ſed gratia non eſt cum venialibus: ergo nec cum venialibus debemus communicare. Prob. min. Nam gratia delet mortalia; ergo & venialia: quod enim delet majus, delet & minus; & quidem à fortiori.

Reſp. neg. min. & 1. ant. & diſt. 2. delet minus, quod eſt in eodem ordine, & genere, con. in diverſo, neg. ant. Gratia ſanctificans non eſt incompatibilis cum veniali, ſicut cum mortali. Hæc duo peccata ſunt diverſi ordinis, & generis: veniale non avertit à Deo, ſicut mortale.

Objic. 3. Si deleret venialia, deberet etiam delere ea quæ ſunt recipiendo Sacramentum ipſum, ut tepidita-

tes,

tes, diſtractiones, &c. Non enim eſt major ratio de aliis, quam de iſtis; nec unum deletur ſine alio, ut diximus de mortalibus: ſed conſ.eſt falſum; nam actualiter peccans non eſt ſine peccato, neque debet mundari per id, per quod peccat, & inquinatur; ergo, &c.

Reſp. neg.maj. & conſ. quia quæ præceſſerunt receptionem actualem, ſunt retractata, & extra affectum; ſed quæ actu fiunt in ipſa communione, actu ſunt in affectu.

2. Mortalia omnia opponuntur gratiæ, etiam phyſice, ut volunt Thomiſtæ, aut moraliter, ſecundum nos, non ſic venialia; unde illa non poſſunt remitti ſeparatim, bene vero iſta.

CONCLUSIO II.

P*Robabile eſt, peccatum mortale per accidens, & aliquando poſſe remitti per Euchariſtiam*. Eſt ſatis communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui dat caſum, in quo id contingere poteſt, &c. *Aliquis poteſt intelligi eſſe in peccato mortali 1. in actu, quo peccat mortaliter peccato interiori, vel exteriori. 2. quia poſt peccatum mortale præteritum, de quo non recolit, non pœnituit, nec pœnitet. 3. quia etſi de illo pœnituit, vel pœnitet, non tamen confeſſus eſt, nec ablutus in Eccleſia.... De 2. dico, quod ſi non ſit negligentia craſſa, puta, quia præceſſit examinatio ſufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit, vel ſit contritus, vel confeſſus prius, non peccat communicando, licet forte aliquid lateat, vel traditum fuerit oblivioni*, &c. ergo Scotus cenſet in tali, vel ſimilibus caſibus poſſe ſuſcipi hoc Sacramentum cum peccato mortali ſine novo peccato, & illud remitti. Prob.conſ. Nam ſi non peccat ſic communicando; ergo bene facit, & recipit fructum Sacramenti.

Prob.2. ex Conc. Trid. [2] definiente, quod Sacramenta omnia conferunt gratiam ſumentibus ea ſine obice; ſed in caſu poſito Euchariſtia ſumeretur ſine obice; ergo conferret gratiam; ergo & remiſſionem peccati, cum quo incompatibilis eſt gratia. Prob. min. Nam

(1) *ibid.A.2.* [2] *ſeſſ.7.c.7.*

Nam iſte adhibet omnem diligentiam, ut tollat omnem obicem, & dolet de omnibus peccatis, quorum habet conſcientiam; & eſt ſic diſpoſitus animo, ut de occulto illo doleret, & confiteretur, ſi agnoſceret; ergo non habet verum obicem. Prob. conſeq. Obex gratiæ ſacramentalis eſt peccatum cognitum, & non retractatum aliquo modo ſufficienti; ſed iſtud non eſt cognitum, ſed retractatum ſaltem implicite, & virtualiter cum aliis; ergo, &c.

Prob. 3. ex dictis de Sacramentis in genere. Extrema unctio, & alia, quæ dicuntur *vivorum*, poſſunt aliquando ſic cauſare primam gratiam; & quæ dicuntur *mortuorum* cauſant ſæpius 2. in adultis, qui ea recipiunt cum perfecta contritione; ergo Euchariſtia, licet ſit inſtituta ad cauſandam 2. poteſt etiam aliquando cauſare 1. quia non eſt minoris virtutis, quam illa alia.

Confir. 1. quia hoc videtur facere ad majorem dignitatem, & vim hujus Sacramenti. 2. quia niſi bona fides ſufficiat ad digne recipiendam Euchariſtiam, & ut quis ſit moraliter certus de illius effectu recipiendo, nunquam deberet ſumi: nam quis poteſt certior eſſe de ſua gratia? Et, ut notat Scotus, [1] *Delicta quis intelligit?* Et, *Neſcit homo, utrum amore, vel odio dignus ſit; ergo*, inquit, *ſi oporteret communicantem ſcire ſe eſſe in charitate, quilibet communicando ſe exponeret periculo, neſciens an ipſe actu peccaret.* Quando igitur homo ſeipſum diligenter probavit, & non agnovit in ſe peccatum mortale, poteſt communicare ſecurus de effectu ejus.

Objic. 1. Non debet tribui Sacramento ullus effectus ſine fundamento ex Scriptura, vel traditione Eccleſiæ, aut Patrum; ſed ex nullo ex his capitibus colligitur hic effectus in Euchariſtia, ſc. remiſſio peccati mortalis; ergo male aſſeritur. Prob. min. 1. enim ex Scriptura potius habetur contrarium, ſicut & ex traditione: nam utrobique dicitur, hunc panem ſumi in cibum, & potum; & quod *qui manducat indigne judicium ſibi manducat, & bibit*; & quod *cibus, nec potus non prodeſt mortuis*; ergo neque ex Scriptura, neque ex traditione colligitur illa efficacitas Euchariſtiæ.

[1] *ibid. Pſ.* 18.

Reſp.

Reſpon.neg.min. & 2. conſ. Nam 1. id colligitur ex Trid. cit. [1] & in Can. 5. ubi dicit anathema, *ſi quis dixerit, vel præcipuum fructum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire:* nam ſufficit, quod non dicamus Euchariſtiam primo, & per ſe, ſeu præcipue remittere peccata, & non prohibemus id dicere de ſecundario, & accidentali effectu. Et Eccleſia ipſa in quadam oratione petit, ut hoc Sacramentum ſit nobis ablutio ſcelerum, & remiſſio omnium delictorum.

Inſt. Pius V. in Catechiſmo [2] ait: *Sicut mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt, ita nec animæ prodeſt cibus ſpiritualis;* ſed habens peccatum mortale quantumvis occultum eſt in morte animæ; ergo, &c. Item S. Ambroſ. [3] *Nemo accipit cibum Chriſti, niſi prius fuerit ſanatus.* Et S. Gregor. [4] *Salutem non percipiunt in comeſtione ſalutaris hoſtiæ, qui ea, quibus ſe repleverant, flagitia portant in mente;* & ſic de aliis; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam neque Catechiſmus, neque iſti, vel alii Patres loquuntur in caſu noſtro, in quo quis non ſe agnoſcit habere peccatum mortale, ſed paratus eſt illud expiare, ſi agnoſceret poſt diligens examen.

Objic. 2. Nullum ſacramentum operatur præter Chriſti intentionem, ne quidem per accidens; ſed intentio Chriſti eſt ſolum de augmento gratiæ per Euchariſtiam; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. præter intentionem primariam, aut ſecundariam, conc. præter primariam, neg. maj. & conſ. & ſic pariter diſt. min. Nam primaria Chriſti intentio eſt quidem, ut Euchariſtia cauſet augmentum gratiæ, & non prodeſt niſi juſtis; tamen ex intentione ſecundaria voluit, ut proſit omnibus, qui bona fide diſpoſiti accedunt.

Objic. 3. Chriſtus hoc Sacramentum inſtituit in cibum, & potum animæ; ſed cibus, nec potus non proſunt mortuis; ergo nec Euchariſtia habentibus peccatum mortale.

Reſp. eodem modo, ut cibum ex primaria intentione, conc. ex ſecundaria, neg. maj. Nam cum ſit panis

[1] *Ibid. c. 5.* [2] *de Effect. Euchar. in 6.*
[3] *Luc. 9.* [4] *1. Reg. 1.*

panis vitæ, & vivus, voluit, ut qui bona fide non agnoſcentes in ſe mortem accederent, vivificari ab eo poſſent: cibus autem corporalis non habet vitam in ſe, ſicut iſte: ideo non mirum, quod in nullo caſu proſit mortuis. *Crede, & manducaſti, non me convertes in te, ſed tu converteris in me*, ait ipſe Chriſtus apud Auguſtinum, ſcil. oportet ut comedens panem corporalem agat in ipſum, ut eum in ſe convertat: panis autem iſte agit in comedentem, a quo non convertitur, ſed convertit eum.

Objic.4.Prima gratia differt eſſentialiter a ſecunda: ergo Sacramentum inſtitutum pro ſecunda non poteſt conferre primam: quia nihil poteſt agere extra ſuam ſpheram.

Reſpon. neg. ant. Non enim differunt niſi extrinſece, & ex connotatis, quatenus 1. ſupponit peccatum remittendum, & negationem prioris gradus, quem ſupponit 2.

Objic.5. Si aliquando id poſſet, maxime in eo, qui putaret ſe eſſe contritum, cùm eſſet ſolum attritus; ſed hic caſus non valet; ergo nullus valebit. Prob. min.Attritio putata contritio eſt ſemper attritio; ſeu attritio pura numquam cauſat primam gratiam; ergo neque ut putata contritio.

Reſpon.neg.1.min.& diſt.2. attritio pura, & ſe ſola præcise, & per ſe, conc.cum Sacramento, neg. min. Nam licet in phyſicis cauſæ non agant ſupra ſphæram ſuam, non ita eſt in cauſis moralibus, qualia ſunt Sacramenta, quæ agunt ſub volitione divina, quæ intuetur corda: imo non tam illa,quam Deus ipſe agit,qui intuetur cor, & bonam fidem hominum; eorumque miſeretur, quando placet ei.

Objic. denique. Sequeretur, Euchariſtiam eſſe Sacramentum vivorum; ſed hoc eſt falſum, & contra omnes; ergo, &c.

Reſpon.diſt.maj. & min. per accidens, & in ſenſu concluſionis, conc.maj. & neg.min. per ſe, & ordinarie, neg.maj. & conſeq. Nam ſicut aliquando Sacramenta mortuorum dantur vivis; ita & quandoque Sacramenta vivorum dantur, & proſunt mortuis, ut iſtud in caſibus extraordinariis.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

De aliis effectibus Euchariſtiæ.

PRæter effectus enumeratos, ſc. gratiæ 1. & 2. cum remiſſione venialium, & mortalium per accidens plures alii notantur in Conc. Trid. cit. & a SS. Patribus: Inter quos præcipui ſunt.

1. Præſervatio a mortalibus, & a venialibus; quia cum ſumatur per modum nutrimenti, reparat, & auget vires animæ per peccatum originale, & actualia debilitatas; ſicut per cibos corporales reparantur, & augentur vires corporum per infirmitates debilitatæ. Item dat jus ad auxilia gratiæ actualis in eundem finem: & maximè, quia eſt memoriale paſſionis Chriſti, cujus conſideratione excitamur, & juvamur ad opera virtutum, & deterremur a vitiis, & movemur ad mortificandos appetitus contra tentationes, &c.

De his effectibus loquitur forte Pſalmiſta, [1] dicens: *Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qui tribulant me*. Et, ut loquitur Chryſoſt. *Surgimus ab illa menſa tamquam leones ignem ſpirantes, facti diabolo terribiles*. Et S. Cyprianus dicit, [2] SS. Martyres inde animos, & arma ſumpſiſſe, ut vincerent Tyrannos, & tortores, & tormenta: *Quos excitamus ad prædam, non inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis, & corporis Chriſti muniamus .... cum ad hoc fiat Euchariſtia, ut poſſit accipientibus eſſe tutela: quos tutos eſſe volumus contra adverſarios, nutrimento Dominicæ ſaturitatis armemus*.

2. Eſt ſpiritualis animæ ſuavitas, & victrix gratiæ delectatio in rebus ſpiritualibus: quia Dei dulcedine quaſi inebriatur ſpiritus, dicente Sponſo, [3] *Comedite amici, & bibite, & inebriamini*. Et Sapiens [4] ait: *Nutriviſti populum tuum, & panem de cœlo præſtitiſti eis ſine labore omne delectamentum in ſe habentem*. Et ipſe Chriſtus per Pſalmiſt. *Calix meus inebrians*, &c.

Cum Chriſtus inſtituens hoc Sacramentum, & ipſa nocte

[1] *Pſal.* 20. [2] *epiſt. ad Corn.*
(3) *Cant.* 5. (4) *Sap.* 16.

nocte tradendus in mortem dixerit: [1] *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*, inde SS. Patres vocant hunc cibum [3] *præludium beatitudinis, menſam Dei Patris, virtutis cibum, ſalutis epulum, delicias honeſtatis, & gloriæ*. Hæc, & ſimilia reſpiciunt animam, & ſunt effectus ſpirituales.

3. Quoad corpus autem eſt moderatio appetituum, & concupiſcentiæ, ac fomitis peccati. Nam, ut docet Catechiſmus Romanus, [3] *Carnis libidinem cohibet, ac reprimit; dum enim igne charitatis animas magis incendit, concupiſcentiæ ardorem extinguat neceſſe eſt*.

4. Circa idem corpus ibi eſt velut ſemen immortalitatis, & reſurrectionis. Nam inquit ipſe Chriſtus Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*; (ſcilicet in ſemine, & cauſa) *& ego reſuſcitabo eum*, &c. Ideo S. Ignatius vocat hunc panem *pharmacum immortalitatis, & præſervativum contra mortem*, ſcilicet perpetuam.

5. Eidem corpori confert in rite ſuſcipientibus corporis puritatem, & caſtimoniam. Ideo dicitur [4] *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Et ut S. Paſchaſ. [5] *Felix fructus ubertatis, ex quo virginitas germinatur. Nam hoc noſtri generis vino caſtitas corrumpitur; ab iſto vero virgines procreantur*. Et ſic de aliis.

6. In corpore myſtico cauſat unitatem fidelium inter ſe, & cum Chriſto capite. *Eſt ſacramentum unitatis, quo fideles uniuntur cum membris, & capite*, inquit Doctor, [6] &c. Hæc, & ſimilia tetigiſſe ſufficiat; plura, & ampliora vide apud SS. Patres, & utiliora ſunt Aſceticis, & Concionatoribus. Scholaſtici nihil hic habent diſputandum.

QUÆSTIO IV.

Quando Euchariſtia operetur effectus ſuos.

SIcut cibus corporis non prodeſt niſi manducatus, ita nec iſtud Sacramentum, quia datur ut cibus. Sed

(1) *Luc.* 22. [2] *Chryſol.* [3] *num.* 55. [4] *Zach.* 9. [5] *de corp. & ſang. Dom.* 21. [6] *d.* 9. *q.* 1. *E.*

Sed quia cibus iſte ſumi poteſt 1. in voto, & ſpiritualiter. 2. in manibus. 3. in ore, antequam deglutiatur. 4. in ſtomacho, & dum tranſit per guttur; quia aliquandiu ſpecies durant ibi, antequam corrumpantur: quæritur, an in his temporibus, & circumſtantiis operetur ſuos effectus.

Hæretici, qui aliam efficaciam non agnoſcunt in Sacramentis, quam excitare in nobis fidem, dicunt, iſtud potius operari ſuſceptum in voto per fidem, & deſiderium, quam in re, ſeu in ore, vel ſtomacho. Inter Catholicos autem quidam putant illud operari, quam primum eſt in ore, & dentibus teritur; quia hoc vocant *manducare*, ſeu *mandere*. Alii, dum incipit deglutiri, & tranſit per guttur. Alii nolunt id fieri, antequam ſit in ſtomacho. Quidam addunt, quod tanto plus gratiæ confert, quanto diutius durat ibidem. Quoad certitudinem momenti hæc ſoli Deo reſervatur.

CONCLUSIO I.

Eucharistia tunc cauſat gratiam, cum primum ſpecies deglutitæ perveniunt in ſtomachum, non autem in voto, nec in ore, nec præciſe in gutture. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenus jejunium naturæ putat illibatum, donec *cibus recipiatur in ſtomacho, vel ſit in via ad ſtomachum, ita quod intret ſtomachum*; ergo cenſet, cibum non dici proprie ſuſcipi, quamdiu eſt in ore, vel gutture, nec antequam intret ſtomachum; ergo neque Euchariſtia dicenda eſt ſuſcipi, neque cauſare gratiam, niſi ſpecies intrent ſtomachum.

Prob. 2. Tunc Euchariſtia cauſat gratiam, quando eſt vera manducatio corporis Chriſti; quia ex inſtitutione divina datur per modum cibi; & effectus ejus habet rationem nutrimenti: ſed manducatio non eſt vera, & perfecta, donec cibus perveniat ad ſtomachum; ergo, &c. Prob. min. 1. id aperte conſtat de voto, & manibus: quis enim diceret, quod deſiderium edendi, vel geſtatio, aut tactus cibi ſit manducare? 2. de gutture, vel ore: nam, ut dicebamus ex Sco-

[1] *d. 8. q. 3. C. 9.*

Scoto, cibus, vel potus, quamdiu manet in ore, vel gutture, ita ut facile poſſit ejici, & donec deglutiatur, & ad ſtomachum perveniat, non frangit jejunium naturale.

Confir. Quamdiu cibus eſt in ore, & dentibus teritur, non eſt manducatus, nec cauſat nutritionem: ergo nec iſte cauſat gratiam, priuſquam deglutiatur. Ant. patet: nam ex ore, vel gutture poteſt ejici facillime: & Eccleſia vetat Euchariſtiam dari ægrotis, qui nequeunt deglutire ſpecies, licet poſſint eas recipere in ore, & gutture: quod non prohiberet, ſi tunc ſufficeret ad cauſandam gratiam. Prob. conſeq. Non promittitur gratia hujus cibi niſi illis, qui manducaverint: *Niſi manducaveritis meam carnem*, &c. *non habebitis vitam*.

Objic. 1. Gratia promittitur manducantibus, non vero deglutientibus hanc carnem; ſed manducatio fit in ore, non autem in ſtomacho; ergo & gratia datur, dum hæc caro Chriſti eſt in ore ſuſcipientis.

Reſp. diſt. maj. manducantibus complete, conc. inchoata, & imperfecta manducatione, neg. maj. & min. Nam manducatio eſt ſolum inchoata, ſed non completa, donec cibus deglutiatur, & ad ſtomachum perveniat.

Inſt. Poſt deglutionem non eſt manducatio, ſed fuit: nam *manducare* dicitur à verbo *mandere*, quod idem eſt, ac ore tenere, & terere dentibus; ergo, &c.

Reſp. neg. abſolute ant. & prob. ejus. Abſolute, & proprie dicitur manducare panem, non qui terit dentibus in ore, ſed qui deglutit; & quando cibus pervenit ad ſtomachum, fuit quidem maſticatio; ſed tunc primum adeſt perfecta, & vera manducatio.

Objic. 2. Sacramentum agit eo inſtanti, quo debite applicatur; ſed debite eſt applicatum eo inſtanti, quo eſt in ore; ergo, &c. Maj. patet, quia eſt cauſa neceſſaria. Prob. min. Hoc ipſo, quod eſt in ore, manducatur, & guſtatur, ut cibi naturales manducantur, & guſtantur: & Chriſtus aliam applicationem non requirit; ſed manducanti vitam promiſit; ergo, &c.

Reſp. neg. 1. min. & 2. maj. ſaltem de vera manducatione, ut dictum eſt. Nam hæc non fit in ore, niſi inchoate; Chriſtus vero exigit veram, & integram manducationem.

Objic.

Objic.3. Si hoc eſſet, infirmus, qui ore ſolo reciperet hoſtiam, non reciperet gratiam; ſed conſ. eſt falſum, & inconveniens; ergo, &c. Prob.min. Hoc enim eſt contra promiſſum Chriſti dicentis: *Qui manducat me*, &c.

Reſp.neg.min. & ant.prob. Nam contrarium patet ex lege Eccleſiæ prohibentis, Euchariſtiam dari non potentibus deglutire.

CONCLUSIO II.

EUchariſtia ex opere operato confert totum ſuum effectum in inſtanti ſuæ completæ applicationis, non autem ſecundum ſuam durationem in ſtomacho, niſi forte ex opere operantis, & ex nova ejus diſpoſitione. Nihil de hac re invenio in Scoto.

Prob. 1. Nam quod Euchariſtia cauſet in inſtanti completæ manducationis totum ſuum effectum, vel ſucceſſive, & quamdiu eſt realiter præſens in ſtomacho, pendet omnino a voluntate Dei inſtituentis;& de illa conſtare debet ex Script.ex definitione,& traditione Eccleſiæ,& Patrum: ſed de illa nullo ex capite conſtat,niſi abſolute de perfecta, & abſoluta ſumptione per modum cibi, & per manducationem; ergo tunc, & non alias operatur. Patet maj.Nam Chriſtus liberrime inſtituit, & potuit velle, ut ſimul,& in uno inſtanti cauſaret totum ſuum effectum, vel ſucceſſive; an autem ſic, vel ſic voluerit neſciri poteſt niſi ex illis capitibus. Min.autem patebit ex objectionibus; & quia alia Sacramenta non cauſant ſuum effectum ſucceſſive, ſed totum ſimul in inſtanti ſuæ perfectæ applicationis; ergo & iſtud.

Prob.2.quia ſi per durationem ſpecierum in ſtomacho cauſaret majorem gratiam, ex duobus æqualiter, vel inæqualiter diſpoſitis, qui frigidioris, ſeu debilioris eſſet ſtomachi, & virtutis digeſtivæ, reciperet plus gratiæ, quam robuſtior; & plus, aut minus gratiæ magis penderet a diſpoſitione caloris naturalis, quam moralis; ſed hæc abſurda ſunt; ergo, &c.

Confir. Qui plus panis, & vini ſumeret, reciperet plus gratiæ: nam tunc ſpecies panis, & vini diutius manerent in ſtomacho ante conſumptionem, ſeu corruptionem illarum; ergo reciperet plus gratiæ.

Inde forte irrepſerat abuſus, quem damnavit Innocent. XI. poſt Decretum S. Congregationis in menſe Februario 1679. quo quidam porrigebant ſuis devotis plures, aut grandiores particulas. Ideoque debent moneri Sacerdotes *nulli tradere plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, vel grandiores ſolito, ſed conſuetas*: ſc. putabant boni illi Sacerdotes, plures, aut grandiores illas particulas diutius manere in ſtomacho, & ſic ampliorem gratiam conferre; nec enim alius apparet prætextus introducendi talem abuſum.

Prob. 3. Tum quia in Scriptura gratia promittitur manducanti, non autem conſervanti hunc panem, & vinum, ſeu carnem, & ſanguinem Chriſti: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem*. Item cibus, & potus non magis nutriunt præciſe, quia diutius manent; ſed hoc Sacramentum operatur per modum cibi, & potus: ergo, &c.

Prob.2.p. ſc. quod forte ex opere operantis cauſet plus gratiæ, quando plus durant ſpecies in ſtomacho: quia pro toto illo tempore, quo fidelis credit Chriſtum ſibi realiter ineſſe, continet ſe in majori reverentia, poteſt ſæpius iterare actus fidei, ſpei, & charitatis, & aliarum virtutum, & cum intenſiori fervore devotionis; ergo & inde ampliores gratias conſequi poteſt.

Prob.2.quia hæc opinio eſt magis pia, & movet fideles ad diuturniorem fervorem devotionis erga Sacramentum; ergo non eſt ſpernenda.

Objic.1. Tribuendum eſt huic Sacramento, quod facit ad majorem gloriam Chriſti ſine abſurditate; ſed nulla eſt abſurditas,ſed major eſt gloria Chriſti, quod plus gratiæ conferat illi, in quo diutius exiſtit ſacramentaliter; ergo,&c.Prob.min. Non enim eſſet glorioſum Chriſto ibi manere otioſum; ergo, &c.

Reſp.neg.min. abſolute, & 2.conſ. Nec enim otioſus erit Chriſtus, ſi habens ipſum diutius operetur ex parte ſua, ut plus gratiæ accipiat; ſicut qui diutius coram ipſo ad altare maneat. Et ſicut non dicitur hic eſſe otioſus, licet nulli ex præſentibus det gratias, quia nullus ad eas ſe diſponit; ita nec in ſtomacho eſt otioſus poſt collatam gratiæ menſuram ex opere operato, etſi nihil amplius ibi operetur defectu cooperationis, & diſpoſitionis noſtræ.

Inſt.

Inſt. Ipſe Chriſtus docet majorem ſuam moram, & præſentiam longiorem eſſe utiliorem. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*. Et revera majus eſt beneficium, quo diutius manet in nobis corporaliter; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ipſe ibi loquitur de præſentia naturali, & ſenſibili, quam etiam dixit non ſemper expedire; ſed *expedit vobis, ut ego vadam*. Denique gratia hæc ſacramẽtalis ex ejus libero decreto, & ex noſtra diſpoſitione, nõ ex mora præciſe venit.

Objic. 2. Chriſtus tamdiu operatur gratiam, quamdiu manducatur: ſed tandiu manducatur, quamdiu manet in ſtomacho; ergo quo diutius manet, eo majorem operatur gratiam. Prob. min. Non enim poteſt dici vere manducatus, quamdiu ſpecies ſunt integræ in ſtomacho.

Reſp. 1. neg. maj. Nam pro illo inſtanti operatur ſacramentaliter, quo eſt perfecta manducatio in facto eſſe; alioquin utile eſſet diutius retineri ſpecies in ore, aut gutture, & late, ac guttatim ſumere, & deglutire ſpecies vini; quod eſt falſum, & abſurdum.

Reſp. 2. neg. min. Nam manducatio vera non pendet a digeſtione, ſed menſuratur ab ingreſſu cibi in ſtomachum.

Objic. 3. Quamdiu cauſa neceſſaria manet applicata ſubjecto diſpoſito, tamdiu agit; ſed Sacramentum eſt cauſa neceſſaria; & ſpecies tamdiu manent applicatæ cum carne, & ſanguine Chriſti, quandiu manent incorruptæ in ſtomacho; ergo tamdiu operatur gratiam.

Reſp. 1. diſt. maj. cauſa neceſſaria phyſica, & phyſice agens, & ſucceſſive, conc. agens moraliter, & inſtantanee, neg. maj. & conſ. Nam Sacramentum hoc, ſicut & alia, agit moraliter, & inſtantanee.

Reſp. 2. neg. min. Nam Sacramentum operatur moraliter in anima movendo Deum ad dandam gratiam in momento debitæ applicationis, & in Euchariſtia in inſtanti completæ manducationis ſimul, & ſemel, quantum eſt ex vi operis operati.

Quæres, *An qui recipit Sacramentum cum obice, ſi antequam deſinat eſſe in ſtomacho, reſipiſcat homo, & tollat obicem, recipiat gratiam*.

Reſp. 1. videri quidem, quod ſi completa ſit manduca-

ducatio, & preterierit momentum, in quo ex inſtitutione Chriſti debet operari Sacramentum, ille homo non recipit gratiam ex opere operato; quia gratiam non operatur, niſi recipiatur digne; hic autem recipit indigne Sacramentum. Sed tamen

Reſp.2.Probabilius eſſe, quod ſi tollatur obex,antequam Chriſtus deſinat ibi eſſe realiter, recipiet gratiam ille homo.

Ratio eſt, quia ex tract.1.patet, quod Euchariſtia, ſicut & alia Sacramenta ſumpta cum obice poſtea operantur ſublato obice; ergo & iſtud a fortiori, ſi tollatur obex, dum adhuc præſens eſt, & realiter applicatum; & maxime ſi homo tollendo obicem, & pœnitendo applicet ſibi de novo Sacramentum ex nova intentione, & devotione.

Quæres 2. *Quid ſi in ipſa ſumptione peccaret; v. gr. ſi ſacerdos poſt dignam communionem peccaret ſumendo calicem, vel ſi ſtatim poſt totam ſumptionem peccaret, & reſipiſceret ante deſitionem totalem ſpecierum?*

Reſp. Iſtum non recepturum gratiam 2. vice; quia idem Sacramentum non agit bis effectum ſuum; ſed in hoc caſu Sacramentum jam ſemel operatum fuiſſet in ipſa ſumptione gratiam, ſeu effectum ſuum; ergo non produceret,nec operaretur amplius, ſaltem ex opere operato. Prob. ant. Non enim fruſtratum fuiſſet effectu ſuo per obicem ſupervenientem completæ ſumptionis: & hoc verum eſt in 2.caſu; ſed in 1.non dubito, ſi tolleretur obex ante ſumptionem calicis quia reciperet totam gratiam Sacramentalem; quod a fortiori patet ex præcedenti quæſito.

Quæres 3. *An defectus attentionis in ſuſcipiente impediat effectum Euchariſtiæ.*

Reſp. Diſtractionem involuntariam non impedire effectum principalem ejus.

Ratio eſt, quia ſi actualis attentio requireretur, & ſi diſtractio naturalis, & involuntaria impediret effectum principalem Euchariſtiæ, qui eſt augmentum gratiæ, non potuiſſet conferri infantibus, ut olim fiebat ſtatim poſt baptiſmum; quia illi tunc non erant capaces attentionis; ſed conſ. eſt contra praxim primitivæ Eccleſiæ; ergo, &c.

Reſp.2. diſtractionem ex negligentia, aut levitate non impedire augmentum gratiæ, modo præceſſerit

actus

actus intentionis recipiendi ritè hoc Sacramẽtum; ſed hæc impediet ſenſum ſuavitatis, quam devotè ſuſcipientes percipiunt; ſicut qui diſtractè ſuſcipiunt cibum corporalem, aut potum, non percipiunt eorum ſuavitatem. Secus eſt de diſtractione voluntaria; quia hoc argueret impietatem, & enormem contemptum hujus Auguſtiſſimi Sacramenti, & ipſius Chriſti; & ideo tales reciperent indigniſſimè, & judicium ſibi manducarent, non dijudicantes Corpus Domini.

DISPUTATIO VI.

De cauſis conficiente, miniſtrante, & ſuſcipiente Euchariſtiam.

HUc uſque diſſeruimus de iis, quæ ſpectant ad intrinſeca hujus Sacramenti: Reſtat dicendum de extrinſecis, ut ſunt miniſter, & ſubjectum, ſeu cauſa effectiva, & ſuſceptiva, & præcipuè de miniſtro conficiente.

QUÆSTIO I.

Quis poſſit conficere Euchariſtiam.

CUm Sacramentum hoc conſiſtat in eſſe permanenti, habet miniſtrum ſuum conficientem diſtinctum à miniſtrante; quod non contingit in aliis, in quibus idem eſt conficiens, & miniſtrans; quia eorum eſſentia conſiſtit in uſu.

Vvicleff. & Lutherus docebant, confectionem Euchariſtiæ ſpectare quidem ad Sacerdotes ut miniſtros ordinarios; ſed in caſu neceſſitatis hanc poteſtatem tribuebant laicis. Nam omnibus fidelibus dictum aſſerebant, *Hoc facite in meam commemorationem*. Idem ſomniaverat Calvinus; [1] ſed diſcipuli ejus id tribuunt ſolis miniſtris, quos vocant Euangelii, & ad hoc deputatis; imò & fœminis id quondam conceſſerunt Montaniſtæ, & Marcitę, & Collyridiani: & apud Vvaldenſes dicebatur, quòd *omnis laicus bonus ſit ſacerdos*.

[1] 4. *invit.* 17.

CONCLUSIO.

Solus ſacerdos eſt miniſter confector hujus Sacramenti. Eſt de fide contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Loquendo de poſſe ſimpliciter* (miniſtrare Euchariſtiam) *nihil requiritur ultra materiam... niſi miniſter debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, ſc. quòd ſit ſacerdos; quòd poſſit proferre verba conſecrationis; & quòd poſſit habere intentionem debitam, ſc. faciendi quod intendit Eccleſia facere*.

Prob. 2. ex Concil. Lateran. ſub Innoc. III. (2) *Hoc utique ſacramentum non poteſt conficere niſi ſacerdos ritè ordinatus*. Et colligitur ex Nicæno, (3) & noviſſimè ex Trident. (4) *Fateri oportet, in Eccleſia novum eſſe viſibile, & externum ſacerdotium à Chriſto inſtitutum, atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus in ſacerdotio poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi corpus ejus, & ſanguinem*. Quod etiam colligitur ex præcedenti Seſſ.

Prob. 3. ex Script. Nam Chriſtus ſolis Apoſtolis hanc dedit poteſtatem creās illos ſacerdotes cum hoc Sacramento, ut definitur in Concilio cit. (5) *Hoc facite in meam commemorationem*: & ut loquitur Doctor, idem colligitur ex illis aliis verbis; (6) *Hæc quotieſcumque feceritis* &c. ubi loquitur Apoſtolis, vel ad minus non niſi diſcipulis, quibus in Eccleſia non ſuccedunt niſi ſacerdotes. Item ex illis verbis Apoſtoli: (7) *Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt?* nos ſc. Apoſtoli, & diſcipuli ejus: ſi enim quilibet fidelis poſſet conficere, non oporteret aliquem alium aliis frangere, ſed quilibet poſſet de ſuo ſacrificio communicare &c.

Confir. hæc ratio Doctoris ex antiqua praxi Eccleſiæ, quæ ſolebat fidelium manibus conſignare hoſtias conſecratas, quas ferebant domum, ubi propriis manibus communicabant; ergo ſignum eſt nullos, præter ſacerdotes, potuiſſe conficere hoc Sacramentum.

Con-

[1] *d.13.q.2.A.2.* [2] *c.firm.can.14.*
[3] *ſeſſ.23.c.1.* [4] *ſeſſ.22.can.1.*
[5] *ſeſſ.12.can.2.*
[6] *Ibid.* [7] *1.cor.10.*

Confir. 2. ex SS. Patribus omnium ſæculorum, quos longum eſſet recenſere.

Prob. denique. Nam inquit Seraph. Doctor, (1) *Decebat, ut ſacramentum illud, quod in magna reverentia fuit habendum, ſpecialibus perſonis committeretur ratione ſanctitatis, vel auctoritatis... ſi auctoritas poteſt tam malis, quam bonis concedi, & hanc vocamus ordinem ſacerdotalem.*

Objic. 1. ex Script. (2) Omnes fideles dicuntur *genus electum, regale ſacerdotium*. Item, (3) *Fecit nos regnum, & ſacerdotes Deo... Fecit nos Deo noſtro regnum ſacerdotium:* quod confirmat Tertull. *Nonne & laici ſacerdotes ſumus, ſicut ſcriptum eſt?... differentiam inter ordinem conſtituit Eccleſiæ auctoritas*: ergo quilibet fidelis eſt ſacerdos ex inſtitutione Chriſti.

Reſp. neg. conſ. Nec enim hoc ſignificant illi textus; ſed loquuntur de ſacerdotio in laxiori ſignificatione, ſicut de regno. Fideles omnes dicit *Sacerdotes*, quatenùs continua ſacrificia, & oblationes orationum, & mortificationum carnis, & ſpiritus offerunt: *Reges*, quatenùs dominantur appetitibus, reguntque paſſiones, & motus concupiſcentiæ. Sic Apoſtolus dicit: *Regnum Dei intra vos eſt*. Sic etiam loquitur Tertull. de ſacerdotio largè pro munere, non conſecrandi, ſed orationis, & pœnitentię oblationes, & ſacrificia offerendi. Quod addit de diſtinctione ſtatus laicalis à ſacerdotali, ſignificat Eccleſiam ordinaſſe gradus, per quos aſcenditur ab illo ad iſtum.

Inſt. Quando Chriſtus dixit, *hoc facite*, loquitur ad omnes tam recipientes, quàm miniſtrantes, & conficientes hoc Sacramentum: ergo utrumque ad omnes pertinet.

Reſp. neg. conſ. quia ſumptio neceſſaria eſt omnibus, & quoad illam omnibus loquitur; ſicut cùm dicit, *Niſi manducaveritis* &c. ſed confectio non eſt omnibus neceſſaria; ideò quoad hoc loquitur ſolis Apoſtolis, & Sacerdotibus.

Objic. 2. hiſtorias, quibus conſtare videtur, laicos, & ipſas fœminas conſecraſſe; ergo &c. Prob. ant. Nam Theodoretus narrat de Frumentio, quod in Indiis ſine ordinatione coram mercatoribus Italis cele-

 bra-

[1] *d.13.n.1.q.2.* [2] *1.p.2.Apoc.1.& 5.*
[3] *de caſtit.c.7.*

bravit. 2. de ſancta Petronilla, quòd *celebratis Dominicæ oblationis myſteriis, & Euchariſtia refecta obiit*. 3. in prato ſpirituali de quodam Monacho laico, quòd cùm verba conſecrationis protuliſſet ſuper aliquot panibus, apparuit Angelus, qui panes illos conſecratos eſſe declaravit; ergo laici, & fœminæ ipſæ, ut Petronilla, conficiebant Euchariſtiam.

Reſp. neg. conſ. 1. quia Frumentius ille potuit eſſe Sacerdos; unde paulò poſt dicitur fuiſſe factus Epiſcopus Indorum à S. Athanaſio; vel mercatores illi potuerunt habere ſecum Sacerdotem, qui celebravit. 2. quoad Petronillam non dicitur, quòd ipſa conſecraverit, ſed receperit Euchariſtiam moritura; oblatio verò facta erat à Sacerdote, ut tunc fieri ſolebat in cryptis, & carceribus coram martyribus propter tyrannos. 3. quoad librum, ſeu *pratum ſpirituale*, non eſt certæ auctoritatis: multa ibi apocrypha videntur, & maximè circumſtantiæ, in quibus factum iſtud narratur; apparet enim Monachum illum protuliſſe verba illa fortuitò, & ſine intentione conſecrandi. Denique panes illi fuerant antea conſecrati; & tales illos Angelus declaravit.

Objic. 3. Ex SS. Canonibus conſtat, Diaconos lapſos in idololatriam arceri ab officio prædicandi, *ſive à pane, ſive à calice offerendo*, ut legitur in Concilio Ancyrano [1] celebrato circa an. 214. Et in Concil. Laodiceno ſtatuitur an. 310. quòd *non oporteat ſubdiaconos panem dare, vel calicem benedicere*; ergo diaconi olim conſecrabant.

Reſp. neg. conſ. 1. quia in Canone Ancyrano privantur lapſi officio Diaconatus, in quo panem, & calicem non conſecrabant, ſed porrigebant fidelibus poſt conſecrationem factam per Sacerdotes. Et in Laodiceno cavetur, ne Subdiaconi officium Diaconorum uſurpent, quo Euchariſtiam miniſtrabant.

Objic. 4. Quilibet fidelis etiam laicus poteſt recipere Euchariſtiam; ergo & conficere, & quidem à fortiori. Prob. conſ. Qui poteſt majus, poteſt & minus; ſed majus eſt recipere Euchariſtiam, quàm conficere; ergo &c.

Reſp. cum Scoto [2] neg. conſ. & diſt. min. majus eſt ſumere quoad utilitatem, con. quoad dignitatem, neg. min.

[1] *Can.* 25. [2] *Ibid. n.* 20.

min. Chiſtus beneficium Sacramentorum voluit omnibus eſſe commune; jus autem confectionis, ſeu conſecrationis reſervavit paucis, ſc. Sacerdotibus. Uſus monetæ ad omnes pertinet, & melius eſt eam recipere, quàm cudere, ſed iſtud pertinet ad ſolos monetarios conſtitutos à principe.

CONCLUSIO II.

Quilibet ritè ordinatus ſacerdos poteſt validè conſecrare ſive peccator, ſive hæreticus, modò agat cum debita intentione in forma, & materia idonea, non autem licitè. Eſt de fide, & patet ex dictis de miniſtro Sacramentorum.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] ubi docet: *Requiritur in miniſtro, quod ſacerdos ſolus poteſt, & quilibet poteſt, cui poſſunt competere illæ duæ conditiones, ſc. prolatio* (verborum formæ) *& intentio* &c. & ſuprà dixerat, [2] quòd nulla cauſa oſtenditur, cur ille, qui non poteſt baptiſmum amittere, jus amittere poſſit baptizandi; ergo à ſimili *qui ordinem ſacerdotalem amittere non poteſt, nec jus conficiendi amittere poteſt*; ſed nullus Sacerdos ſive per peccatum, ſive per lapſum in hæreſim amittit ordinem ſacerdotalem, quia character eſt indelebilis; ergo nec poteſtatem conficiendi Euchariſtiam.

Prob. 2. Confectio Euchariſtiæ eſt actus poteſtatis, ſeu ordinis, non autem juriſdictionis; ſed poteſtas ordinis ſemel ritè accepta numquam amittitur, ſicut nec character, qui eſt nota ejus; ergo &c.

Confir. ex Concil. Trid. [3] *Quoniam in Sacramento ordinis character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri poteſt, meritò S. Synodus damnat eorum ſententiam, qui aſſerunt, novi teſtamenti ſacerdotes temporariam tantùm poteſtatem habere, ac ſemel ritè ordinatos iterum effici poſſe laicos, ſi verbi Dei miniſterium non exerceant*; ergo poteſtas iſta non poteſt auferri.

Confir. 2. Nam hæc poteſtas eſt principaliter à Deo, ab Eccleſia verò eſt tantùm miniſterialiter; ergo ſemel data non poteſt auferri, niſi à ſolo Deo, ut agnoſcit ipſa Eccleſia in Concil. Trid. cit.

[1] *Ibid.B.7.* [2] 1. q.1.n.1.
[3] *ſeſſ.23.*

Prob. 3. tum quia character ſacerdotii, qui eſt nota hujus poteſtatis, eſt omninò indelebilis, ut ſuo loco dictum eſt, & infra dicetur; ergo & poteſtas iſta: tum quia neque ex Scriptura, neque ex traditione, vel Decreto ullius Concilii, vel Papæ conſtat, quòd hæc poteſtas ablata fuerit ab homine viatore; ergo &c.

Prob. 4. Nam illa poteſtas ceſſaret vel in hæreticis, aut ſchiſmaticis, aut degradatis, aut publicis peccatoribus, vel excommunicatis; ſed nihil horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. ex Auguſt. (1) ſive ex cap. *quod quidam*, ubi loquens de præciſis dicit, quòd (1) *ſicut baptiſmus in eis. ita ordinatio manſit integra... De his, qui ab unitate Eccleſiæ Catholicæ ſeparati ſunt, nulla jam quæſtio eſt, quin habeant, & dare poſſint, & quin perniciosè habeant, & perniciosè tradant extra vinculum pacis* &c. ergo &c.

Prob. 2. p. & ſimul confir. 1. *Quidam recedentes ab integritate fidei poteſtatem acceptam ſacramento tenus retinent; effectu verò poteſtatis ſuæ penitus privantur*: Ubi gloſſa (3) notat ly, *ſacramento tenus*, dici, *quia ſi ordinant, conferunt ordinem, licet non debeant; & hoc eſt, quod ſequitur ſine effectu, id eſt ad ſuam propriam perniciem* &c. ergo nec hæretici, nec alii præciſi non conſecrant invalidè, ſed illicitè: nam eadem eſt ratio de conſecratione, ac de ordinatione quoad hoc.

Confir. ex dictis de miniſtris omnium Sacramentorum, quòd ſc. peccent graviter, ſi miniſtrent cum peccato.

Objic. 1. Degradatus amittit omne jus clericale; ergo & poteſtatem conſecrandi; ergo invalidè conſecraret.

Reſp. diſt. ant. jus clericale quoad uſum licitum, con. quoad habitum, & uſum abſolutum, & validum, neg. ant. Degradati amittunt jus ad uſum licitum, non ad validum abſolutè.

Inſt. Eccleſia dat poteſtatem conſecrandi; ergo & eam poteſt auferre per degradationem.

Reſp. diſt. ant. dat miniſterialiter, con. dat principaliter, neg. ant. Sic enim eam dat ſolus Deus per miniſterium Epiſcopi, ſeu Eccleſiæ.

Reſp.

[1] 2.*con.Ep.parmen.* 23. [2] 1.*q.*1.97.
[3] 1.*q*1.97.*n.*50.

Reſp. 2. neg. conſ. quia ſacerdos dat remiſſionem peccatorum dicens, *abſolvo te*; & eam datam non poteſt revocare.

Objic. 2. Hæreticus non habet rectam intentionem; nec enim intendit facere, quod facit Eccleſia Catholica, quam non agnoſcit, & extra quam eſt; ſed ſine illa intentione Euchariſtia non fit, ſicut nec aliud ullum Sacramentum; & maximè quia non profert conſecrationis formam in ſua propria perſona, ſed nomine Eccleſiæ; ideò non dicit, *offero*, ſed *offerimus*: ergo Sacerdos hæreticus, vel ſchiſmaticus non poteſt validè conſecrare.

Reſp. neg. conſ. Nam ſufficit, quòd poſſit habere intentionem illam rectam, ut re vera poteſt, licèt alioqui ſit hæreticus, vel ſchiſmaticus.

Reſp. 2. neg. min. Nam poteſt velle facere, quod fecit Chriſtus; quia propriè agit in ejus perſona potiùs, quã Eccleſiæ, cujus non ponit corpus, ſed ſolius Chriſti.

Objic. 3. Communi axiomate dicitur, *non eſſe extra Eccleſiam Sacramenta, nec dari locum veri ſacrificii*: ſed Sacerdos hæreticus, aut ſchiſmaticus eſt extra Eccleſiam; ergo non conficit vera Sacramenta; ergo neque Euchariſtiam.

Reſp. diſt. maj. extra Eccleſiam, ſeu extra Eccleſiæ ritum, & formam eſſentialem, con. quod fidem, & unitatem, neg. maj. Si non ſervetur forma, ſeu ritus eſſentialis per Eccleſiam præſcripta ut à Chriſto inſtituta, nihil fit, nequidem ab Orthodoxis; ſed ſi hæc ſerventur à quocumque vero Sacerdote, conſecratur validè.

Inſt. ex SS. Patribus. Ad validam effectionem Sacramenti requiritur fides, & ſpes; ſed utraque deeſt hæreticis; ergo &c. Prob. maj. 1. ex S. Cypria. [1] *Conſtat Euchariſtiam apud illos fieri non poſſe, ubi nulla ſpes eſt, & fides falſa, ubi omnia per mendacium fiunt.* 2. S. Gregor. [2] Euchariſtiam confectam ab Arrianis vocat *ſacrilegam communionem*. 3. Pelagius Papa: [3] *Non eſt corpus Domini, quod ſchiſmaticus conficit*. 4. S. Hieron. [4] *Impium eſt putare fieri ſolùm verbis, & non meritis ſacerdotum*: Quale autem meritum poteſt eſſe in hæretico? 5. S. Bernar. (5) negat, *hæreticos habere*

[1] *Ep. con. hær.* [2] 3. *dial.* 31. [3] *c. ſchiſ.* 24. [4] *q.* 1. *c.* 3. [5] *Sophon. S.* 66. *Cant.*

bere poteſtatem conſecrandi corporis, & ſanguinis Chriſti; ergo ex Patribus hæretici invalidè conſecrant.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nam Patres loquuntur de confectione licita, & in particulari: Cyprianus loquitur de illis, qui fingerent conſecrare, vel ex errore non ſervant formam eſſentialem; *Ubi omnia per mendacium fiunt*, inquit. 2. meritò S. Gregorius improbat communionem receptam ab Arrianis, non autem eorum conſecrationem ut invalidam, de quo non agitur ibi. 3. Pelagius loquitur de myſtico corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, non de phyſico, quale eſt Euchariſtia. 4. S. Hieron. loquitur ibi de Euchariſtia non Sacramento, ſed juxta etymologiam vocis, quæ ſignificat *gratiarum actionem*. 5. denique Bernard. loquitur de quibuſdam, qui ſe Apoſtolos dicebant, nec erant ritè ordinati.

Quæri poſſet hic, *an plures ſacerdotes poſſint eandem ſimul hoſtiam conſecrare*. Sed de hoc diximus, ubi de Sacramentis in genere, an plures ſimul miniſtri poſſint idem conficere Sacramentum, v. g. idem baptiſma.

QUÆSTIO II.

De adminiſtrante Euchariſtiam.

DIſpenſatio hujus Sacramenti plura requirit, quam conſecratio: in iſta ſufficit poteſtas ordinis; illa requirit aliqualem juriſdictionem, licèt hæc aliis, quam ſacerdotibus competere poſſit. Pauca tamen, aut ferè nulla hic controvertuntur.

CONCLUSIO I.

SOlus ſacerdos eſt ordinarius diſpenſator Euchariſtiæ; diaconus vero poteſt eſſe extraordinarius, ſc. in caſu neceſſitatis, & ex commiſſione ſacerdotis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, (1) qui ut probet hoc miniſterium præcipuè pertinere ad ſacerdotem, ſic argumentatur: *Sicut ab anima mediante corde derivantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde eſt principalis ſedes* ...

[1] *d.* 13. *q.* 2. *R.* 2.

ſedes . . . . & etiam in qualibet politia actus principales pertinentes ad illam politiam pertinent ad aliquam perſonam principalem in illa politia; ita rationabile eſt, iſtum actum conficiendi, & diſpenſandi Euchariſtiam reſidere apud illum, qui eſt principalis in Hierarchia Eccleſiaſtica: hujuſmodi autem eſt ſacerdos: ergo &c.

Confir. ex eodem: (1) quia non minoris reverentiæ, & auctoritatis eſt poſſe ſuper corpus Chriſti verum, quam ſuper myſticum; ſecundum ſoli ſacerdoti convenit: æquè ergo, vel magis propter reverentiam corporis Chriſti veri ſoli ſacerdoti conveniet auctoritas reſpectu ipſius conficiendi, & regulariter diſpenſandi. Non enim poteſt in Eccleſia nimis digna perſona, nec nimis dignus gradus inveniri ad conſecrationem, vel diſpenſationem iſtius ſacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui eſt ſanctus ſanctorum &c. Notanly, regulariter, ut videas, quod non excludit caſum neceſſitatis, & extraordinarium, in quo diſpenſatio committi poterit ordini inferiori, ſc. Diacono.

Prob.2. ex Script. (2) & Conciliis. Nam ſacerdotes vocantur miniſtri Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Et Concil. Trid. (3) In ſacramentali ſumptione ſemper mos in Eccleſia Dei fuit, ut laici à ſacerdotibus communionem acciperent: ſacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent: qui mos tamquam ex traditione apoſtolica deſcendens jure, ac merito retineri debet.

Idem docetur in decretis cap. pervenit, ubi dicitur (4) Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet; quia ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit. Et alibi: Non decet Diaconum panem dare præſente Presbytero: ergo Diaconis hoc regulariter non convenit extra caſum neceſſitatis.

Prob. 2. p. 1. ex Patribus, & traditione. Nam inquit Juſtin. Mar. (5) Abſoluta gratiarum actione Præſulis, & oratione plebis, Diaconi, quos vocamus, dant ſingulis præſentibus partem panis, & calicis. Et S. Cypr. (6) Solemnibus adimpletis, Diaconus calicem præ-

 ſen-

[1] Ibid. [2] 1. cor. 4.
[3] ſeſſ. 21. c. 8. [4] d. 2. de conſ. d. 39.
[5] Apol. 2.
[6] ſer. de lapſ.

ſentibus offerre cœpit. Et Concil. Nicæn. [1] *Innotuit, quod quidam Diaconi etiam ante Epiſcopum ſacramenta ſumant. Hæc omnia amputentur, & accipiant ſecundum ordinem poſt Presbyteros ab Epiſcopo, vel Presbytero S. Communionem; quod ſi non fuerit in præſenti Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi* (Diaconi) *proferant, & edant;* ergo aliquando diaconi ſibi ſumunt Euchariſtiam, & aliis porrigunt, ſc. in abſentia ſacerdotum, ſi neceſſitas urgeat.

Prob. 2. quia talis erat mos naſcentis Eccleſiæ, ſc. propter paucitatem ſacerdotum, & multitudinem, ac frequentiam communicantium, diaconis committebatur diſpenſatio corporis, & præcipuè ſanguinis. Sic S. Laurentius dicit, ſe *miniſtrum electum, cui commiſſa eſt Dominici ſanguinis diſpenſatio*: ſc. id faciebat ex delegatione ſancti Xyſti.

Dixi (*præcipuè ſanguinis*) quia corpus non poteſt diſpenſari, niſi tangatur in ſpeciebus panis: ideo requirit majorem dignitatem, & conſecrationem in miniſtro, qualis eſt ſacerdos; ſanguis verò datur in Calice, in quo non tangitur, inquit Scotus. (2) Vide aliam rationem in S. Thoma.

Igitur defectu ſacerdotis diaconus, periclitante ægroto, poſſet deferre viaticum, & ſibi ſumere in pari caſu. Neutrum verò permittitur ſubdiacono, nec laico, ut patet ex Concil. Rhem. (3) *De jure tamen divino neutris reperitur vetita corporis contrectatio*. Olim fideles accipiebant de manu Presbyteri S. Euchariſtiam, & domum portabant ſumpturi eam ſuo tempore. Hic mos vigebat adhuc tempore S. Auguſtini, (4) qui inſtruebat populum ſuum, quomodo gerere debebat ſe in hoc. *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus ſuas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant.* Sed clariùs id explicat Cyrillus Hieroſol. (5) *Accedens ad communionem, non expanſis manuum volis accede, neque digitis disjunctis; ſed ſiniſtram, veluti ſedem, ſubjiciens dexteræ, quæ tantum Regem ſuſceptura eſt, concava manu ſuſcipe corpus Chriſti, dicens, Amen.* Et S. Baſil. (6) *Sacerdos particulam tradit; detinet autem eam cum omni libertate is, qui accepit,*

[1] *can.* 14. [2] *q.* 82. *a.* 3. *1.* [3] *c.* 2. [4] *er.* 252. [5] *catech.* 5. [6] *Ep. ad Cæſar.*

pit, & ſic ori admovet propria manu. Solo igitur jure Eccleſiaſtico vetatur laicis ſacri panis contrectatio, & ſumptio propriis manibus. Unde in caſu neceſſitatis poſſet Eccleſia id permittere, ut Pius V. dicitur permiſiſſe Mariæ Stuariæ Reginæ Scotiæ, ſc. ut acceptam à Sacerdote Catholico hoſtiam ſuis manibus ipſa ſumeret graſſante Eliſabethæ Tyrannide.

Poſſet hic quæri de requiſitis in Sacerdote ad licitam Euchariſtiæ conſecrationem, & diſpenſationem: ſed de his nihil ſpeciale occurrit præter illa, quæ habentur in Ritualibus. Lege, ſi velis, Eminentiſs. noſtrum Brancatum. (1)

CONCLUSIO II.

Ad licitam Euchariſtiæ diſpenſationem requiritur aliqualis juriſdictio ſacerdotis in ſuſcipientem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] *Nam in qualibet politia actus principales pertinentes ad illam politiam pertinent ad aliquam perſonam principalem in illa politia: ita rationabile eſt, actum iſtum conficiendi, & diſpenſandi Euchariſtiam reſidere apud illum, qui eſt principalis in Hierarchia Eccleſiaſtica* &c. ergo ex Scoto (3) in miniſtro Euchariſtiæ requiritur aliqualis juriſdictio in ſuſcipientem; quia eſt actus hierarchicus.

Prob. 2. ex cap. *Religioſi*, ubi cavetur, *ne Religioſi præſumant miniſtrare Euchariſtiam laicis, aut clericis ſine Parochi licentia*. Et in Concil. Carthagin. I. [4] prohibetur clericis, & laicis communicare in aliena Parochia. *Statuit gravitas veſtra, ut unuſquiſque Clericus, & Laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris Epiſcopi ..... univerſi dixerunt, omnibus provides, & clericis & Laicis conſulis*. Et in Concil. Milevit. II. (5) *Placuit, ut quicunque non communicat in provincia propria .... jacturam communionis, & clericatus excipiat*; ergo proprii Epiſcopi, & Parochi in ſuis Diœceſibus, & Parochiis ſunt ordinarii miniſtri Euchariſtiæ in ſubditos; ergo in his requiritur & adeſt aliqualis juriſdictio.

[1] *d.* 14. *n.* 2. 3. 4.
[2] *Ibid.* [3] *de privil.*
[4] *clem. c.* 7.
[5] *c.* 18.

Confir. ex privilegiis Ordinum mendicantium, quibus datur facultas miniſtrandi Euchariſtiam in ſuis Eccleſiis omnibus requirentibus: ut Minoritis conceſſerunt Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. Pius IV. Innoc. X. ſi autem hoc pertineret ad omnes Sacerdotes indifferenter, fruſtra eſſent hæc Privilegia.

Prob. 3. Nam alia omnia Sacramenta habent ſuum miniſtrum ordinarium ex aliqua juriſdictione, ut diximus, & dicemus; ergo & iſtud; & maximè id ſpectat ad paſtores, qui debent paſcere oves ſuas, & vultum pecoris agnoſcere.

Confir. Nullus poteſt, vel debet paſcere oves non ſuas, nec mittere falcem in meſſem alienam; ergo de jure ordinario non omnibus indifferenter Presbyteris licet Euchariſtiam diſpenſare, ſed ſolis paſtoribus, vel ex eorum delegatione, ut Religioſi ex delegatione Apoſtolica.

Objic. 1. Omnis ſacerdos ex vi ſuæ ordinationis habet poteſtatem in Corpus Chriſti; & poteſt illud conficere: ergo & diſpenſare. Prob. conſ. Nam majus eſt conficere, quam diſpenſare, & qui poteſt majus, poteſt & minus.

Reſp. neg. utramque conſ. Nam in diſpenſante requiritur juriſdictio aliqua in eos, quibus diſpenſat.

Inſt. Non alia poteſtas requiritur in Miniſtro, quam quod ſit pater, & mediator inter Deum, & fideles; ſed hoc habet omnis ſacerdos ex vi ordinationis ſuæ; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam ad conficiendum ſufficit poteſtas ordinis, quam Chriſtus dat miniſterio Epiſcopi: ſed ad diſpenſandum, & exercitium requiritur juriſdictio, ut patet de pœnitentia, in qua nihil fit, ſi adminiſtretur ſine licentia Epiſcopi.

Objic. 2. Si requireretur juriſdictio, ſi quis ſine illa diſpenſaret, invalida eſſet communio: ſed hoc eſt falſum: ergo &c. Maj. patet ex paritate de abſolutione.

Reſp. neg. maj. quia abſolutio eſt ſimul confectio, & miniſtratio Sacramenti: non ita eſt in Euchariſtia, quæ iam exiſtit, cum miniſtratur, & habet eſſe permanens: & ſic valet quomodocumque diſpenſetur, licèt illicitè fiat.

Inſt. Ergo Sacerdotes deberent examinari, & approbari ad communicandum, ſicut ad abſolvendum:

ſed

ſed hoc eſt falſum, & contra praxim; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam id pendet a voluntate Ordinariorum; ſicut Regulares ad hoc habent approbationem generalem a Papa; & alii tacitam, vel expreſſam ab Epiſcopis, vel Parochis.

Inſt. 2. Pro abſolutione valida non ſufficit approbatio tacita; ergo neque ſufficeret pro Euchariſtiæ diſpenſatione.

Reſp. dato ant. neg. conſ. Nam abſolutio eſt actus formaliter juridicus; & ſententia lata a judice non ſuo eſt ipſo jure nulla: Communio autem non eſt actus judicialis, ſed alicuius ſuperioritatis in ſuſcipientem. Propterea

Dixi, requiri *aliqualem juriſdictionem* ad hoc miniſterium licite obeundum, ut ſignificarem non eſſe actum ſtrictæ, & propriæ juriſdictionis, qualis requiritur in Sacramento pœnitentiæ, quod confertur per modum judicii. Ideo dici potius debet ſuperioritas, & prælatio. Ut ut ſit, certum eſt, quod nequidem Regularibus licet Euchariſtiam dare in Paſchate Parochianis ſine Parochorum licentia. V. Summiſtas.

Quæres: *An aliæ conditiones requirantur in miniſtro Euchariſtiæ?*

Reſp. Plures requiri, maxime ut non habeat peccatum mortale, nec ſit ſimoniacus, vel excommunicatus, vel peccator publicus, vel depoſitus, aut ſuſpenſus, aut degradatus. Nam valeret quidem Sacramentum ab illis collatum; ſed non licet nequidem fideli illud ab eis petere, vel recipere, niſi in extrema neceſſitate.

QUÆSTIO III.

De recipiente Euchariſtiam, quis, & qualis eſſe debeat.

EUchariſtia ſumi poteſt quatuor modis. 1. pure *materialiter*, id eſt nec ſpiritualiter, nec Sacramentaliter; ut cum recipitur ſacra hoſtia, quaſi eſſet communis cibus; & qui ſic recipit, *judicium ſibi manducat*, &c. confundens Corpus Domini cum cibo profano; & ſic ſumeret infidelis, vel hæreticus ſine fide,

nel

vel impius ex contemptu. 2. ſumitur ut *Sacramentum*, & *Sacramentaliter*, ſed non *ſpiritualiter*; ut qui recipit illud credens ibi eſſe verum Corpus Chriſti, & ex ea fide, ſed non percipit ex eo fructum propter obicem peccati mortalis. 3. *Sacramentaliter*, & *ſpiritualiter*, ſc. ex ſana fide, & cum optima diſpoſitione; quia recipit Sacramentum cum omni ejus effectu. 4. *ſpiritualiter*, & non *Sacramentaliter* ab eo, qui eſt quidem optime diſpoſitus animo ad rite communicandum, ſed abſtinet a reali communione vel ex humilitate, vel alio inculpabili impedimento, licet afficiatur ingenti deſiderio, & pio affectu erga Sacramentum. Quærimus autem de ſubjecto capaci *Sacramentaliter*, & *ſpiritualiter* communicandi.

Certum eſt autem 1. id pertinere ad ſolum hominem viatorem: nec enim pro aliis inſtituta ſunt hæc Sacramenta. 2. ad hominem baptizatum: nam baptiſmus eſt janua omnium Sacramentorum, *& hic eſt panis filiorum non mittendus canibus*: & ſic excluduntur infideles, & Catechumeni. 3. ad ſolos juſtos; quia ex ſua inſtitutione non confert primam gratiam, ut diximus. Videndum reſtat de aliis.

CONCLUSIO I.

O*Lim infantibus poſt baptiſmum dabatur Euchariſtia, ſicut & perpetuo amentibus, ſed hodie non licet, ſaltem in Eccleſia Latina.* Eſt communis; ſed de hoc nihil video in Scoto.

Prob. 1. p. ex Concil. Trid. in quo aperte traditur, quod [1] *licet parvuli ratione carentes nulla neceſſitate obligentur ad ſacramentalem Euchariſtiæ communionem ... non ideo tamen damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit*: ergo cenſet, aut ſupponit, hoc alicubi, & aliquando uſurpatum fuiſſe.

Confir. ex antiquiorum Patrum traditione, ut patet ex S. Cypriano, qui ſcribit de parvulo, qui de pane, & vino coram idolo ſumpſerat, nequaquam poſtea in Eccleſiam delatus potuit Euchariſtiam deglutire. [2] *In ejus corpore, & ore violata Euchariſtia*

[1] *Seſſ. 21. c. 4.* [2] *Sec. de lapſ.*

ſtia permanere non potuit. Et S. Gregor. de infantibus dicit, quod [1] *non prohibentur lactari ante communionem, ſi neceſſe fuerit:* & ſic de aliis; ergo infantes baptizati non ſunt incapaces hujus Sacramenti. Hæc praxis adhuc vigebat undecimo ſæculo, ſc. tempore Hugonis a S. Victore, qui ſcribit, *pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie ſanguinis eſſe miniſtrandum digito ſacerdotis*. Et, ut diximus, olim poſt baptiſmum infantes Confirmationem, & Euchariſtiam accipiebant.

Prob.2. quia tam infantes, quam perpetuo amentes ſunt capaces fructus hujus ſacramenti; ergo poteſt eis dari, niſi aliud obſtet.

Prob.2. p. de amentibus. Nam ex Concil. Arauſic. 1. habetur: *Amentibus quæcumque ſunt pietatis conferenda ſunt, maxime ſi poſſunt prodeſſe*, ut hoc Sacramentum.

Confir. quia non eſt major ratio de parvulis ante uſum rationis, quam de his amentibus, qui ſunt perpetuo infantes quoad hoc; & talis fuit praxis Eccleſiæ.

Prob. 3. p. ex Ritualibus Eccleſiæ, in quibus jam prohibetur dari utriſque hoc ſacramentum, & quidem ſapienter, ob gravia inconvenientia inde nata. *Eadem eſt ratio de pueris recenter natis, & de amentibus, qui numquam habuerunt uſum rationis*: Unde *talibus non ſunt ſacra myſteria danda*; quamvis quidam Græci contrarium faciant, ait S. Thomas; [2] ſc. a quadringentis annis illa praxis apud Latinos ceſſavit.

Dixi, (*ſaltem in Eccleſia Latina*) nam, ut vides, tempore S. Thomæ ille mos vigebat apud Græcos, & forte adhuc viget; nec illum damnat Concil. Trid. ut patet.

Objic. 1. De jure divino Euchariſtia non debet dari niſi iis, qui poſſunt *probare ſe, ut de pane illo edant*, &c. ſed infantes, & perpetuo amentes non poſſunt ita ſe ipſos probare; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. pro his, qui poſſunt habere obicem gratiæ, con. pro aliis, qui non poſſunt habere talem obicem, neg. maj. & conſ. Tales ſunt pueri, & amentes, qui ſunt incapaces peccati; & ideo non egent examine.

Inſt.

[1] *L.1. de ſacr. 20.* [2] *q. 70. a. 9.*

Inſt. Si de ſe ſunt capaces hujus ſacramenti; ergo male illis negatur; quia privantur magna gratia.

Reſp. neg. conſ. quia cum iſtud augmentum gratiæ non ſit eis neceſſarium ad ſalutem, merito per ſubtractionem Sacramenti conſulitur ejus dignitati, & vitantur profanationes, & irreverentiæ graves.

Objic. 2. Concil. Carthag. IV. [1] jubet, pœnitentiam, & Euchariſtiam dari infirmo, *qui poſtquam petiit, & cum Sacerdos venit, oppreſſus infirmitate obmutuit, vel incidit in phreneſim*; ergo idem eſt de amentibus. —

Reſp. diſt. conſ. ſi poſt petitum Sacramentum ſana mente incidant in amentiam, & non ſit periculum vomitus, aut ejectionis, aut alterius profanationis, vel inconvenientis gravis, con. de amentibus perpetuis, qui numquam uſi ſunt ratione, neg. conſ. Nam de iſtis non loquitur Concilium.

CONCLUSIO II.

Euchariſtia datur energumenis, ſi habent lucida intervalla. Eſt communis.

Prob. 1. ex Concil. Arauſic. 1. [2] *Energumeni baptizati, ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini clericorum tradant, monitiſque obtemperent, omnimode communicent. Sacramenti ipſius virtute vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum jam oſtenditur vita purgatior*: ergo energumeni ſunt capaces Euchariſtiæ recipiendæ.

Confir. quia nulla eſt de his prohibitio, niſi forte de illis, qui ob aliquod publicum, & enorme crimen a dæmone eſſent poſſeſſi, vel obſeſſi: tales enim omnino arcendi ſunt ab hac menſa, donec omnimode purgati ſint.

Olim eis negabatur abſolute Euchariſtia; ſed ille rigor temperatus eſt a multis ſæculis, ut notat Caſſianus; [3] & ex Rituali Rom. id permittitur, dum non vetatur.

Dixi, *ſi habeant lucida intervalla*; nam quamdiu vexantur, timendæ ſunt irreverentiæ, & profanationes.

CON-

[1] *can.* 70. [2] *can.* 14.
[3] *coll.* 7. *c.* 29. & 30.

CONCLUSIO III.

INfideles, & non baptizati non tenentur præcepto Euchariſtiæ directe, & per ſe. Hęc controvertitur inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto: (1) quia *Chriſtus expreſſe docuit, ſe velle ſumi in Euchariſtia a quolibet Chriſtiano*; ſed infideles, & non baptizati non ſunt Chriſtiani; ergo &c.

Prob. 2. Nam infideles ante baptiſmum non ſunt capaces huius Sacramenti; ergo illis non præcipitur directe, & per ſe. Ant. patet, quia prius eſt naſci, & generari, quam nutriri; & panis iſte eſt filiorum, *non mittendus canibus*, ut dicebamus. Prob. conſ. quia potius arcendi ſunt ab hac menſa, quam trahendi ad illam, ut belluæ.

Confir. Qui non eſt capax actus imperati, non eſt capax præcepti, nec eo ligatur; ſed infideles, & non baptizati non ſunt immediate capaces communionis ſacramentalis; ergo nec præcepti ejus.

Dixi, *immediate, & per ſe*; nam ſicut obligantur ad fidem Chriſtianam, extra quam non eſt ſalus, ita & conſequenter ad alias obligationes chriſtianiſmi.

Objic. 1. Infideles tenentur ſuſcipere baptiſmum; ergo & Euchariſtiam. Prob. conſ. Nam æqualiter dicitur, *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. ſicut, *Niſi quis renatus fuerit*: ergo &c.

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. ant. Nam baptiſmus præcipitur nondum renatis, qui ſunt capaces regenerationis; infideles autem ſunt incapaces Euchariſtiæ; ideo non præcipitur eis directe, & immediate.

Objic. 2. Qui habent peccatum mortale, vel ſunt excommunicati, ſunt incapaces Communionis; & tamen ligantur hoc præcepto; ergo incapacitas non eximit infideles.

Reſp. neg. conſ. Nam peccator baptizatus capax eſt aliorum Sacramentorum, non autem infidelis, donec fuerit baptizatus; nec ſubjacet legibus Eccleſiæ.

Objic. 3. Illi, quibus hoc præceptum dabat Chriſtus, non erant baptizati, erant Capharnaitæ; ergo potius ligat non baptizatos.

Reſp.

[1] *d. 13. q. 2. R. 20.*

Reſp. neg. conſ. Non enim eis loquebatur pro illo ſtatu, vel tempore: alioqui debuiſſent ex tunc communicare, quod abſurdum eſt; ſed pro tempore publicati Euangelii.

Igitur infideles debent prius baptizari, & mediante baptiſmo ſicut fiunt ſubditi Chriſto, & Eccleſiæ, ita & ligantur præcepto Euchariſtiæ, cujus fiunt capaces per baptiſmum.

QUÆSTIO IV.

De diſpoſitionibus ad receptionem licitam, & validam Euchariſtiæ.

DIxi, *validam*, hoc eſt ſacramentalem, & ſpiritualem; nam ad ſacramentalem pure ſufficit ſtatus hominis viatoris, & baptizati, ut vidimus. Hæc autem breviter expedio, quia de his fuſe, & ex profeſſo agunt Caſuiſtę morales.

CONCLUSIO I.

AD licitam Euchariſtiæ ſumptionem requiritur ex parte corporis jejunum, & quidem naturale pro die, quo ſumenda eſt. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod regulariter oportet ad perceptionem ſpiritualem, & ſacramentalem ſuſcipientem eſſe jejunum ſimpliciter, ideſt jejunio naturæ, nec hujus veritatis eſt aliqua cauſa, niſi inſtitutio divina*.

Prob. 2. ex uſu, & perpetua traditione Eccleſiæ. Nam inquit S. Chryſoſt. [2] *Tu priuſquam communices, jejuna, ut quomodocumque communione dignior appareas*. Et Concil. Conſtantienſe: [3] *SS. Canonum auctoritas, laudabilis, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſervavit, & ſervat, quod hujuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, nec a fidelibus recipi non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, vel alterius neceſſitatis a jure, vel Eccleſia conceſſo*. Et Concil. Carthagin. III. [4] excipiebat diem in Cœna Domini, quo ſacerdotes diſpenſabantur, ut non jejuni celebra-

[1] *d.2.q.3. D.5.* [2] *ho.27.1.Cor.*
[3] *Seſſ.13.* [4] *Can.29.*

lebrarent; ſed hoc reparatum fuit in Conſtantin. IV. ut notat Cardin. Brancatus.

Prob. 3. quia, ut docet Scotus, *id exigit reverentia ſacramenti, quæ minor eſt regulariter in pranſo, quam in jejuno; & etiam ut primo quæratur cibus ſpiritualis, quam corporalis*. Ratio principalis petitur ex voluntate Chriſti inſtitutoris.

Objic. 1. Chriſtus ipſe conſecravit, & diſpenſavit non jejunis; ergo ex inſtitutione Chriſti non requiritur jejunium in conſecrante, nec in ſuſcipiente.

Reſp. neg. conſ. Nam quod 1. vice fecit poſt Cœnam, voluit deinceps fieri aliter. *Liquido apparet, quando primum acceperunt Apoſtoli Corpus, & Sanguinem Domini, eos non accepiſſe jejunos*, ait Auguſt. relatus c. [2] *Liquido* de conſecrat. [3] *Numquid propterea calumniandum eſt in univerſa Eccleſia, quod a jejunis accipitur? Hoc placuit Spiritui S. ut in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi*. Rationem dant alii, quia Chriſtus hoc inſtituit moriturus, & ſic in fine diei, nos vero poſt Reſurrectionem, & initio diei.

Objic. 2. Apoſtolus videtur permittere, ut ſi quis ante communionem [4] *eſurit, domi manducet*; ergo nulla eſt obligatio jejunii ante communionem.

Reſp. neg. ant. quia potius ibi improbat comeſſationes fieri in Eccleſia, & ante communionem: *Numquid domos non habetis ad manducandum?* &c.

Inſt. In Concil. Carthagin. cit. permittebat ſacerdotibus non jejunis communicare in die cœnæ; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam ceſſante ratione, ob quam Concilium illud id permiſerat, revocata eſt illa permiſſio, & praxis antiquæ Eccleſiæ, ut diximus.

Inſt. 2. Apoſtolus non improbat cibos, ſed exceſſum in eis committi ſolitum a Corinthiis ante communionem; ergo &c. Prob. ant. dicit enim: *Convenientibus vobis in unum jam non eſt dominicam Cœnam manducare: unuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ... & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*: ergo non improbat, quod prius pranderent, aut cœnarent, ſed quod excederent in cibo, & potu.

Reſp.

[1] *can. 29. d. 24 n. 89.* [2] *Ep. 118.*
[3] *d. 2.* [4] *1. Cor. 11.*

Reſp. diſt. ant. improbat exceſſum in convivio, quod ſumebant in Eccleſia, ubi divites non expectabant pauperes, vel eos contemnebant, con. quod prandèrent, vel cænarent ante Communionem, neg. ant. Non enim ibi loquitur de epulis in ordine ad Communionem ſacramentalem: fideles illi poſt iſtam Communionem ſolebant celebrare convivia, quæ dicebantur *Agapæ*, in quibus improbabat exceſſum.

Dixi 1. *regulariter*; nam plures ſunt caſus, in quibus non jejunis communicare licet. 1. infirmis in periculo mortis, ſi non poſſint expectare aliud tempus congruum ad communicandum, maxime pro viatico; *ne ſine viatico ægrotus diſcedat*, ait Concil. Nicænum. 2. ſi aliquo accidente celebrans non poſſit perficere ſacrificium inchoatum: v. g. ſi poſt conſecrationem panis, aut etiam Calicis cadat in apoplexiam, advocatur alius Sacerdos etiam non jejunus, qui ſacrificium perficiat; quia integritas ſacrificii eſt de jure divino, ut ſtatuitur in Concil. Tolet. VII. 3. Si Sacerdos inadvertenter ſumpſerit aquam pro vino, ſic frangens naturale jejunium, tenetur reſumere vinum, & illud conſecrare, & ſumere, ut ſit integrum ſacrificium. 4. Si poſt ſumptam ablutionem reperiat aliquam particulam ſpecierum in Calice, vel patena, aut corporali, & non adſint communicandi, nec poſſit reponi in pixide, tunc tenetur eam conſumere, licet non jejunus. Hæc præſcribunt Rubricæ.

Igitur ſine graviori peccato nemo poteſt hodie ſumere Euchariſtiam non jejunus extra caſus prædictos, vel ſimilis neceſſitatis.

Dixi 2. *jejunium naturale*, quod frangit omne id, quod ex ore in ſtomachum ſumitur per modum cibi, & potus, & etiam medicinæ in quavis modica quantitate ſenſibili, a media nocte uſque ad tempus Communionis. Hoc jejunium deſcribitur à Scoto, *Carentia cibi ſuſcepti in ſtomacho, vel in via ad ſtomachum, ita quod intret ſtomachum in die illa*. Unde Concil. Tolet. I. ait: *Nullus poſt cibum, potumque quemlibet minimum Miſſas facere præſumat*.

Quæres, *an ſumptio tabaci in fumo, vel pulvere, aut folio ſive per nares, ſive in ore, & maſticando frangat hoc jejunium, & impediat ſumptionem Euchariſtiæ?*

Reſp.

Reſp. 1. abſolute loquendo, tabacum in fumo, vel pulvere, aut folio præciſe non frangere; ſed tamen ſatius eſt abſtinere propter reverentiam. Sic cenſent plurimi quoad 1. p. apud Diana. [1]

Ratio eſt, quia quod non ſumitur naturali modo, ideſt per actionem vitalem comeſtivam, & per modum cibi, aut potus, quodque trajiciatur in ſtomachum, non frangit hoc jeiunium; ſed tabacum ſumptum in pulvere, aut folio per nares, vel fumo in ore non ſumitur, nec trajicitur in ſtomachum per modum cibi, nec potus actione comeſtiva: ergo non frangit jejunium naturale prærequiſitum ante Sacram Communionem.

Confir. Nam inſignes Theologi, ut Suarez, Fagundes, Celeſtinus, & alii docent, [2] quod ſi quis per nares aliquantulum aquæ ſumat, non frangit jejunium naturale; quia ſic non ſumitur per modum cibi, nec potus; ſicut frangeret, ſi ore ſumeretur; ergo multo minus tabacum naribus ſumptum, nec fumus ejus, licet iſte ſumatur ore, ſed ita ut non deſcendat in ſtomachum, ſed per nares emittatur.

Dices. Concilia Mexicanum III. & Limenſe III. prohibent [3] *ſub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis ne tabaci fumum, ſeu pulverem naribus, etiam prætextu medicinæ, ante Miſſæ ſacrificium ſumant.* Idem ſtatuitur in Synodo quadam Canarienſi: ergo &c. Prob. conſ. Nam licet hæc Concilia non obligent extra illas Provincias, ſunt tamen magnæ auctoritatis ad dandam magnam probabilitatem ſententiæ contrariæ; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nam id ita prohibent illa Concilia, quia forte in illis Provinciis tale eſt tabacum, vel ſic ſumitur, ut provocet vomitum. Unde Synodus illa non ſolum vetat ſumptionem tabaci ante Miſſam, ſed etiam poſt celebrationem, ſaltem per horam; ergo ſignum eſt, id prohiberi propter periculum vomitus, non autem propter jejunium.

Dices 2. Fumus tabaci eſt nutritivus, & ore ſumitur, & de illo poteſt aliquid trajici in ſtomachum; ergo ſaltem hoc modo frangit jejunium naturale.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ãt. Nõ enim ſic ſumitur

[1] *par.5.tr.13.reſol.50.*
[2] *Ibid.* [3] *Ibid.*

tur per modum nutrimenti; nec per ſe deſcendit in ſtomachum, ſed emittitur per nares, aut per ipſum os ejicitur. Negari etiam poteſt ant. Nec enim fumus ille eſt per ſe nutritivus, licet aliquid ejus trajiceretur in ſtomachum, alioqui odor, fumus ciborum frangeret jejunium illud; nec poſſet coquus accedere ad ollas ante communionem, quod eſt falſum, & contra praxim.

Dixi autem, quod *ſatius eſt ab his abſtinere propter reverentiam*: nam experientia docet, quod ſumentes tabacum propter diſtillationes, & emunctiones narium, & oris fœditates ſunt immundi, ſaltem corporaliter.

Quæres 2. *quid ſit dicendum de maſticatione*.

Reſp. Id mihi videri durius: nam licet ea, quæ ex ſucco tabaci trajici poſſunt cum ſaliva in ſtomachum, non ſumantur, nec deglutiantur per modum cibi, nec potus; ideoque graves Theologi putent, id non impedire S. Communionem; tamen non audeo iſtis maſticantibus permittere illa. Rationes eorum, qui omnem prohibent ſumptionem tabaci ante Miſſam, apparentiores ſunt pro maſticatione; quia hæc magis accedit ad cibum. Ita eſt de illis, qui ore tenent quædam aromata contra injurias aeris. Conſule meliores Theologos, vel tene tutiorem.

CONCLUSIO II.

IN *ſuſcipiente requiritur etiam munditia carnis ab omni copula, aut pollutione, maxime a culpabili*. Eſt communis.

Prob. 1. ex ipſa Rubrica Miſſalis, [1] ubi inter defectus cenſetur iſte; ſc. *pollutio nocturna, quæ cauſata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ ſit peccatum mortale*. Et S. Tho. [2] *Si quidem ſine peccato, vel cum peccato veniali, non ex neceſſitate impedit ſumptionem hujus ſacramenti, ita ſcilicet quod homo ſit reus corporis Domini*. Idem docet S. Bonaventura, & alii.

De coitu S. Hieron. in illud Apoſtoli, [3] *nolite fraudare invicem* &c. ait: *Si per coitum, quod minus eſt, impeditur, (orare) quanto plus quod majus eſt, id eſt* Cor-

[1] *de defect. c. 9. n. 3.* [2] *q. 8. a. 7.*
[3] *4. d. 12. p. 2. a. 2. q. 3*

Corpus Chriſti prohibetur accipere? ergo copula etiam licita inter conjugatos eſt impedimentum Communionis; ergo a fortiori pollutio, vel copula peccaminoſa.

Prob.2.ex Concil. Bituric. an. 1584. *Moneantur conjugati, ut non niſi præparati aliquot dierum continentia ad Euchariſtiæ ſumptionem accedant, inſtar Davidis, qui non niſi antecedente trium dierum continentia panibus propoſitionis uſus eſt* Et ex Concilio Eliberitano, ut habetur cap. *omnis homo*, d. 2. de conſecr. item ex Auguſtino: [1] *Qui audiunt dicentem me: Quicumque non ſervatis caſtitatem, nolite accedere ad illum panem, contriſtantur. Et ego nollem hoc dicere; ſed quid facio? Timebo hominem, ut taceam veritatem?* ergo ex Conciliis, & Patribus, qui peccant contra caſtitatem, debent per aliquod tempus abſtinere, donec peccata expiaverint, imo & donec carnem purificaverint.

Dixi *a pollutione, aut coitu maxime culpabili*: nam ſi hæc omni culpa vacant, non arcentur a Sacramento, ſaltem ex neceſſitate, bene vero ex congruitate.

CONCLUSIO III.

AD licitam, & validam receptionem Euchariſtiæ ex parte animæ neceſſaria eſt fides, & ſtatus gratiæ. Eſt de fide.

Prob. 1.ex Scoto, qui citans Apoſtoli verba: [2] *Qui manducat, & bibit indigne* &c. addit ex Gloſſa: *Talis eſt hujuſmodi, qui non ſpiritualiter eſt membrum Chriſti, & percipit Euchariſtiam, quæ perceptio ſignificat ipſum ſpiritualiter incorporari Chriſto*: verba gloſſatoris ſunt: *Si deſit fides, vel charitas, judicium ſibi manducat, & bibit.*

Prob.2.de fide, *quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ergo nec haberi poteſt gratia ſine fide, quia per gratiam placemus Deo.

Confir.ex eodem Apoſtolo. Sumens Euchariſtiam *judicium ſibi manducat, ſi non dijudicet*, ſeu diſcernat *Corpus Domini*: ſed non poteſt dijudicare, nec diſcer-

[1] *c.*21.*Ser.*46.*de ver.Dom.*
[2] *d.* 9. *A.* 1.

diſcernere niſi per fidem; ergo &c. Prob.min. Nam ex Catechiſmo Rom. [1] *Primam præparationem fideles adhibeant, ut diſcernant menſam à menſa . . . atque hoc fit, cum certo credimus præſens eſſe verum Corpus, & Sanguinem Domini.*

Prob. 2. p. de Gratia ex dictis de effectibus Euchariſtiæ. Nam ex vi inſtitutionis ſuæ eſt Sacramentum vivorum; nec cauſat niſi augmentum gratiæ; ergo ſupponit ſtatum gratiæ.

Prob.2.ex Concil. Trid. [2] *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quamvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad S. Euchariſtiam accedere debeat*, &c.

Confir.ex Ss.PP. Nam inquit S.Baſil.[3] *Mundemus nos ab omni inquinamento: atque ita ad ſancta accedamus, ut judicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus*: nulla autem atrocior immunditia eſt, quam peccatum mortale. Et Ambroſ. [4] *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi qui fuerit ante ſanatus . . . Ubique ergo in hoc myſterio hic ordo ſervatur, ut prius per remiſſionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur; poſtea alimonia menſæ cœleſtis exuberet*. Et ſic de aliis: nam Patres omnes nihil fortius commendant, quam animæ puritatem in hac menſa.

Aliæ rationes patent ex dictis de principali ejus effectu.

Objic. 1.cont. 1.p. Fides nullibi præcipitur lege humana, aut divina, aut naturali; ergo non eſt neceſſaria.

Reſp.neg.ant. Nam ex Apoſtolo citato jubetur homo *ſe ipſum probare, ut edat, & dijudicare Corpus Domini*, quod præſtare nequit, niſi per fidem.

Objic. con. 2. p. Si ſtatus gratiæ requireretur, nullus poſſet accedere; quia nemo poteſt ſcire ſe eſſe in gratia: *Quis enim ſcit an amore, vel odio dignus ſit?* & id patet ex tr. de gratia; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & diſt. prob.ſcire nemo poteſt certitudine phyſica, con.morali, neg. Nam baptizatus,aut confeſſus Sacramentaliter ſcit ſe ex parte ſua feciſſe requiſita ad juſtificationem; & poſt hanc ſui probationem,

[1] *n.59.* [2] *Seſſ.13.c.7.& can.11.*
[3] *L.2.de Bapt.* [4] *L.6.Luc.9.*

nem, & examen certus eſt moraliter ſe non habere peccatum mortale, ſed gratiam.

Inſt. ex Scrip. [1] *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, &c. ergo nulla certitudine poſſumus credere nos habere gratiam.

Reſp. diſt. ant. quòd peccatum non habemus aliquod virtuale, aut mortale, conc. peccatum veniale, neg. ant. Nec enim S. Joannes ſic loquitur de peccato gravi, ſed de aliquibus.

Objic. 2. Si hoc eſſet neceſſarium, homo numquam ſecurè accederet ad Euchariſtiam, ſed eſſet ſemper perplexus; ſed hoc eſt falſum, & inconveniens; ſic enim averterentur fideles ab hoc Sacramento; ergo, &c. Prob. maj. Facile eſt oblviſci alicujus peccati in examine, & in confeſſione, aut contritione; ergo ſemper eſſemus perplexi, an poſſemus communicare.

Reſp. neg. maj. & 2. conſ. Nam poſt exactum examen, peccata latentia non impediunt; facile eſt ea ſub conditione complecti. Et, ut docet Scotus, [2] *ſi non ſit negligentia craſſa, puta, quia præceſſit examinatio ſufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit contritus, aut confeſſus, non peccat communicando, licèt fortè aliquid lateat*, &c.

Objic. 3. Neceſſitas habendi gratiam non conſtat ulla lege divina, vel humana; ergo gratis aſſeritur. Prob. ant. 1. non lege divina; quia Chriſtus ipſe communicavit Judam, quem ſciebat eſſe in peccato. 2. non humana; quia Eccleſia, nec ulla poteſtas creata poteſt præcipere ſupernaturalia, quæ ſunt ſupra nos, & vires noſtras.

Reſpon. neg. utrumque ant. 1. Sacramentum hoc ex Dei inſtitutione eſt pro vivis, ſeu juſtis, nec prodeſt mortuis; ſicut nec profuit Judæ, cui porrexit illud, ne proderet peccatum ejus occultum; & ut doceret Sacerdotes, ne ob peccata occulta repellant fideles ab hac menſa, licèt cum Juda judicium ſibi manducent. 2. nihil frequentiùs Eccleſia prohibet, quàm accedere cum peccati conſcientia; nec fortiùs commendat, quàm ut homo ſeipſum probet, & dignè accedat, & cum veſte nuptiali.

[1] 1. *Jo.* 1. [2] *d.9.B.3.*

CONCLUSIO IV.

Omnis fidelis conſcius peccati mortalis tenetur præmittere confeſſionem Sacramentalem ante ſumptionem Euchariſtiæ, ſi poteſt; alioquì peccat mortaliter, ſi omittat confiteri. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd ſi occurrit opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm communicare; quia non tantùm debet reconciliari Deo, ſed & Eccleſiæ ad hoc, quod dignè recipiat Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis; ſi autem non occurrat opportunitas confitendi ſi poteſt ſine ſcandalo vitare, ne tunc communicet, tenetur non communicare, ſed expectare confeſſionem;* ergo, &c.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [2] *Eccleſiaſtica conſuetudo declarat, ut nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.... quod hæc ſancta Synodus perpetuò ſervandum decrevit, modò non deſit illis* (Sacerdotibus, qui celebrare tenentur) *copia confeſſoris,* &c. Et infrà: [3] *Ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat... illis, quos conſcientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſarii, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem:* vox *neceſſariò* notat gravitatem præcepti, ita ut obliget ſub peccato mortali.

Dixi 1. *ſi poteſt*; nam ſi non habeat copiam confeſſarii, & aliunde urgeat ratio aliqua communicandi, vel celebrandi, tenebitur ſaltem præmittere contritionem perfectam, quantum potuerit.

Dixi 2. *conſcius peccati mortalis*; nam ob venialia non urget tale præceptum.

Objic. D. Paulus non petit niſi examen, dicens: *Probet ſeipſum homo*; ſed ad illud examen non requiritur confeſſio ſacramentalis; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. Nam fruſtra peteret examen, niſi adeſſet confeſſio peccati detecti per illud: & ſic textum illum intellexit ſemper Eccleſia, ſc. de confeſſione ſacramentali.

Inſt.

[1] *ibid.* c. 4. [2] *ſeſſ.* 13. *c.* 7. [3] *c.* 1.

Inſt. Concilium dicit, hoc eſſe *de conſuetudine Eccleſiæ*; ergo non eſt de præcepto.

Reſpon. neg. ant. Nam addit, quòd Eccleſia *hoc ſervandum decrevit*; & declarat, *neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem*, ut notavimus.

Objic. 2. Si homo ſit contritus, fruſtra erit confeſſio Sacramentalis; nam per contritionem deletur peccatum, & datur gratia; ergo tunc confeſſio non eſt neceſſaria.

Reſp. neg. 1. ant. & conſ. prob. Nam, ut dicebam, confeſſio neceſſaria eſt non ſolùm pro majori ſecuritate remiſſionis, & gratiæ, ſed etiam ut recipiat *Sacramentum Eccleſiaſticæ unitatis*, inquit Scotus; & quia Deus hanc exigit præparationem ad pleniorem reconciliationem peccatoris poſt graviores offenſas.

Inſt. 1. Si rationes iſtæ valerent, numquam poſſet ſuppleri defectu confeſſionis; ſed conſ. eſt contra praxim; ergo, &c. Prob. maj. quia ſine hac confeſſione peccator non reconciliatur cum Eccleſia; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. non reconciliatur effectu ob impotentiam, conc. affectu, & proviſionaliter, neg. ant. Nam defectus confeſſarii excuſabat effectu, & ſuo tempore ſatisfit huic obligationi; quia ille tenetur, quam primùm poterit, confiteri, & tunc completur reconciliatio, quæ erat in affectu.

Inſt. 2. Qui communicat poſt veram contritionem, non manducat indignè; ergo non peccat communicando.

Reſp. neg. ant. quia peccat contra præceptum Dei, & Eccleſiæ; ſicque reddit ſe indignum.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus peccator diſpenſatur à confeſſione præmittenda, quos habes apud Caſuiſtas.

Notabis autem ex verbis Concilii, quòd qui ob inopiam Confeſſarii communicavit ſine confeſſione, tenetur poſtea, quam primùm poterit, confiteri: ait enim, quòd *ſi neceſſitate urgente ſacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quamprimùm confiteatur*.

Plura poſſent hìc dici de præparatione debita, & congruenti in ſuſcipiente hoc Sacramentum, ut intentio, devotio, &c. ſed hæc obvia ſunt ubique.

DISPUTATIO VII.

De Sacrificio Miſſæ.

QUia Euchariſtia, præter rationem, & vim Sacramenti, habet etiam rationem, & vim ſacrificii; eſtque non ſolùm commemoratio, & repreſentatio cœnæ Dominicæ, ſed etiam iteratio quædam incruenta cruenti ſacrificii crucis, ideo pro complemento hujus tractatus aliqua hìc attexenda ſunt de Euchariſtia in ratione Sacrificii, poſtquam diximus de illa ſub ratione Sacramenti.

QUÆSTIO I.

De ratione Sacrificii, in quo conſiſtat.

SAcrificii nomen venit à *ſacra facere*; & ſumitur 1. *generaliter* pro quolibet opere ſacro, & bono. Quo ſenſu *eſt omne opus, quoad agitur, ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo; relatum ſcilicet ad illum finem, quo veraciter beati eſſe poſſimus* (inquit Aug. [1] 2. *propriè* ſumitur pro actu virtutis Religionis, quo aliquid offerimus Deo in ſignum ſummi ejus in nos, & in omnia dominii, & noſtræ in eum ſubjectionis.

Aliud eſt *internum*, *ſpirituale*, & *inviſibile*, ſcilicet actus interior voluntatis, quo ſeipſum, & omnia ſuæ divinæ majeſtati offert homo; ſeu quo Deum ut ſupremum Dominum ſuum colit: aliud *externum*, & *ſenſibile*, ſc. actus exterior, quo internum illum affectum teſtamur; ſeu quo ſummam illi reverentiam, & cultum ſenſibiliter exhibemus; ſeu, ut loquitur Auguſt. *Inviſibilis ſacrificii viſibile Sacramentum*, id. *ſacrum ſignum*. De ſacrificio iſto hìc agimus; & quærimus in quo præcisè, & propriè conſiſtat.

[1] 10. *Civ.* 6.

CON-

CONCLUSIO.

S*Acrificium dici poteſt oblatio externa rei permanentis legitimè inſtituta cum ejus deſtructione, ſeu immutatione per miniſtrum legitimum, ſummam Dei excellentiam, & dominium, & noſtram in eum ſubjectionem repræſentans*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenùs docet: *In quacunque lege aliqua fuerant ſacrificia, vel aliqui ritus proteſtantes, iſtam reverentiam ſummo Domino exhibendam, & ſummam eſſe dominationem in eo, cui talia exhibentur, & ſubjectionem eſſe ad illum in exhibente*; ergo ex Scoto ratio ſacrificii poteſt ſic deſcribi ex fine.

Prob. 2. quia ſic ſufficienter declaratur natura talis actus Religionis, prout convenit, & differt ab actibus aliarum virtutum, imo & ab aliis ejuſdem virtutis hujus erga Deum.

Dicitur 1. *Oblatio*, quod ponitur loco generis: per id enim ſacrificium convenit cum illis aliis actibus virtutum, etiam Religionis: nec enim omnis oblatio eſt verum ſacrificium. 2. *externa, ſeu ſenſibilis*; eſt enim actus Religionis exterioris; & per hoc jam incipit differre ab actibus internis virtutum, qui largè dicuntur ſacrificia, ut contritio: [2] *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; & laudis divinæ: *Sacrificium laudis honorificabit me*, &c.

3. *Rei permanentis*; & ſic magis differt ab actibus tranſeuntibus, v. gr. adorationis, orationis, genuflexionis, &c. quibus ex religione colimus Deum ſive internè, ſive externè, ſed tranſeunter; & ideò non ſunt propriè ſacrificia.

4. Oblatio *legitimè inſtituta*, ſc. ex parte Dei; alioqui non placeret ei. Nam inquit Doctor: [3] *Sacrificia in lege ipſa naturæ non placuiſſent Deo, niſi fuiſſent à Deo inſtituta; imò reputarentur fatui, & præſumptuoſi, ſi talia ſine divino præcepto, vel inſpiratione feciſſent*. Et Auguſt. [4] *Sacrificium cùm exhibetur Deo ſecundum veram ejus inſpirationem, & doctrinam, vera religio eſt; quod ſi non habeat, erit noxia ſuper-*

[1] *d.9.A.2.* [2] *Pſal.50.*
[3] *4.d.1.q.7.* [4] *Ep.49.q.33.*

perſtitio. Et ratio eſt, quia ſacrificium eſt ſignum ſenſibile alicujus rei ſpiritualis, & ſacræ; ergo hanc ſignificationem accipit in habente poteſtatem dandi eam, aut rem ſignificatam: Antiqua erant figurativa eorum, quæ in lege Euangelica erant futura. Quis autem illis dare potuit illam ſignificationem, niſi Deus, qui ſolus iſta noverat?

5. *Cum ejus deſtructione, vel immutatione*. Nam inquit S. Thomas [1] *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit*: ut cum animalia occidebantur, vel comburebantur, aut cum panis frangitur; & hoc ſignificat ipſum nomen ſacrificii. Nam dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid eſſe ſacrum. Oblatio autem directè dicitur, cùm Deo aliquid offertur, licèt circa ipſum nihil fiat; ſicut dicuntur offerri denarii, &c. *Oblatio* (inquit Chryſoſt.) *non affert rei oblatæ deſtructionem, & hanc affert ſacrificium. Nam in ſacrificio res oblata vel occiditur, vel conſumitur*. Et Theopyl. *Sacrificium eſt, quod per ſanguinem, aut ignem eſt*; alioqui benedictiones aquæ, & panis, &c. conſecrationes Eccleſiæ, erectiones eſſent vera ſacrificia, quod nemo dixerit; ergo de eſſentia ſacrificii eſt, ut res oblata immutetur aliqua reali actione.

6. *Per miniſtrum legitimum*. Nam inquit Apoſt. [2] *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia .... Nemo ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*. Et ita ſervatum fuit in omni lege, ut ad ſacrificia offerenda deſtinarentur aliqui ſpecialiter. Sic Melchiſedech dicitur [3] *Sacerdos Dei Summi*. Et in lege naturæ primogeniti familiæ, & patres familias fungebantur ſacerdotio; qui verò alii ſacrificaſſe leguntur, ut Abel, Noe, Abraham, id ex ſpeciali inſpiratione fecerunt. In lege autem ſcripta huic muneri deſtinata eſt familia Aaron; & qui aliter illud uſurparunt temerè, ut Ozias, Saul, &c. percuſſi ſunt à Deo.

7. *Summam Dei excellentiam, & dominium, & noſtram in eum ſubjectionem ſignificans*. Eſt ultima ſacri-

[1] *2.2.q.85.art.3.ad 3.*
[2] *Hebr.5.* [3] *Gen.14.*

cificii differentia, & finis proprius. Quod clarum eſt, & de hoc conveniunt omnes: & ſic habes ſummatim eſſentiam, & conditiones Sacrificii.

QUÆSTIO II.

An Euchariſtiæ confectio, vel conſumptio, ſeu Miſsa habeat veram rationem ſacrificii.

Viſis conditionibus veri ſacrificii, reſtat videndum an in Eccleſia Chriſti ſit aliquod tale ſacrificium, & maximè in Miſſa, in qua conficitur, & conſumitur Euchariſtia; an ſcil. ibi offeratur Deo verum ſacrificium. Obſtinatè negant hæretici Calviniſtæ.

Euchariſtia, ut ſacrificium, variis nominibus legitur vocata. 1. *Liturgia*, ſeu *ſacrum miniſterium*; quia nullum in Chriſtiana Religione præſtantius. 2. *Myſtagogia*, ſeu *ſecreta actio*, quia olim non fiebat coram gentilibus, nec catechumenis, vel publicè pœnitentibus, 3. *Synaxis* propter unionem populi cum Chriſto: ſignificat enim ex Græco *convivium*, *collectam*, *congregationem ad orandum*, *ſacra myſteria*. 4. *Anaphora*, ſeu *ſurſum elatio*, quia cor noſtrum ad Deum elevat; cunitque Sacerdos, *ſurſum corda*, & populus reſpondet, *habemus ad Dominum*. 5. *Oblatio* per antonomaſiam: quippe nulla auguſtior, 6. *Collecta*; uam ad hoc ſacrificium celebrandum fideles in unum colligebantur. Denique omiſſis aliis, apud nos communiter dicitur *Miſſa*: cujus vocis origines, & cauſa habes apud Controverſiſtas; & alios Scriptores; nobis ſufficiat, quòd ſic ab Eccleſia vocatur hoc ſactificium, undecunque hoc nomen veniat.

Porrò iſtud ſacrificium acriter impugnant Lutherani, & Calviniſtæ, Luthero ſcribente an. 1528. *ſe ſupra omnes abominationes habere Miſſam, & nihil magis dolere, quam quod per annos quindecim Miſſas celebrarit Catholicorum more.* Calvinus apud Genevenſes, Eduardus VI. & tandem Parlamentum in Anglia an. 1549. Miſſam ut ſacrificium ablegarunt.

CONCLUSIO.

EUchariſtiæ celebratio, ſeu confectio, ſeu Miſſa eſt verum ſacrificium. Eſt de fide contra dictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente de cultu latriæ Deo debitæ, quod *determinatur ad hoc pro lege Evangelicæ quantum ad actum illum, ſecundum quem debet exhiberi, puta, in oblatione illius ſummi ſacrificii, ſc. Euchariſtiæ, quam debet ſacerdos offerre pro ſe, & pro populo*; ergo ſupponit, Euchariſtiæ celebrationem eſſe verum ſacrificium, quo exhibetur Deo cultus latriæ.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [2] *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum, & proprium ſacrificium. . . . anathema ſit*. Et Pius V. & alii Pontifices hanc Baii propoſitionem damnant: [3] *Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt ſacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut ſancta ſocietate Deo inhæreat homo* &c. Vide totum c. 1. illius ſeſſionis Concilii, ubi ſolidè probat hanc veritatem.

Confirm. ex antiquioribus, in quibus fit mentio ſacrificii altaris, ſacerdotii, &c. Nam hæc omnia pertinent ad ſacrificium; ergo agnoſcunt hic verum ſacrificium. Prob. ant. 1. ex Conc. Nicœno, ut habetur cap. *Pervenit*. [4] *Neque regula, neque conſuetudo tradidit, ut hi, qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem his, qui offerunt*, (ſc. Presbyteris) *corpus Chriſti porrigant*. Vides nomen oblationis, & ſacrificii in Euchariſtiæ confectione. 2. in Epheſino I. (5) dicitur *Sanctum, ac vivificum, incruentumque ſacrificium*. 3. in Calced. [6] dicitur *incorrupta hoſtia, terribile, & incruentum ſacrificium*. 4. in Tolet. XII. [7] dicitur *ſingulare ſacrificium, & corporis, & ſanguinis Chriſti immolatio*: & damnantur, *qui ſacrificantes non edunt. Nam quale erit ſacrificium illud, cui nec ipſe ſacrificans participaſſe cognoſcitur?* 5. in Laodic. (8) dicitur, *ſolis ſacratis licere ad altaria accedere . . . . non enim altare, niſi propter ſacrificia*. 6. in Nicæno II. (9) *Nemo unquam Apoſtolorum, aut ſanctorum Patrum incruentum*

[1] *3. d. 9. c. 4.* [2] *ſeſs. 22. c. 1.* [3] *prop. 44.*
[4] *d. 39. c. 24. & 18.* [5] *declar. 2.* [6] *act. 1.*
[7] *can. 5.* [8] *can. 19.* [9] *act. 6.*

entum noſtrum ſacrificium in memoriam paſſionis Chriſti factum vocavit imaginem corporis illius. 7. in Later.ſub. Innoc. III. [1] *Chriſtus in Euchariſtia eſt ſimul ſacerdos, & ſacrificium*. 8. in Rom. ſub Sylveſtro I. [2] *omnium conſenſu conſtitutum eſt, ut ſacrificium altaris non in ſerico panno, aut tincto quiſquam celebrare præſumeret, ſed in panno lineo*. Et ſic de aliis.

Prob.3. ex Script. Chriſtus ante mortem, ſeu in ultima Cœna obtulit aliquod verum ſacrificium; ſed hoc aliud eſſe non potuit, quàm quod dedit Apoſtolis, dicens, *Hoc facite*, &c. ſcilicet in corpore, & ſanguine ſuo: ergo iſtud eſt verum ſacrificium. Min. patet: quia id non potuit dicere de ſacrificio cruento crucis, nec de ullo alio fit mentio in Scriptura. Prob. maj. Chriſtus eſt verus ſacerdos, & quidem *ſecundum ordinem Melchiſedech*, qui cum ſuo ſacrificio in pane, & vino fuit figura Chriſti, & ſacrificii ejus; ſed Melchiſedech non aliud ſacrificium obtulit, quam in pane, & vino; ergo & Chriſtus: ſed non legitur, quod unquam id fecerit, niſi in ultima Cœna; ergo tunc ſacrificavit, & iſtud ſacrificium inſtituit. Min. patet ex Script.(3) *Melchiſedech Rex Salem protulit panem, & vinum; erat enim ſacerdos Dei*. Prob. maj. Nam ex omnium ſenſu de Chriſto dictum creditur, (4) *Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; ergo, &c. Prob. ant. Nam inquit Cyprian. (5) *Quis magis ſacerdos Dei ſummi, quàm Dominus Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & hoc idem*, &c. Et Ambroſ. (6) *Sacramentorum iſtorum figuram Abrahæ temporibus præceſſiſſe, quando obtulit ſacrificium Melchiſedech*, &c. Et Euſeb. Cæſar. [7] *Salvator Noſter Jeſus Chriſtus ipſius Melchiſedech ritu ea, quæ ad ſacerdotium in hominibus gerendum ſpectant, per ſuos miniſtros perficiat*, &c. & ſic de aliis, ut Hieron. Ep. ad Marcellam, & Auguſt.maximè lib.83.qq. 61.

Confir. 1. ex Malach. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur nomini* A a 5 *meo*

[1] *c.firm.* [2] *Ep.brev.* [3] *Gen.* 14.
[4] *Pſal.9.* [5] *ad Cæcil.* [6] *lib.* 5.
[7] *lib.* 5. *demoſt.*

meo oblatio munda, &c. ſed hæc prophetia nuſquam verificatur impleta, niſi in ſacrificio Euchariſtiæ, ſeu Miſſæ; ergo eſt verum ſacrificium. Prob. min. 1. Nuſquam antea repudiata ſunt ſacrificia legis, quæ hìc repudianda prædicuntur. 2. nullum aliud ſacrificium loco illorum legitur inſtitutum, præter illud ex hoſtia pura, & ſancta. 3. nullum aliud eſt univerſalius in toto mundo; ergo de nullo alio verificari poteſt hæc prophetia.

Confir. 2. hoc ex Patribus, qui communiter ſic intelligunt hanc prophetiam, ut Juſtinus Martyr: [1] *De noſtris verò, quæ in omni loco gentium offerantur, ſacrificiis, hoc eſt pane Euchariſtiæ, & poculo ſimiliter Euchariſtiæ jam tum locutus* (Malachias) *prædixit, nos quidem glorificare nomen ejus*, &c. Et S. Iren. [2] *Eum, qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum .... & novi teſtamenti novam obtulit oblationem; de quo in duodecim Prophetis Malachias præſignificavit*, &c. & Tertull. (3) *In omni loco offertur ſacrificium nomini meo, & ſacrificium purum*, &c. Et Auguſt. (4) *Hoc ſacrificium per ſacerdotes ſecundum ordinem Melchiſedech in omi loco à ſolis ortu uſque ad occaſum jam videant offerri. Sacrificia Judæorum, de quibus dictum eſt, Non eſt mihi voluntas in vobis, jam ceſſaſſe non poſſunt negare, aut alium Chriſtum expectant*: Hoc diceret hodie noſtris hæreticis æquè, ac olim Judæis. Idem dicit Chryſoſtomus. [5]

3. Ex novo teſtamento, & maximè ex verbis Chriſti inſtituentis, & offerentis iſtud ſacrificium. Nam conſtat, illum hæc dixiſſe, & feciſſe ex intentione veri ſacrificii, & ita deinceps faciendum præcepiſſe Apoſtolis. Nam accipiens panem, benedicens, & frangens dixit: *Accipite, & manducate; hoc eſt enim corpus meum, quod pro vobis datur*, ſeu *frangitur*, ut habet textus Græcus ex Apoſtolo, ſc. de præſenti, ſicut & de calice, *qui pro vobis funditur*. Certè hæc fractio, & fuſio non eſt ſolum ad eſum, & potum, ſed etiam ad *remiſſionem peccatorum*, ſc. in ratione ſacrificii expiatorii, & propitiatorii.

Con-

[1] *dial. Triph.* 4. [2] *hær.* 32.
[3] 3. *cont. Mar.* [4] 18. *Civ.* 35.
[5] *in pſal.* 95.

Confirm. ex Apoſtolo, qui menſam Euchariſticam comparat altaribus idolorum; ſed in iſtis fiebant ſacrificia idolis; ergo & hic immolatur Deo vero. Prob. maj. Dicit enim: (1) *Fugite ab idolorum cultura .... calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Domini eſt? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? .... nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altari? Quid ergo? Dico, quod idolis immolatum ſit aliquid; ſed quæ immolant gentes, immolant dæmoniis, & non Deo; Nolo autem vos fieri ſocios dæmoniorum*, &c. ergo Apoſtolus ſupponit, quòd in menſa Euchariſtica ſacrificamus Deo, ſicut gentes in ſuis altaribus ſacrificant dæmoniis, & ſicut ipſi Judæi verè ſacrificabant Deo.

Prob. 3. ex traditione perpetua: & 1. ex Liturgiis, quæ ab ipſis Apoſtolis traditæ feruntur, ut Romana, quæ tribuitur S. Petro; Jeroſolymitana, quæ S. Marco; Æthiopica, quæ B. Matthæo; Mediolanenſi, quæ S. Ambroſio; Cappadocica, quæ S. Baſilio, ſicut & Syriaca. In hic omnibus, & aliis fit mentio ſacrificii, ut notat Coccius.

2. Ex SS. Patribus, qui omnes mentionem faciunt de hoc myſterio ſub nomine, & ratione ſacrificii, ut Clemens Rom. [2] in Can. Apoſtol. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter præter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit*, &c. (3) Et alibi dicit: *Oportet nos agnoſcere voluntatem Dei, ubi & agendi, & ſacrificandi eſt locus*. Et in Conſtitutionibus Apoſtol. oratur Deus, ut Epiſcopo tribuat *offerre ſine culpa ſemper, & ſine crimine ſacrificium mundum, & incruentum*. Et ſic de aliis, quos ex Græcis, & Latinis fusè citat idem Coccius, & aliquos ex antiquioribus jam habes ſuprà.

Prob. denique ratione; quia in Miſſa habent omnes conditiones veri ſacrificii; ergo eſt verum ſacrificium. Prob. ant. Principales conditiones ſunt 1. Sacerdos legitimus; & de hoc nemo dubitat. 2. nec de re ſacra, ſc. Corpore Chriſti, & præſentia ejus reali, de qua conſtat ex dictis. 3. minus dubium eſt de oblatione, & conſumptione. 4. nec de inſtitutione divina

(1) 1. *Cor.* 10. (2) *lib. 6. cap. 4.*
(3) *c. 3. ep. 3.*

cum Chriſtus inſtituens dixerit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo, &c.

Confir. tum quia nullus unquam hominum ſtatus, nulla lex, nulla Religio fuit, in qua non extiterint ſacrificia, per quæ populi conveniebant in cultu divino, & proteſtatione aliqua divinæ majeſtatis, & excellentiæ, ac ſupremæ poteſtatis ejus in nos, & noſtræ in eum ſubjectionis; ſed hæc proteſtatio, & cultus fit per ſacrificia; & apud Chriſtianos ſola Euchariſtiæ conſecratio, & celebratio Miſſæ habet rationem, & conditiones ſacrificii veri; ergo, &c. Major facilè patebit diſcurrenti per ſingula. Nam inquit Auguſtin. (1) *In nullum nomen Religionis ſive verum, ſive falſum coadunari homines poſſunt, niſi aliquo ſacrificiorum, & ſacramentorum conſortio colligentur*; ergo Chriſtiana Religio carere non debet ſacrificio.

Confir. 2. Nam habemus altaria, & ſacerdotes; ſed hæc fruſtra eſſent, niſi eſſent ad uſum ſacrificii; ergo &c. Prob. min. ex Apoſt. (2) *Omnis Pontifex conſtituitur, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Et, *Habemus altare, de quo edere non habent, qui deſerviunt tabernaculo*, ſc. judaizantes; ergo, &c.

Objic. 1. pro hæreticis. Per hoc ſacrificium fit injuria ſacrificio Crucis; ergo malè aſſeritur. Prob. ant. Hoc derogat efficaciæ illius, quaſi non fuerit ſufficiens pro omnibus hominum omnium peccatis, & redemptione; ergo illi fit injuria per Euchariſtiam. Prob. ant. Si Euchariſticum ſacrificium eſt neceſſarium, vel utile, ſequitur ſacrificium Crucis non ſufficere: & ſi fuit ſufficiens, aliæ omnes hoſtiæ, quas offerunt ſacerdotes, ſunt ſuperfluæ, nec poſſunt auferre peccata; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. Nam *Chriſtus*, ait Apoſtolus, *unam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet a dextris Dei ... una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos*; ergo aliæ oblationes ſunt ſuperfluæ.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. diſt. maj. non poſſunt auferre peccata per ſe, & independenter à primo, quod eſt ſacrificium Crucis, conc. in virtute primi iſtius, quæ virtus nobis applicatur per ſacrificium Miſſæ, neg. maj. & conſeq. Chriſtus per Crucem pleniſſimè ſatiſ-

(1) 19. *cont. Fauſt.* (2) *Hebr.* 11.

ſatisfecit pro peccatis omnibus omnium; ſed per ſacrificia Euchariſtica nobis applicantur merita ſacrificii Crucis; & ſic non ſunt ſuperflua, nec inutilia, ſicut nec alia bona opera noſtra.

Inſt. Si Chriſtus eſſet victima hujus ſacrificii, toties deberet mori, quoties miſſa celebratur; ſed conſ. eſt falſum; *nam mortuus eſt ſemel, & jam non moritur*; ergo &c. Prob. maj. ex Apoſt. [1] *Sine ſanguinis effuſione non fit remiſſio, omnia pene in ſanguine mundantur*, &c. ergo in ſacrificio miſſæ deberet Chriſtus fundere ſanguinem, & mori.

Reſp. neg. maj. & 2. conſ. Nam ſufficit, ut iſtud ſit perpetua commemoratio, & repetitio myſtica cum aliqua realitate mortis illius, ut juſſit ipſe, *Hoc facite in meam commemorationem*. Eſt etiam myſtica ſanguinis effuſio, & aliquo modo realis; quippe ponitur ſub ſpeciebus ſeparatim a corpore, & bibitur a ſacrificante. Locus autem Apoſtoli non eſt ad rem; Ideo negari poteſt ant. abſolute, aut diſtingui, *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio* ſecundum legem veterem, con. ſecundum novam, neg. ant. de iſta enim non loquitur D. Paulus.

Inſt. 2. Saltem per hujus ſacrificii frequentem iterationem deleretur memoria primi; ergo per iſtud fit injuria primo. Prob. ant. Nam de illis ſolis cogitamus, quæ ſemper ſunt in oculis, & mente.

Reſp. neg. ant. utrumque: imo per frequentationem Miſſæ toties perfricatur memoria ſacrificii crucis, cujus eſt commemoratio. Eſt convivium, quo *recolitur memoria paſſionis*. Et in Miſſa ipſa toties dicimus, *Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Denique omnia hic facimus in perſona Chriſti recitantes ea, quæ dixit, cum intentione eadem faciendi.

Objic. 2. Sacerdotium Chriſti eſt æternum; ergo præter ipſum non ſunt alii ſacerdotes, nec alia ſacrificia. Patet ant. Chriſtus *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium*. Prob. conſ. Vel ſunt novi ſacerdotes ſucceſſores ejus in eodem ordine, vel diverſo; ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non in eodem ordine; nam ſucceſſio ſupponit mortem prioris; & ſic ſacerdotium ejus non maneret ſem-

[1] *Hebr.* 9.

ſempiternum. 2. non diverſo; quia non prætendimus Miſſas eſſe, niſi eadem ſacrificia cum ſacrificio Chriſti; ergo &c.

Reſp. neg. 1. conſ. & min. & 2. conſ. Nam ibi non eſt diverſitas, nec ſucceſſio, ſed identitas hoſtiæ, & ſacrificii iterati, & communicatio, ſeu ſubdelegatio in ſacerdotio. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* Sicut licet Chriſtus ſit unus magiſter, & Doctor, non ſequitur, quin ſint in Eccleſia plures Doctores eamdem cum ipſo doctrinam docentes.

Objic. 3. In vero ſacrificio hoſtia debet eſſe quid ſenſibile, & deſtruibile, ſed neutrum eſt in hoſtia, quam prætendimus hic immolari; ergo &c. Prob. min. Hæc hoſtia eſt Chriſtus ipſe; ſed Chriſtus eſt hic inviſibilis, & immutabilis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. viſibile, & deſtruibile in ſe, vel in ſigno aliquo, con. maj. & neg. min. in ſe præciſe, & abſolute, neg. maj. & conſ. Chriſtus eſt hic inſenſibilis in ſe, & per ſe; ſed ſenſibilis eſt, & deſtruibilis per ſpecies, & in ſpeciebus quoad præſentiam ſacramentalem, in quibus ponitur corpus ſeparatum a ſanguine, & ſub quibus ceſſat exiſtere, dum conſumuntur.

Objic. 4. Chriſtus prædixerat Samaritanæ, nulla in poſterum fore ſacrificia externa, ſed pure interna, & ſpiritualia; ſed Miſſa celebratur viſibiliter, & externe; ergo non eſt ſacrificium ad mentem Chriſti. [1] Prob. maj. *Venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu, & veritate*; ergo nulla amplius eſt adoratio externa per ſacrificia ſenſibilia.

Reſp. 1. argumentum nimis probare; quia ſic prohiberetur omnis actus externus religionis, & omnia Sacramenta: quia crucis ſacrificium profuit omnibus; & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus ab Adamo uſque ad ultimum.

Reſp. 2. diſt. maj. ſacrificia ſecundum legem Moſaicam, & priora, con. nulla prorſus, & abſolute, neg. maj. & 2. conſ. Nam Chriſtus ibi reſpondet Samaritanæ dicenti; *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis, quod Jeroſolymis eſt locus*; Chriſtus autem

[1] Jo. 4.

tem reſpondet, *Venit hora* &c. ergo loquitur de antiquis ſacrificiis, quæ mox erant abolenda per ſacrificium crucis. Denique ſacrificium Miſſæ eſt maxima ex parte in ſpiritu, & veritate.

Objic. 5. Miſſa eſt Sacramentum, & teſtamentum; ergo non eſt ſacrificium. Prob. conſ. Nam ratio ſacramenti, & teſtamenti repugnat rationi ſacrificii: Sacramentum confert gratiam, teſtamentum dat hæreditatem; in ſacrificio autem homo ſe, & ſua offert Deo ut ſummo Domino; ergo tanta eſt oppoſitio inter Sacramentum, & teſtamentum cum ſacrificio, quanta eſt inter dare, & accipere; in iſto dat homo ſua Deo, & in illis accipit divina.

Reſp. diſt. conſ. ſub eodem reſpectu, conc. ſub diverſo reſpectu, neg. conſ. utramque. Nam Euchariſtia eſt Sacramentum, & teſtamentum, prout eſt ſignum efficax gratiæ, & pignus hæreditatis nobis a Chriſto relictæ, ſeu acquiſitæ: eſt autem ſacrificium, quod ipſi Deo quaſi redonamus, & immolamus Chriſtum ab ipſo acceptum, ſic ut cum in parentum gloriam, & beneficium impendimus acceptam ab eis hæreditatem.

Objic. 6. Chriſtus non conſecravit Euchariſtiam ut ſacrificium; ergo neque nos eam ſic debemus celebrare. Prob. ant. Nam inutile fuiſſet ſacrificium Crucis; quandoquidem iſtud ſufficiens fuiſſet, & infiniti valoris.

Reſp. neg. ant. utrumque. Nam iſtud inſtituebat, & offerebat intuitu ſacrificii Crucis, quod jam jam erat oblaturus, & actu ex corde offerebat, & in Euchariſtia præfigurabatur.

QUÆSTIO III.

Quæ ſit materia, & in quo conſiſtat ratio formalis ſacrificii Euchariſtici, ſeu Miſſæ.

NOta 1. quod tria præcipue ſpectantur in Euchariſtia, ſeu Miſſa. 1. panis, & vinum quoad eorum ſubſtantiam, quæ 1. offertur, cum dicitur: *Suſcipe S. Pater hanc immaculatam hoſtiam* &c. Et, *Offerimus tibi Domine Calicem* &c. Nam Sacerdos nihil tunc habes præ manibus, niſi panem, & vinum, quo-

quorum ſubſtantia deſtruitur per conſecrationem. 2. Chriſtus ipſe eſt res principalis oblata; quippe *ſeipſum inſtituit ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum*, inquit Concil. Trid. [1] *& ille ipſe in Miſſa continetur, & incruente immolatur*. 3. Species ipſæ ſacramentales cum corpore Chriſti offeruntur, & immutantur, & ſacrificantur. Nam in conſecratione ſpecies panis, & vini propria ſua ſubſtantia ſpoliantur, & in Communione conſumuntur, ac deſtruuntur. Ideo Cap. *Hoc eſt* hoc ſacrificium dicitur duobus conſtare, [2] *viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini Noſtri Jeſu Chriſti carne, & ſanguine*.

Nota 2. quod in Miſſa ſex ſunt principales actiones. 1. oblatio panis, & vini ante conſecrationem, quæ *Offertorium* dicitur. 2. conſecratio utriuſque, per quam Chriſtus ponitur ſub eorumdem ſpeciebus, deſtructa eorum ſubſtantia. 3. oblatio corporis, & Sanguinis, dum dicimus: *Offerimus præclaræ majeſtati tuæ de tuis donis, & datis hoſtiam puram* &c. 4. frangitur hoſtia in tres partes, quarum una mittitur in calicem, & duæ manent ſuper patenam. 5. Sacerdos ſumit Sacramentum. 6. diſtribuuntur particulæ communicantibus.

Quæritur ergo quodnam horum proprie dicatur offerri, & in quibus actionibus conſiſtat ratio ſacrificii.

CONCLUSIO I.

Chriſtus ipſe, ſeu corpus, & ſanguis ejus, quatenus exiſtunt ſub ſpeciebus panis, & vini, ſunt principalis materia hujus ſacrificii. Eſt communis inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [3] quod *etſi Chriſtus hic offeratur ut contentus in ſacrificio; non tamen ipſe immediate offert ſacrificium .... non eſt immediate offerens, & oblatus*; ergo ex Scoto Chriſtus ut præſens ſub ſpeciebus eſt materia ſacrificii, ſeu eſt oblatus.

Prob. 2. ex Trid. cit. Nam inquit: *Chriſtus hic ſeipſum conſtituit novum Paſcha per ſacerdotes immolan-*

[1] *Seſſ. 22. c. 1. & 2.* [2] *De conſec. d. 2.*
[3] *Quod l. 20. n. 2*

landum ſub ſignis viſibilibus: & in officio, quod in miſſa peragitur, idem ille Chriſtus continetur, & incruente immolatur: ergo ſicut antiquum Paſcha erat materia illius antiqui ſacrificii, ita Chriſtus in hoc novo, & unico.

Confir. ex Patribus, qui loquuntur eodem modo dicentes communiter, Chriſtum hic offerri, & immolari: & ipſa Eccleſia canit: *Cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

Prob. 3. Nam in omni vero ſacrificio debet offerri aliquid reale pro victima; ſed in hoc ſacrificio nihil aptius dici poteſt offerri, quam Corpus, & Sanguis Chriſti; ergo ita dicendum eſt. Prob. min. 1. id dici non poteſt de pane, & vino: nam illa pars Miſſæ, ſcilicet Offertorium, in quo hæc offeruntur, non eſt de eſſentia Miſſæ, nec inſtituta à Chriſto; & ſi eſſent de materia vera, dicerentur duæ victimæ, & duo ſacrificia, unum, quo offertur panis, & vinum, & aliud, quo offertur Corpus Chriſti. 2. nec de ſpeciebus; alioqui hoc ſacrificium non eſſet idem cum ſacrificio crucis, in quo non panis, nec ſpecies ejus, ſed ſolus Chriſtus oblatus eſt; ſed conſ. eſt contra Concil. Trid. (1) ergo &c. Probat. min. dicit enim, quod *una, eademque eſt hoſtia, idemque nunc offerens ſacerdotum miniſterio, qui ſeipſum tunc obtulit in Cruce, ſola ratione offerendi diverſa:* ergo ſicut in Crucis ſacrificio Chriſtus fuit hoſtia immolata, ita & in Miſſa.

Dixi, *corpus, & ſanguis Chriſti, quatenus exiſtunt ſub ſpeciebus;* quia certum eſt, quod per illas corpus, & Sanguis fiunt ſenſibilia, & per conſequens materia ſacrificii *ſub qua*; & hoc ſenſu loquitur Canon citatus, [2] ſcilicet *hoc ſacrificium duobus conſtare, ſcilicet viſibili elementorum ſpecie, & inviſibili Domini Noſtri Jeſu Chriſti carne, & ſanguine;* ergo ſpecies in ſe, & per ſe non ſunt propriè res oblata, ſed modus, ſub quo Chriſtus offertur.

Objic. 1. Sacerdos in offertorio, & ante conſecrationem vere offert panem, & vinum; ergo ſunt vere materia hujus ſacrificii. Prob. ant. Nam cum dicitur, *Suſcipe S. Pater hanc immaculatam hoſtiam:* &, *Offeri-*

[1] *Ibid. c. 2*
[2] *d. 2. de conſec.*

ferimus tibi Calicem &c. nihil aliud tenet, quam panem, & vinum; ergo nihil aliud offert.

Reſp. diſt. ant. & 2. conſ. offert præparatorie, & in ordine ad veram, & eſſentialem oblationem, con. abſolute, & ultima intentione Chriſti, vel Eccleſiæ, neg. ant. & 2. conſ. Nam, ut dictum eſt, illa prima oblatio verbalis eſt, & præparatoria ad principalem oblationem.

Inſt. In eo conſiſtit materia ſacrificii, per quod aſſimilatur figuræ ſuæ, ſc. ſacrificio Melchiſedech; ſed hoc fit per oblationem panis, & vini; ergo &c. Maj. patet ex dictis: prob. min. Nam Melchiſedech obtulit panem, & vinum.

Reſp. diſt. min. per oblationem panis quoad ſpecies, & materiam remotam, con. quoad rem, & materiam proximam, neg. min. & 2. conſ. Neque enim figuratum debet in omnibus aſſimilari figuræ, ſicut nec umbra veritati. Sacerdotium Chriſti figuratum eſt in Sacerdotio Melchiſedech quoad materias ejus, *quas iſte obtulit in ſubſtantia, & Chriſtus in ſpecie*, ait Trident. [1]

Inſt. 2. Subſtantia panis, & vini vere hic, & realiter mutatur, & deſtruitur; ergo eſt vera materia hujus ſacrificii.

Reſp. neg. ant. Nam intentio ſacerdotis in hac oblatione reſpicit ultimate ad corpus Chriſti, non ad ſubſtantiam panis, niſi indirecte, quatenus illa debet deſinere eſſe, ut det locum ſubſtantiæ corporis Chriſti ſub illis ſpeciebus, quæ ibi divinitus conſervantur.

Objic. 2. Id dicitur materia ſacrificii, quod ſupponitur actioni ſacerdotali, & per illam deſtruitur, non vero id, quod ſuccedit rei deſtructæ; alioqui cineres victimæ eſſent materia holocauſti; ſed ſubſtantia panis eſt id, quod ſupponitur actioni ſacerdotis, & per illam deſtruitur; corpus verò eſt id, quod illi ſuccedit; ergo illa eſt vera materia, & non iſtud.

Reſp. diſt. maj. ſi actio directe tendant in illam materiam, non autem in rem, quæ ſuccedit, conc. ſi non ita tendat, ſed in id, quod ſuccedit, ſaltem principaliter, & per ſe, neg. maj. & conſ. Nam actio ſacrifica immediate, & per ſe tendit ad corpus Chriſti, quod.

[1] *ibi. c.* 1.

quod longe nobilius eſt ſubſtantia panis, quæ per accidens deſtruitur.

Objic. 3. Sacrificii materia debet eſſe quid ſenſibile; ſed in Euchariſtia ſolæ ſpecies ſunt ſenſibiles, & per eas Chriſtus fit ſenſibilis; ergo illæ, non iſte eſt materia ſacrificii.

Reſp. diſt maj. ſenſibile per ſe, vel per aliud, con. in ſe tantum, neg. maj. & min. Nam ſubſtantia Chriſti eſt ibi ſenſibilis per ſpecies, & dicitur eſſe materia hujus ſacrificii ſub illa ratione, ſcilicet prout exiſtit ſub ſpeciebus.

Inſt. Species pertinent eſſentialiter ad Euchariſtiam ut Sacramentum; ergo & ut ſacrificium: nam iſtud æque debet eſſe ſenſibile, ac illud.

Reſp. neg. 1. conſ. & diſt. 3. ant. æque, ſed diverſo modo, conc. eodem modo, neg. ant. Nam, ut Sacramentum, directe importat res ſenſibiles; quia eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile rei inſenſibilis; ſacrificium vero directe importat rem oblatam, & indirecte ſenſibilitatem ejus, ut ſunt ſpecies in iſto.

Inſt. 2. Conſecratio ut actio ſacramentalis directe reſpicit ſpecies, aut ſaltem totum ex ſpeciebus, & corpore Chriſti; ergo directe etiam utrumque reſpicit ut actio ſacrifica.

Reſp. neg. conſ. ob rationem mox datam. Nam actio ſacrifica hic reſpicit directe, & per ſe rem oblatam, vel offerendam; & per accidens, & indirecte id, ſub quo, vel ſub cujus ſpecie res illa offertur.

CONCLUSIO II.

Actio principalis, in qua conſiſtit ratio hujus ſacrificii eſſentialiter eſt conſecratio; integratur autem, & completur ſumptione per ſacerdotem. Eſt communis apud Scotiſtas, & alios.

Prob. 1. Nam ad ſacrificium duo eſſentialiter pertinent, oblatio, & immutatio rei oblatæ; ſed hæc duo cōcurrunt in cōſecratione panis, & vini in corpus, & Sanguinem Chriſti in Miſſa; ergo &c. Prob. min. 1. ibi eſt vera oblatio: nam Sacerdos in perſona Chriſti ponit corpus ejus ſuper altare, & ſanguinem ſeorſim à corpore, & utrumque ut immolandum. 2. eſt immutatio: nam, ut mox dicebam, per-

per conſecrationem fit quædam immolatio, dum ſanguis ponitur extra corpus, & ſeparatus ab illo; ergo &c.

Prob. 2. ex Concilio Tridentino, (1) quod in conſecratione utitur verbo *offerendi*, pro *conſecrandi*, dicens, quod *Chriſtus ſe ſacerdotem æternum declarans corpus, & ſanginem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, & ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtolis, quos tunc novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat ....& eiſdem, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus ut offerrent præcepit per hæc verba; hoc facite* &c. ergo hæc Chriſti corporis poſitio ſuper altare eſt vera ejus oblatio, & immolatio, & ſacrificii crucis incruenta repetitio, & commemoratio. Nam addit Concilium, quod Chriſtus, *celebrato veteri Paſcha, ſeipſum ab Eccleſia per ſacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum inſtituit novum Paſcha*; ſed hoc utrumque fit per conſecrationem; ergo &c.

Confir. Nulla enim actio ſacerdotis, quæ ſit à Chriſto inſtituta, poteſt aſſignari, per quam repræſentetur talis oblatio, nec fiat præter conſecrationem. 1. non in ea, quæ fit offertorio; nam, ut diximus, eſt quædam actio præparatoria ad ſacrificam oblationem ipſius Chriſti, qui nondum exiſtit ſub ſpeciebus panis, & vini. 2. non in fractione ſpecierum cum injectione particulæ in calicem; tum quia Chriſtus non uſus eſt illa actione; tum quia ante illam exiſtit ſacrificium quoad eſſentiam, ut mox patebit ex Patribus. 3. neque eſſentialiter in ſumptione, & quidem a fortiori, quia jam exiſtit ſacrificium quoad eſſentiam; ergo &c.

Confir. ex SS. Patribus. Nam inquit S. Iſidor. [2] *Sacrificium, quaſi ſacrum factum, quia prece myſtica conſecratur in memoriam Dominicæ paſſionis.* Et Cyprian. [3] *Tunc Euchariſtiam holocauſtum* (dicimus) *quando verbis conſecrationis panis benedicitur.* Et Rupertus: [4] *Chriſtus propriis manibus Deo Patri ſe ipſum obtulit, immolavit, accipiens panem, & vinum, mira, atque ineffabili potentia ſanctificans, transferens hæc in ſui corporis, & ſanguinis ſacramentum.*

[1] *Seſſ.22.c.1.* [2] *l.6.c.19.*
[3] *Spr.in cœn.42.*
[4] *Exo.c.6.*

tum. Et Greg. Nyſſen. [1] dicit, *prius Chriſtum ſeipſum ſacrificaſſe, quam ſe diſcipulis ſumendum daret*: ergo ſacrificium quoad eſſentiam exiſtit ante illam fractionem, & ipſam ſumptionem.

Idem colligitur ex Cyrillo Jeroſolymit. [2] qui docet, ſacrificium exiſtere, antequam oremus *pro communi Eccleſiæ pace*; & ante memoriam pro defunctis: *Cum hoc ſacrificium offerimus, poſtea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obierunt*: &c. Et ex Ambroſio: [3] *Tunc ipſe* (Chriſtus) *offertur in terris, quando Chriſtus ipſe offertur, & tunc ipſe offerri manifeſtatur in nobis, quando ſermo ejus ſanctificat ſacrificium, quod offerimus*; ſcilicet in conſecratione eſt ſacrificium. Et ex Gregor. [4] *Quis fidelium habere in dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem aperiri cœlos, Angelorum choros adeſſe?* &c. ſcilicet prolatio verborum conſecrationis eſt hora, ſeu tempus, ſeu momentum immolationis; quia tunc Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus panis in altari.

Prob. 2. pars, ſcilicet de ſumptione, quod ſit quidem pars integrans, ſed non eſſentialis ſacrificii. 1. ex dictis, quia ſcilicet jam ante ſumptionem exiſtit ſacrificium. 2. ex Concilio Tolet. XII. [5] ubi arguuntur illi, qui non toties ſumebant, quoties ſacrificabant. *Relatum eſt nobis, quoſdam e ſacerdotibus non tot vicibus Communionis gratiam ſumere, quoties ſacrificium in una die videmus offerre .... quaſi non ſit toties illi vero ſacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis immolatio facta conſtiterit*. Hic habes totam concluſionem, ſcilicet ſacrificium, ſeu immolationem quoad ſubſtantiam exiſtere ante ſumptionem, & ſine iſta ſacrificium non eſſe completum.

Confir. ex Apoſtolo dicente: [6] *Qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris*, ſeu ſacrificii; ergo ſumptio Euchariſtiæ eſt pars. & participatio ſacrificii, non eſſentialis, quia jam exiſtit, ſed pars integrans.

Confir. ex Trid. dicente, [7] quod *in illius ſumptio-*

[1] *Ora. de reſur.* [2] *Catech.* 5.
[3] *in Pſ.* 39. [4] 4. *Dial.* 56.
[5] *Cap.* 5. [6] 1. *cor.* 10.
[7] *Seſſ.* 13. *c.* 2.

ptione (Chriſtus) *colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annuntiare mortem, donec ipſe veniat* : ſed ſine hac nuntiatione, ſeu repræſentatione mortis ſacrificium non eſt integrum; ergo &c. Et Concil. Tolet. cit. ait: *Quale erit ſacrificium, cujus nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur?*

Prob. 2. ex præcepto Eccleſiæ, quæ tam ſtricte jubet ſumptionem ipſam, ut ſi ſacerdos poſt conſecrationem moriatur, aut ex alio caſu non poſſit ſumere ſacramentum, debeat alius ſacerdos, licet non jejunus miſſam proſequi; *ne* (inquit rubrica) *ſacrificium maneat imperfectum*; ergo cenſet Eccleſia, quod ſacrificium iſtud integratur, & completur per ſumptionem, quia ſine illa cenſetur eſſe imperfectum.

Confir. quia per communionem ſacerdotis perfectior fit immutatio, ſeu deſtructio hoſtiæ cum alioqui deberet reponi, & conſervari in pixide.

Objic. ex Scoto dicente, quod *oblatio non pertinet ad ratione conſecrationis. .... offertur enim hoſtia non conſecrata; & tunc eſt ſacrificium, non ſacramentum: ſicut Euchariſtia conſecrata conſervata in pixide eſt ſacramentum, non ſacrificium* : ergo ex Scoto ſacrificatio conſiſtit in oblatione, quæ fit in offertorio;

Reſp. diſt. conſ. ſacrificatio late, & improprie, conc. proprie, & ſtricte, neg. conſ. Nam Scotus ibi ſumit ſacrificium in lata ſignificatione pro quacumque actione ordinata, ſeu pertinente ad ſacrificium: ſic enim hæc oblatio dici poteſt ſacrificium, ſeu de ſacrificio; quia eſt præparatio, & inchoatio quædam ejus ordinata ad conſecrationem, per quam vere, & propriæ ſacrificatur corpus, & ſanguinis Chriſti.

Objic. 2. Tota ratio ſacrificii ſalvatur in actione, quia immutatur hoſtia; ſed hoc facit ſola ſumptio; ergo in hac conſiſtit eſſentia ſacrificii iſtius. Prob. min. quia ſola ſumptio deſtruit rem oblatam, ſcilicet eſſe ſacramentale Chriſti.

Reſp. neg. maj. Non enim ſufficit immutatio ſine oblatione per conſecrationem, quam illa ſupponit eſſentialiter.

Inſt. Conſecratio eſt tantum præparatio victimæ; ergo non eſt ſacrificatio; ſicut incarnatio non eſt de ſacrificio crucis, nec aliæ partes vitæ Chriſti, aut miſſæ.

Reſp.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam per conſecrationem offertur Chriſtus ſuper altare ſacrificandus, & ſanguinis ut effuſus, & bibendus.

Inſt.2. Sequeretur, non conſecrari in die veneris S. ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. quia tunc nihil conſecratur. Min. etiam patet: nam ſacerdos non minus dicit, quam alias, *ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie;* ergo &c.

Reſp. neg. min. & 2.conſ. Nam tunc non ſacrificatur, ſed ſumitur reliquum ſacrificii heſterni, quod dicitur ſacrificium per Synecdochen propter actionem heſternam.

Objic. 3.con.2.p. Sola conſecratio ſufficit ad totam eſſentiam ſacrificii; ergo ſumptio non eſt pars ejus. Prob. ant. Ad ſacrificii integritatem ſufficit ſacrificii crucis repræſentatio per ſeparationem ſanguinis a corpore, & 2. deſtructio, ſeu immutatio victimæ: ſed utrumque fit per conſecrationem; ergo &c. Probat. min. 1. Sanguis ibi ponitur per conſecrationem extra corpus; & utrumque ponitur ut conſumptibile: ſed hoc ſufficit ad moralem immutationem hoſtiæ: ergo &c. Prob. min. Nam idem eſt, ac ſi de facto conſumerentur; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & utramque min. & ultimum ant. Nam corpus, & ſanguis ſic ponuntur, ut repræſentent mortem Chriſti, & ſacrificium crucis; ſed non immutantur niſi præparatorie; ſeu non ponuntur ibi corpus, & ſanguis ut immutata, ſeu cum immutatione actuali, ſed aptitudinali, & futura; & nihil pro tunc amittunt; ſed potius acquirunt nova præſentiam.

Inſt. 1. Uſus ſacramenti non eſt ſacrificio; ſed communio eſt uſus ſacramenti; ergo non eſt ſacrificio, ſaltem formaliter alioquin Laici ſacrificarent.

Reſp. diſt. maj. non eſt ſacrificatio totalis, conc. partialis, neg. maj. & conſ. Non dicimus, quod ſumptio ſit de eſſentia, ſed de integritate hujus ſacrificii, de quo participant laici communicantes.

Inſt.2. Si ſumptio eſſet pars, deberet ſacerdos conſumere totam hoſtiam; ſed conſ. eſt falſum, ut conſtat ex praxi, qua particulas plures conſecrata reſervat; ergo &c. Prob. maj. Nam alioqui non plene perficeret ſacrificium; quia non conſumeret totam hoſtiam.

Reſp.

Reſp. neg. maj. non perficeret materialiter quoad particulas reſervatas, conc. abſolute, neg. maj. & conſ. Nam perficit quoad ſubſtantiam, modo conſumat hoſtiam quoad partem principalem.

Inſt. 2. Ad verum ſacrificium tota victima debet immutari; ſed non immutatur tota victima; ergo, &c. Prob. min. Nam Chriſti corpus, & ſanguis non immutantur, nec deſinunt eſſe; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. immutari ſecundum quod habet in victima, conc. ſecundum totum ſuum eſſe abſolute, & ſimpliciter, & ſubſtantiale, neg. maj. & conſ. Nam per Communionem amittit Chriſtus eſſe ſacramentale, quod habet in illa victima; hoc ſufficit ad rationem ſacrificii.

Objic. 4. Si conſecratio, & ſumptio facerent totum ſacrificium, eſſent duo ſacrificia; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. eſſet duplex actio, ſeu ſacrificatio; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & 2. conſ. Nam in antiquis ſacrificiis victima una actione mactabatur, & alia cremabatur; nec tamen erant duo.

Igitur miſſæ ſacrificium dicit duas actiones, ſc. *conſecrationem*, per quam Chriſtus ſeipſum offert in altari ſacerdotis miniſterio, & illuc deſcendit cor ſumendus; & *ſumptionem*, qua ſub ſpeciebus conſumitur, ſeu manducatur caro ejus, & ſanguis ejuſdem bibitur; & ſine iſta ſacrificium manet imperfectum & mancum, ſeu non integrum.

QUÆSTIO IV.

Quale Sacrificium ſit Miſſa

PLures dicuntur ſpecies ſacrificiorum. 1. dicitur *Holocauſtum*, ſeu *Letreuticum*, quod fit præciſe ad Dei cultum, ut ſummi ejus in nos dominii, & noſtræ in eum ſervitutis teſtimonium: In iſto tota victima deſtruebatur, ita ut nihil ex ea reſervaretur in uſum offerentis, vel ſacerdotis; & iſtud eſt perfectiſſimum: 2. *Eucharisticum*, quod fiebat in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis. 3. *Impetratorium*, pro impetrandis gratiis. 4. *Propitiatorium*, pro peccatis expiandis, & eorum pœnis avertendis.

Quæ-

Quærimus 1. ad quam ſpeciem iſtorum pertineat ſacrificium miſſæ. 2. an ſit unum, vel plura ob multiplicitatem ſymbolorum, ſub quibus offertur, & actionum, per quas offertur, & perficitur.

CONCLUSIO I.

Sacrificium hoc dici poteſt Latreuticum, Euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium; ſeu participat de omnibus. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, quatenùs docet, quòd *Miſſa eſt ſpecialis Commemoratio oblationis, quam Chriſtus obtulit in cruce, juxta illud; Hoc facite in meam commemorationem, quia fit miſſa tam in repræſentando illam oblationem in cruce, quàm per eam obſecrando*, &c. ergo ſacrificium miſſæ fit ob eoſdem fines, & qualitates, quas habuit ſacrificium crucis; ſed iſtud fuit ſacrificium Latreuticum, Euchariſticum, impetratorium, & propitiatorium; ergo & ſacrificium miſſæ.

Prob. 2. ex Concil' Trid. [1] *Si quis dixerit, ſacrificium Miſſæ tantùm eſſe laudis, vel gratiarum actionis, aut nudam commemorationem ſacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium* &c. *Anath. ſit*. Et Eccleſia docet, omnia alia ſacrificia in iſto colligi dicens: *Deus legalium differentiam victimarum unius perfectione ſanxiſti* &c. ſed inter alias victimas, & ſacrificia fiebant holocauſta impetratoria, &c. ergo &c.

Prob. 3. per partes. Et 1. de *Latreutico*: quia iſtud fit in proteſtationem ſummæ Dei excellentiæ, bonitatis, majeſtatis, & dominii in nos, & noſtræ in eum reverentiæ, & ſubjectionis ſub illis titulis; ſed ex intentione Chriſti, & Eccleſiæ tale eſt, & ut tale celebratur, & valet ſuper omnia alia, quæ ſub aliis rebus oblata ſunt unquam, vel potuerint offerri; ergo &c.

Confir. quia iſtud non ſolùm ex intentione Chriſti inſtituentis, & ſacerdotis offerentis, ſed etiam intuitu rei oblatæ eſt ſummè acceptabile Deo; & nihil auguſtius, vel glorioſius offerri poteſt divinæ Majeſtati: ergo nullum eſt, vel eſſe poteſt magis latreuticum.

[1] *Seſſ. 22. c. 1. & can. 3.*

2. Eſt *Euchariſticum*; nam inde nomen habet *Euchariſtiæ*. *In ipſo veriſſimo, & ſingulari ſacrificio Domino Deo noſtro gratias agere admonemur*, ait Auguſt. [1] *Et ſacerdos monet, ut gratias agamus Domino Deo noſtro*. Et Pſalmiſta de illo prophetice dixit: [2] *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam*.

3. *Impetratorium*: quid enim efficacius ad impetrandas à Deo gratias, quàm oblatio tantæ hoſtiæ, & ſacrificium, in quo ipſe Dei filius, & Redemptor noſter ſeipſum offert intercedens pro nobis? Ideò SS. Patres de hoc ſacrificio intelligunt hæc verba D. Pauli: [3] *Obſecro fieri orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus* &c. *ut tranquillam vitam agamus* &c. Nam inquit Tertull. *Sacrificamus & pro ſalute Imperatoris; ſed Deo noſtro* &c.

4. *De propitiatorio* ait Trident. cit. *Declarat* [4] *S. Synodus iſtud ſacrificium verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur*.

Confir. ex ipſius Chriſti verbis conſecratoriis, ubi ſanguis ejus dicitur effundendus in *remiſſionem peccatorum*. Et D. Paulus generaliter dicit, quòd (5) *Omnis Pontifex conſtitutus eſt, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*.

Confir. 2. ex Patribus. Nam Cypr. vocat Euchariſtiam [6] *Holocauſtum ad purgandas iniquitates*. Et Hieron. [7] *Quotidie Epiſcopus pro ſuis, populique peccatis illibatas offert Deo victimas*, &c.

Prob. denique tota concluſio: quia iſtud unicum ſacrificium ſupplet vices omnium aliorum, quæ olim offerebantur, ſive ad exhibendum obſequium noſtrum Deo, ſive ad gratias agendas, vel obtinendas, ſive ad expianda peccata: & ſicut iſtud in aliis omnibus figurabatur, ita in eo agnoſcimus omnium virtutes. Ant. prob. ex Auguſt. [8] *Vetera ſacrificia hoc unum noſtrum Euchariſtiæ ſacrificium figurarunt, in quo fit vera peccatorum remiſſio*.

Con-

[1] *De ſpir...* [2] *Pſalm.* 115. [3] 1. *Tim.* 2.
[4] *Ibid. c.* 2. [5] *Hebr.* 5. [6] *Ser. in Cœna.*
[7] *ad Tit. c.* 1.
[8] *q.* 57. *Levit.*

Confir. quia ſi in legibus naturæ, & Moyſi non defuerunt talia media ad ſalutem, multò minùs deeſſe debent in lege gratiæ; & hic ſtatus in hoc cæteros precellit, quòd tanta ſacrificiorum varietas, & multitudo in hoc uno collecta eſt cum tanta præcellentia.

Objic. 1. Si in Miſſa eſſet ſacrificium propitiatorium, fieret injuria ſacrificio Crucis; ergo illud non eſt admittendum. Prob. ant. quia ſi quid prodeſt iſtud, arguit inſufficientiam ſacrificii Crucis, quaſi non ſufficiat pro remiſſione omnium peccatorum; alioqui alterutrum ſuperflueret; ſed conſ. eſt falſum, & impium; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & maj. Nam licèt in Cruce Chriſtus pretium ſufficientiſſimum ſolverit pro remiſſione omnium peccatorum, adhuc illa ſatisfactio, & pretium debet nobis applicari; & hoc fit excellenter per ſacrificium Miſſæ; alioqui antiqua omnia fuiſſent etiam ſuperflua; quia non minùs ſatisfecit in Cruce pro præteritis, quam pro futuris; ergo ſi virtus aliqua tribuitur antiquis ſacrificiis ad remiſſionem ſine injuria ſacrificii Crucis, multò magis tribuenda eſt iſti, in quo idem ipſe Chriſtus offertur.

Inſt. Sacrificia vetera dicuntur egena, vacua, & imperfecta, & debebant ſæpiùs iterari; ergo idem diceretur de ſacrificio Crucis, ſi deberet iterari in Miſſa.

Reſp. neg. conſ. Nam ob eandem rationem, & prætextum abſtinendum eſſet ab omnibus bonis operibus, ne diceretur redemptionem, & merita Chriſti fuiſſe inſufficientia, & vacua; ſed hoc non poteſt dici, quia per bona opera nobis applicamus meritorum Chriſti plenitudinem, & abundantiam.

Objic. 2. In ſacrificio propitiatorio debet effundi ſanguis; nam *ſine ſanguine non fit remiſſio*; ſed in Miſſa non funditur ſanguis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. in ſacrificio legali, con. in Euchariſtico, & novæ legis, neg. maj. Apoſtolus ibi loquitur de ſacrificiis antiquis, ubi *omnia ferè mundantur in ſanguine*, ſc. ſecundum legem.

Reſp. 2. neg. min. Nam in Miſſa funditur, & ſumitur ſanguis verus Chriſti, qui ponitur per conſecrationem ſeparatus à corpore.

CONCLUSIO II.

Sacrificium Miſſæ eſt unum non unitate indiviſibilitatis, ſed integritatis moralis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam ſicut Corpus, & Sanguis, & ſpecies panis, & vini licèt ſeorſim conſecrentur, & ſumantur; tamen conſtituunt unum Sacramentum *unitate integritatis, non autem indiviſibilitatis*; ita eſt de unitate ſacrificii; quia ſub ratione ſacrificii ſunt minùs ſeparabilia; ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. Tolet. XII. & Trid. cit. ubi ſacrificium hoc dicitur unum, verum, & ſingulare. Et idem dicunt communiter SS. Patres, cùm docent omnia vetera hoc unum figuraſſe; ergo agnoſcunt in illo veram aliquam unitatem.

Prob. 3. Unitas ſacrificii petitur ab unitate hoſtiæ; ſed hoſtia eſt hìc una, ſcilicet Chriſtus, ut patet ex dictis; ergo & ſacrificium. Vide ſupra de unitate Euchariſtiæ in ratione Sacramenti; nam eadem eſt ratio de utroque.

Prob. 2. p. Nam unitas indiviſibilitatis excludit omnem pluralitatem partium; ſed hoc ſacrificium non excludit pluralitatem partium; ergo &c. Prob. min. Nam hoſtia eſt ipſe Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ ſeorſim conſecrantur, & ſumuntur; ergo &c.

Prob. 3. p. Nam unitas integritatis conſtat ex partibus integrantibus, in quas dividi poteſt id, quod dicitur unum; ſed talis eſt materia, ſeu hoſtia hujus ſacrificii; ergo & ipſum, nam ejus unitas maximè petitur ab unitate hoſtiæ.

Dixi, *morali unitate*; nam ſicut totum eſſe hujus ſacrificii pendet à voluntate, & inſtitutione Chriſti; ita & ejus proprietates, qualis eſt unitas.

Objic. Unitas ſacrificii Miſſæ petitur ab unitate ſacrificii Crucis; ſed hæc eſt unitas indiviſibilitatis; ergo & illa. Prob. min. Unitas ſacrificii Crucis petitur à morte Chriſti; ſed hæc fuit una indiviſibiliter; ergo & unitas ſacrificii hujus. Prob. min. Nam petitur à ſeparatione animæ à corpore ejus; ſed hæc conſiſtit in indiviſibili; ergo &c.

Reſp. diſt. min. unitas phyſica,, con. moralis, neg. min.

[1] *d.8.q.1.B.3.*

min. & 3. maj. Nam unitas illa mortis, & ſeparationis animæ à corpore eſt phyſica; ſed unitas moralis utriuſque ſacrificii conſiſtit in oblatione totius humanitatis, quæ ſicut conſtat corpore, & anima, vel carne, & ſanguine, quæ ſunt phyſicè ſeparabilia; ita poſſunt ſeorſim offerri; & de facto ſeorſim offeruntur in Miſſa, non autem in Cruce.

QUÆSTIO V.

An conſecratio Corporis Chriſti ſub utraque ſpecie ſit de eſſentia hujus ſacrificii.

JAm diximus, conſecrationem ſub utraque ſpecie eſſe de neceſſitate non Sacramenti, ſed præcepti divini. Quærimus hic, an ſit de eſſentia ejuſdem in ratione ſacrificii, ita ut in nullo caſu valeret, ut ſacrificium in unica ſpecie oblatum.

CONCLUSIO.

COnſecratio in utraque ſpecie eſt de neceſſitate præcepti divini, non autem ſacrificii, quod probabiliter valeret ſub unica ſpecie oblatum. Eſt communior inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Miſſa ſit tam repræſentando illam oblationem, qua Chriſtus ſeipſum obtulit in Cruce, quàm per eam obſecrando*: ergo ſicut in Cruce obtulit Carnem, & Sanguinem, ita & voluit ut in ſacrificio Miſſæ offeratur caro, & ſanguis; ſicut & voluit ut iſta oblatio fiat in commemorationem illius; & ipſemet in utraque ſpecie ſacrificavit; alioqui enim ſacrificium Miſſæ non repræſentaret integrè ſacrificium Crucis juxta intentionem Chriſti inſtituentis.

Prob. 2. ex dictis de Sacramento iſto. Nam Chriſtus jubet, ut faciamus hoc, ſicut ipſe fecit, & in ejus commemorationem: ſed ipſe conſecravit in utraque ſpecie, & ita faciendum juſſit dicens, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo &c.

Prob. 2. p. in qua eſt major controverſia. Nam ſub alterutra ſpecie ſeorſim haberet totam rationem veri ſacrificii; ergo valeret ut tale. Prob. ant. Ad eſſen-

[1] *Quodl.20.P.22.*

tiam ſacrificii veri requiritur, & ſufficit oblatio rei permanentis facta à miniſtro legitimo in proteſtationem ſummæ Dei excellentiæ, & dominii in nos; ſed hæc omnia adeſſent in oblatione corporis ſub ſola ſpecie panis, aut ſanguinis ſub ſola ſpecie vini; ergo &c. Prob. min. diſcurrendo per ſingulas conditiones prædictas.

Dices, deeſſe repræſentationem integram ſacrificii Crucis, quæ eſt iſti eſſentialis.

Contra. Ut ſacrificium Miſſæ repræſentet ſacrificium Crucis, ſufficit, ut repræſentet Chriſtum ut mortuum, aut morientem pro nobis; ſed hoc repræſentatur per conſecrationem panis, aut vini ſeorſum vi verborum; ergo &c. Prob. min. Nam Chriſtus repræſentatur ut mortuus, vel moriens, quando ponitur, & offertur corpus ejus ut inanimatum, & exangue: idem eſt de ſanguine ſeorſim à corpore; ſed hoc fit vi verborum in conſecratione, & oblatione alterutrius ſpeciei; ergo &c. Prob. min. Nam vi verborum conſecrationis panis ponitur præciſè Corpus Chriſti, non autem anima, nec ſanguis niſi concomitanter (ita eſt de ſanguine in conſecratione vini) ergo &c.

Confir. ex ſenſu Eccleſiæ, quæ præcipit, ut ſi Sacerdos ſumens Calicem advertit ibi non eſſe niſi aquam, infundat vinum, illud conſecret, & ſumat; licèt non jejunus; ſed id non jubet, ut valeat ſacrificium, ſed ut ſit integrum, & perfectum; ſi hoc Sacerdos omitteret ignoranter, aut inadvertenter, adhuc valeret ſacrificium ſub unica ſpecie panis, licèt non eſſet integrum; ergo conſecratio unius ſpeciei non invalidat ſacrificium; ergo conſecratio ſub utraque non eſt de eſſentia, ſed de integritate ſacrificii Miſſæ, & de præcepto divino.

Objic. 1. Si valeret ſacrificium hoc ſub unica ſpecie, eſſet duplex, quando fit ſub duabus; ſed conſ. eſt falſum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. eſſent duæ conſecrationes ſeparabiles, & quarum unaquæque ſola ſufficeret pro uno ſacrificio; ergo &c.

Reſp. 1. retorquendo argum. ſingulæ ſpecies valent ad unum Sacramentum; ergo ambæ faciunt duo Sacramenta; ſed hoc eſt contra adverſarios; ergo non valet argumentum.

Reſp. 2. diſt. maj. duo partialia, con. duo totalia, neg.

neg. maj. & min. Nam unum ſine alio non eſſet integrum ſacrificium, ſicut nec integrum Sacramentum:

Objic. 2. Validitas ſacrificii pendet ab inſtitutione Chriſti; ſed Chriſtus inſtituit, & fecit iſtud in utraque ſpecie, & ſic fieri præcepit; ergo ſacrificium iſtud non valet in unica ſpecie. Prob. min. Nam conſtat ex Scriptura, quod conſecravit in duplici ſpecie, & quod præcepit, *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo, &c.

Reſp. diſt. min. ant. inſtituit, fecit, & juſſit fieri in duplici ſpecie ad integritatem ſacrificii, & ſacramenti, con. ad validitatem eſſentialem, neg. min. & ant. Inde quidem infertur neceſſitas præcepti, & juris divini, non autem neceſſitas ſacramenti, nec ſacrificii ſecundum eſſentiam. Unde ſicut caro ſeorſim à ſanguine *vere eſt cibus*, & ſanguis ſeorſim à carne *eſt vere potus* in ratione ſacramenti, licèt non integri, ita & in ratione ſacrificii partialis.

Inſt. Chriſtus expreſsè inſtituit hoc ſacrificium, ut memoriale ſacrificii Crucis, & aliter non valeret; ſed illud non repræſentaret ſub unica ſpecie; ergo nec valeret. Prob. min. Niſi adſit ſanguis, & corpus ut ſeparatum, non repræſentatur mors crucis, in qua effuſus eſt ſanguis: ergo nec ſacrificium crucis.

Reſp. 2. neg. maj. abſolutè. Nam licèt Chriſtus voluerit per iſtud repræſentari ſacrificium mortis Chriſti; non tamen eſſentialiter voluit hoc fieri ſecundum partes omnes ejus, & omnimodam ſimilitudinem, & integritatem explicitè, & formaliter; ſufficit hoc taliter fieri, ut revocet, & excitet recordationem ſacrificii mortis ejus in cruce.

Reſp. 2. ex dictis neg. min. & ant. Nam ex vi verborum corpus ibi ponitur, & offertur ſine ſanguine, & ſanguis ſine corpore; & hoc ſufficit, ut aliqualiter repræſentet, & excitet memoriam ſacrificii crucis, in quo Corpus, & Sanguis ſeparata ſunt.

Confir. hoc ex verbis Concil. Trid. quod non loquitur de *repræſentatione*, *ſed de memoria tranſitus ſui ex hoc mundo ad Patrem*: & minus requiritur ad excitandam memoriam, quàm ad repræſentationem rerum.

Quæres, *An Eccleſia poſſit diſpenſare, ut ſub unica ſpecie conſecretur, & celebretur hoc ſacrificium?*

Reſp. non poſſe in hoc diſpenſare vera, & propria

diſpenſatione; quia non poteſt verè, & propriè diſpenſare in jure divino: nam ad hoc requiritur ſuperioritas in diſpenſante. Poteſt tamen declarare, & interpretari mentem Chriſti, cujus eſt depoſitaria in iis, quæ ſpectant ad hujuſmodi miniſteria; & ita ſæpius eam facere videmus. Ideo aliqui hiſtorici, ut Volaterranus, & Sanctelius, & Panvinus narrant aliquando fuiſſe diſpenſatum cum Norvegis, ut propter inopiam vini celebrarent in ſolo pane; an ita ſit, viderint peritiores hiſtorici. Mihi autem ſatis probabile eſt, Chriſtum non intendiſſe in caſibus abſolutæ neceſſitatis privare populos fructu tanti ſacramenti, & ſacrificii, ita ut non liceat ſacrificare in una ſpecie, quando alia deficeret.

QUÆSTIO VI.

De valore, & fructu Sacrificii Miſſæ.

Valor hujus ſacrificii peti poteſt 1. ex dignitate rei oblatæ. 2. ex intentione Chriſti, qui & potuit valorem majorem, aut minorem tribuere, ſicut princeps taxat valorem monetæ. 3. ex parte ſacerdotis, qui eſt miniſter ſacrificii. 4. ex parte Eccleſiæ, quæ illud offert miniſterio ſacerdotis, & eſt offerens generalis. 5. ex parte fidelium, quorum nomine, & intentione illud offert ſacerdos, cui ab illis datur ſtipendium.

Rurſus valoris quantitas eſt vel *extenſiva*, quæ petitur ex parte offerentium, & ſubjectorum, pro quibus offertur, prout ſunt plures, aut pauciores; & dicitur *ſyncategorica*; quia quoad hoc non habet determinatos gradus, ſed in infinitum extenderetur, ſi eſſent infiniti, pro quibus offerretur: vel *intenſiva*, quæ petitur ex dignitate intrinſeca ſacrificii, maximè ex parte rei oblatæ; & dicitur etiam *categorica*, quia conſtat certis, & determinatis gradibus perfectionis ipſius ſacrificii ſecundum ſe, & in ſe ſpectati: vel *impetrativa*, quæ eſt vis ejus ad impetrandas gratias: vel *ſatisfactiva*, quatenus per illud ſatisfit Deo pro peccatis, aut pœnis debitis pro peccatis.

3. Fructus hujus ſacrificii alius eſt *generalis*, quem Eccleſia vult applicari generaliter omnibus tam vi-

vis,

vis, quam defunctis, præſentibus, & abſentibus, prout Chriſtus ſingulis determinavit: alius *ſpecialis*, qui debetur illis, pro quibus ſacerdos intendit offerre: alius *ſpecialiſſimus*, qui debetur ipſi celebranti, ita ut alteri non poſſit applicari. His ſuppoſitis

CONCLUSIO I.

Valor ſacrificii Miſſæ eſt abſolute extenſive finitus, & applicatus multis minus valet ſingulis, quam ſi uni, vel paucioribus. Eſt Scotiſtarum cum aliis contra plures, maximè recentiores.

Prob. 1. ex Scoto. (1) *Dici poteſt, quod Miſſa non tantum valet virtute ſacrificii applicata pluribus, qui eodem gradu, ſicut ſi uni ſoli applicaretur . . . quia bonum, quod debetur virtute ſacrificii, correſpondet ſecundum plenam juſtitiam alicui merito in Eccleſia. Illud meritum eſt finitum, & certi gradus: ergo ſibi ſecundum juſtitiam plenam adæquate correſpondet bonum certi gradus reddendum*: ergo valor ille eſt intrinſecè, & extenſivè finitus ex Scoto.

Prob. 2. ex Bulla Clem. V. in Concil. Conſtantienſi, ubi damnatur hæc propoſitio VVicleffi; *Speciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, vel Religioſos non plus proſunt eidem, quam generales, cæteris paribus*. Nam ſi fructus, & valor Miſſæ eſſet infinitus, infinitè prodeſſet infinitis perſonis æquè, ac uni ſoli; nam infinitum non augetur, nec minuitur.

Prob. 3. quia Miſſa non valet, niſi prout Chriſtus determinavit; ſed non determinavit, niſi valorem finitum, qui proſit finite; ergo &c. Prob. min. Eccleſia, quæ eſt depoſitaria voluntatum Chriſti, determinat orationes ſpeciales pro diverſis neceſſitatibus, & bonis, & perſonis particularibus, & ſtatibus, & congregationibus, pro infirmis, & agonizantibus; contra certa mala, contra peſtem, & tempeſtates, tentationes, tribulationes, pro vivis, & defunctis; ſed iſta eſſent fruſtra, ſi miſſa generaliter, & indifferenter prodeſſet omnibus æquè, ac uni in particulari; ergo Chriſtus ipſe, ex cujus voluntate ſic determinavit Eccleſia, non tribuit Miſſæ niſi valorem finitum.

[1] *Quodl.* 20. *N.* 22.

Confir. Nam 1. alioqui peccaret ſacerdos accipiens ſtipendia, ſeu eleemoſynam ab offerentibus cum intentione, ut ſibi ſpecialiter applicetur ſacrificium, quia offerentes deciperentur putantes id ſibi ſpecialiter prodeſſe. 2. ipſe ſacerdos peccaret contra juſtitiam, & charitatem, quoties applicaret ſpecialiter pro amicis, benefactoribus, propinquis, &c. Nam quantum in ſe eſt, fruſtraret alios fructu ſibi debito; nec illi, quibus applicaret, plus inde beneficii reciperent ex illa partialitate. 3. denique ſi valor eſſet infinitus, & tantum prodeſſet omnibus, quantum uni ſoli, poſſet ſatisfieri per unicam Miſſam mille ſtipendiis, & fundationibus; quod nemo dicere poteſt, cum id ſtricte damnet Eccleſia ſpecialiter ſub Alexandro VII. in Decreto 24. Septembris anno 1665. propoſ. 8. & 10.

Dices, eum peccare, quia reciperet plura ſtipendia; quia hæc dantur pro ejus congrua ſuſtentatione, & non indiget pluribus. Item ex infidelitate, quia promittit ſingulis celebrare pro ſingulis, ut ipſi intendunt dantes ſtipendium.

Contra. Qui bis, aut ter in die celebrat ex privilegio, ut in die Nativitatis Domini, peccaret acceptando tria ſtipendia; quia non cœnabit, nec prandebit bis, aut ter illa die potius, quam in aliis. 2. quia poſſet reſiduum largiri pauperibus, aut aliis piis uſibus impendere. 3. denique prohibet Eccleſia recipere plura, quamvis modica ſtipendia pro unica Miſſa, jubens ut pro ſingulis ſingula celebrentur ſacrificia: ergo reſponſio non valet.

Conſtat igitur, valorem extenſivum Miſſæ eſſe finitum, & limitatum, & ideo minus prodeſſe ſingulis ex pluribus, quam ſi uni, aut paucioribus applicetur.

Objic. 1. Sacrificium Miſſæ habet ſuum valorem ex valore intrinſeco rei oblatæ, & ex merito, & intentione principalis offerentis; ſed ex utroque capite eſt infinitus; ergo &c. Prob. min. Res oblata, & principalis offerens eſt ipſe Chriſtus, qui eſt ſacerdos, & hoſtia; ſed hic eſt valoris infiniti tam in ſe, quam ex intentione, per quam ſe offert; ergo &c.

Reſp. neg. utramque min. quoad 2. partem. Fateor infinitatem rei oblatæ, ſed non ex parte intentionis offerentis, ut dictum eſt.

Inſt.

Inſt. Saltem valor creſcit ex dignitate offerentis principalis; ſed hæc eſt infinita; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. creſcit, niſi limitetur ex ejus intentione, conc. maj. & neg. min. ſi limitetur, neg. maj.& conſ.Nam ipſe voluit limitare hunc valorem ex intentione Eccleſiæ, quæ non vult, quod proſit niſi limitate. Cùm B. Virgo eundem Chriſtum filium ſuum obtulit, iſte erat ſine dubio infiniti valoris, & dignitatis; & tamen valor oblationis fuit finitus ex finitate matris offerentis miniſterialiter.

Objic. 2. Cap. *Non mediocriter*, quod eſt S. Hieron. (1) *Dum pro centum animabus pſalmus, vel miſſa dicitur, nihil minus, quam ſi pro una qualibet earum diceretur, accipitur:* ſed hoc non eſſet verum, niſi valor ille eſſet infinitus: ergo &c.

Reſp. cum Gloſſa diſt. mai. nihil minus accipitur à ſacerdote, con. ab aliis, neg. mai. & conſ. Nam ſi attentè legas textum, videbis hoc intelligi poſſe de offerente: *vel hoc referas ad ipſum celebrantem, quantum valet ei, ut Miſſam celebret pro centum, aut pro uno; vel referas hoc ad caſum, in quo Canon loquitur, ſc. quod Miſſa non minus valet cum hilaritate* (fervore) *mentis dicta pro centum, quàm ſi pro quolibet cum anxietate* (tepide, & diſtractè) *diceretur*.

Objic. 3. Bonum ſpirituale non dividitur, ubique totum eſt; ſicut anima in corpore eſt tota in toto, & tota in qualibet parte: ſed fructus, & valor Miſſæ eſt bonum ſpirituale: ergo eſt totus in toto cętu fidelium, & totus in ſingulis.

Reſp. diſt. maj. non dividitur extenſivè, & in ordine ad locum, vel ſubjectum, con. gradualiter, & entitativè, intenſivè, neg. maj. & conſ. Singulæ animæ non dividuntur in ſubjecto, & loco: ſic gratia una eſt intenſior alia, eſt in uno intenſiſſima ut octo, alibi remiſſa ut duo, vel unum: ſic bona ſpiritualia creſcunt, & decreſcunt, intenduntur, & remittuntur: ergo dividuntur entitativè, & gradualiter, ut loquitur Doctor poſt S. Auguſt. (2)

Inſt. Saltem bonum ſpirituale non communicatur per partes; ergo non dividitur inter participantes, ſed ſingulis datur ut totum præmium.

Reſp. ex eodem diſt. ant. per partes ab aliquo toto

[1] *d. 5. de conſecr.* [2] *Ibid. n. 8.*

ſingulari diviſas, con. per partes graduales, quarum una non ſit major alia, neg. ant. Si ex merito datur gratia, datur uni intenſa ut octo; alteri remiſſa ut unum, vel duo: ita eſt de fructu Miſſæ; ſi dicatur pro unico, recipit totum fructum ut 7. vel 8. ſi pro 10. aut viginti, recipient ſinguli cum proportione, & diviſim.

Inſt. 2. Qui recipit ſpiritum, recipit totum; ergo & qui recipit bonum ſpirituale.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia ſubſtantia ſpiritalis non patitur magis, nec minus, bene verò accidens ſpirituale; v. g. entitas gratiæ eſt diviſibilis gradualiter: ita eſt de bonis, & fructibus, qui dantur intuitu ſacrificii Miſſæ.

Inſt. 3. Lux candelæ, aut Solis, aut ſpecies vocis non patiuntur ex multitudine videntium, vel audientium diminutionem, vel partitionem, quamvis ſint res materiales: ergo multò minus bona ex valore Miſſæ, quæ ſunt ſpiritualia.

Reſp. diſt. ant. intra eandem ſphæram activitatis, & ſuppoſita æquali diſpoſitione, con. in poſitione, & diſpoſitione differenti, & inæquali videntium, & audientium, neg. ant. Intenſior eſt participatio proximiorum, quàm remotiorum, & juxta perſpicaciam viſus, & auditus. Ita eſt in participatione horum fructum, propinquiores, & principaliores in applicatione paſſiva plus accipiunt beneficii, & ſic illi, pro quibus ſpecialior, & ſingularior fit applicatio: ergo hæc inſtantia nobis favet.

Objic. 4. Si Sacerdos plures baptizet ſimul, omnes, & ſinguli recipiunt totam gratiam, quam unus ſolus acciperet: ergo ita eſt de Miſſa pluribus applicata, ſinguli recipiunt totum ejus fructum.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia in 1. caſu tot ſunt Sacramenta, & baptiſmata, quot ſunt baptizati: & ideo ſinguli recipiunt totam gratiam ſui baptiſmi: at hic non ſunt plura ſacrificia, nec plures Miſſæ, ſed unica pro omnibus.

Objic. 5. Valor Miſſæ manat ex valore ſacrificii Crucis: ſed iſte valor eſt infinitus, nec minuitur ex multitudine participantium: ergo &c.

Reſp. diſt. maj. manat tamquam ex fonte, con. manat cum tota plenitudine valoris quoad applicationem, neg. maj. & conſ. Nam, ut diximus, quoad appli-

applicationem ex intentione Chriſti, vel Eccleſiæ non manat cum plenitudine illa infinita, ſed ut rivulus ex fonte, non ut alter fons.

Inſt. Sacrificium Miſſæ eſt unum, & idem cum ſacrificio Crucis; ergo habet eundem valorem, & eſt alter fons.

Reſp. diſt. ant. unum, & idem quoad rem oblatam, con. quoad fructum ratione appplicationis ex parte principalis offerentis, neg. ant. Eſt idem quoad rem oblatam, & quoad repræſentationem; quia in ſacrificio Miſſæ idem Chriſtus ſe offert per miniſterium Sacerdotis, ſed cum alia intentione, ex qua menſuratur fructus applicationis ejus.

Objic. denique 6. Valor Miſſæ pro aſtantibus non minuitur ſingulis ex multitudine illorum: ergo neque pro iis, quibus applicatur.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia ſinguli aſtantes offerunt cum Sacerdote, qui eorum nomine ſpecialiter offert; ſinguli cooperantur ſacrificio: & ſic quo plures ſunt aſtantes, eo plures ſunt offerentes ſuo modo, & in ſuo ordine, & inde creſcit valor ſacrificii, & fructus ejus.

CONCLUSIO II.

Valor ſacrificii Miſſæ habet aliquam infinitatem ſyncategorematice, & ex opere operantis.

Prob. breviter: quia ex opere operantis poteſt creſcere, quamdiu poteſt intendi, & creſcere fervor, & devotio tam offerentis, quam ſubjectorum, quibus applicari poteſt; ſed ille fervor, devotio, & merita ſemper creſcere poſſunt; ergo & valor illis correſpondens ex opere operantium. Prob. maj. Nam eſt certum, quod ex illis capitibus plus, aut minus prodeſt ſacrificium; ergo inde creſcit ejus valor, & fructus: nec in hoc video rationem dubitandi.

Objic. Si hoc eſſet, valor Miſſæ poſſet evadere infinitus categorematice: ſed hoc eſt contra nos; ergo &c. Prob. maj. Nam actu valet, & operatur ſecundum omnem efficaciam, quam poteſt habere; ſed per nos poteſt ſemper, & ſemper plus valere, & cauſare boni in infinitum, & ſine termino; ergo de facto id totum cauſat, ſc. infinitum actu, & categorematice.

Prob.

Prob. maj. quia eſt cauſa neceſſaria, & ſemper agit quantum poteſt, ut alia Sacramenta; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & 2. min. & ant. Nam omnes illæ cauſæ, & diſpoſitiones ſimul, & categorematice ſunt finitæ; ergo & earum effectus. Præterea Sacramenta, nec ſacrificia non cauſant phyſice, ſed moraliter ex beneplacito Dei, & merito ſubjectorum.

Inſt. Ab effectu ſyncategorematice infinito arguitur infinitas categorematica cauſæ; ſed nos admittimus in effectu Miſſæ infinitatem ſyncategorematicam; ergo in valore, ſeu virtute Miſſæ eſt infinitas categorematica.

Reſp. diſt. maj. ſi infinitas ſyncategorematica veniat ab intrinſeco, & merito cauſæ, con. ſi ab extrinſeco, neg. maj. & conſ. Nam, ut patet ex terminis, illa infinitas venit ex diſpoſitionibus, & opere operantium, ſc. Sacerdotis, & ſubjectorum, non autem ex ipſo opere operato ſecundum intentionem Chriſti inſtituentis, & principalis offerentis.

CONCLUSIO III.

Sacrificium Miſſæ habet valorem, & effectus aliquos ex opere operato, maxime ex meritis Chriſti principalis offerentis, & oblati. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Miſſa non ſolum valet virtute meriti, ſive operis operantis, ſed etiam virtute ſacrificii, & operis operati .... Miſſa fit tam repræſentando oblationem in cruce, quam per eam obſecrando, ut ſc. per eam Deus acceptet ſacrificium Eccleſiæ .. Virtus ſacrificii non adæquatur valori ejus, qui continetur in ſacrificio; ſed correſpondet alicui merito in Eccleſia.* Denique docet, quod Miſſa *valet ſpecialiter pro quanto ibi eſt ſpecialior commemoratio oblationis, quam obtulit Chriſtus in cruce;* ergo ibi eſt aliquis valor ratione operis operati.

Prob. 2. Valor operis operati eſt ille, qui non dependet ex merito, vel diſpoſitione, vel dignitate operantis, vel ſubjecti, modo ille faciat omnia requiſita ad eſſentiam operis, & iſte non habeat obicem ad gratiam; ſed Euchariſtia in Miſſa talem valorem habet in ratione tam ſacrificii, quam Sacramenti; ergo

[1] *Ibid. n.* 22.

go habet aliquem valorem ex opere operato. Prob. min. tum ex communi ſenſu Eccleſiæ docentis, plures effectus ſacrificii Miſſæ non pendere, nec impediri a malitia pravi miniſtri: tum ex Concil. Trid. [1] dicente, quod *illa oblatio munda eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt*; ergo habet valorem aliquem ex ſe, & in ſe, ſeu ex opere operato.

Prob. 2. p. ex eodem Scoto: [2] quia *valor hujus ſacrificii is pro tanto accedit ad meritum paſſionis, pro quanto illam paſſionem ſpecialius repræſentat; & ita ſpecialiu Deum placat. Nam Miſſa fit tam repræſentando paſſionem, quam per eam obſecrando; quippe obſecratio fit communiter per aliquid magis acceptum ei, qui rogatur, quam ſit ſupplicatio obſecrantis*; Quid autem acceptius Deo Patri, quam paſſio Christi ejus Filii? ergo ſacrificium Miſſæ potiſſimum valorem, & efficaciam habet a paſſione Chriſti.

Prob. 2. ex eodem Concilio dicente, [3] *Chriſtum reliquiſſe Eccleſiæ ſuæ ſacrificium, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur; ejuſque memoria uſque in finem ſæculi permaneret; atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum appplicaretur*; ergo ſacrificium Miſſæ maximum valorem ſumit ex merito paſſionis.

Prob. 3. ex dictis de merito Chriſti, quod eſt fons & radix omnium gratiarum, quas habemus ex Sacramentis.

Confir. quia valor hujus ſacrificii ex opere operato non poteſt aliunde venire, cum ipſe, qui eſt ibi hoſtia, & mediator, ac principalis offerens, non ſit in ſtatu amplius merendi.

Objic. Omnis effectus Sacramentorum, & operum pendet ex promiſſione Chriſti; ſed in iſto nullam habemus promiſſionem in ratione ſacrificii; ergo non valet ex opere operato. Prob. min. Nihil enim de hoc habemus in Scriptura; ergo &c.

Reſp. neg. min. & 1. conſ. Nam licet Scriptura nihil diceret de hac promiſſione, & valore, ſufficit, quod eam habeamus ex traditione Eccleſiæ.

Inſt.

[1] *ſeſſ.22.c.1.* [2] *Ibid.*
[3] *Ibid.c.1.& 2.*

Inſt. Saltem id conſtare deberet ex Conciliis; ſed hæc nihil de hoc docent, nequidem Tridentinum, in quo ejus materia tradita eſt per plures Seſſiones; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam contrarium patet ex verbis mox citatis ex illo Concilio.

CONCLUSIO IV.

Sacrificium Miſſæ cauſat remiſſionem peccatorum, & gratiam, etiam ex opere operato, non quidem directe, & immediate, ſed mediate, & indirecte. Eſt communis.

Prob. 1. ex dictis de ſacrificio propitiatorio. Nam (inquit Concilium) [1] *Si quis dixerit, Miſſæ ſacrificium tantum eſſe laudis, & gratiarum actionis .... non autem propitiatorium .... neque pro vivis, aut defunctis, pro peccatis, pœnis, & ſatisfactionibus .... offerri debere, Anath. ſit*. Et cap. 1. dicit, iſtud ſacrificium eſſe aliorum omnium conſummationem, & eorum perfectionem; ſed inter illa quædam erant propitiatoria, quæ ſc. peccata aliquo modo remittebant, & cauſabant gratiam; ergo & magis iſtud, quod eſt longiſſime perfectius, & aliorum omnium vim habet; & maxime quia efficaciam habet ex ſacrificio Crucis.

Prob. 2. ex Patribus, & traditione. Nam in conſecratione vini dicimus: *Sanguis, qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*. Et Sanctus Jacobus dicebat: [2] *Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris ... & in abolitionem peccatorum*. Et Cyrillus Jeroſol. [3] *Chriſtum pro peccatis noſtris mactatum offerimus*. Et Auguſtinus: *Illis ſacrificiis, quæ pro peccatis offerebantur, unum hoc ſacrificium ſignificabatur, in quo vere fit remiſſio peccatorum*. Denique Patres communiter hoc ſacrificium vocant *propitiationem, hoſtiam ſalutarem, ſacrificium pro peccato* &c.

Prob. 3. quia per hoc ſacrificium applicatur nobis, & quidem ex opere operato, & ex inſtitutione Chriſti meritum ſacrificii Crucis; ſed iſtud

[1] *Ibid. can. 9.*
[2] *Litur.* [3] *Catech. 5.*

illud fuit maxime propitiatorium, & efficax ad remiſſionem peccatorum: ergo & illud

Prob.2.p.de opere operato. Nam illa virtus ineſt huic ſacrificio ex inſtitutione divina Chriſti; ergo illa ſe tenet ex parte operis, & non pendet ab operante, modo adhibeat omnia requiſita. Prob.ant. ex eodem Concilio. Nam Chriſtus *hoc ſacrificium Eccleſiæ ſponſæ ſuæ dilectæ reliquit, quo cruentum illud ſemel in cruce peragendum repræſentaretur... atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, applicaretur per ſacerdotem... & hæc quidem munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt*; ergo virtutem ſuam habet principalem independenter ab operante, ſed ex opere ipſo debite operativo.

Dico, *principalem*; nec enim dubium eſt, quin ex bonitate, & devotione tam ſacerdotis, quam eorum, pro quibus offertur, & aſtantium, qui cum illo offerunt, creſcat notabiliter ejus valor, & fructus; ſed hoc non impedit, quin principalis pendeat ab ipſo opere ex vi ſuæ inſtitutionis; alioqui poſſet inquinari munda hæc oblatio, & inefficax reddi ex indignitate, aut malitia offerentium.

Prob.4.p.de cauſalitate indirecta, & mediata in ratione ſacrificii. 1. ex Scoto cit. (1) quatenus docet, ſola duo Sacramenta, baptiſmum ſcilicet, & pœnitentiam cauſare 1. gratiam, & remiſſionem peccati mortalis.

Prob.2. ex Concil.cit. [2] dicente, quod *hujus oblatione placatus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens crimina, & peccata ingentia dimittit*. Non dicit abſolute, quod hæc oblatio peccata dimittit, ſc. directe, ſed ſolum quod concedit donum pœnitentiæ, ad quam excitat, & inclinat per gratias actuales, quas Deus largitur intuitu ſacrificii.

Confir. Nam inter ejus effectus dicit, quod per ipſum fit, *ut ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia contriti, ac pœnitentes accedamus ad Deum, miſericordiam conſequamur in auxilio opportuno*; ergo tota efficacia directa, & immediata eſt in impetrandis auxiliis.

Prob.3.

[1] *d.* 23.
[2] *ibid.*

Prob. 3. In tantum iſtud ſacrificium operatur remiſſionem peccatorum, quatenus nobis impetrat gratias actuales excitantes, & adjuvantes, quibus movemur, & juvamur ad actus pœnitentiæ, & contritionis, per quos diſponimur ad juſtificationem, vel augmentum gratiæ juſtificantis; ſed hoc eſt cauſare gratiam, & remiſſionem indirecte ſolum, & mediate; ergo talis eſt hæc cauſalitas ſacrificii hujus.

Confir. 1. Nam nequidem ut Sacramentum cauſat 1. gratiam, nec remiſſionem peccati mortalis, niſi valde per accidens; ergo multo minus ut ſacrificium.

Confir. 2. Nam ſi hoc faceret directe, & ex opere operato, eſſet verum Sacramentum, & juſtificaret attritum, cui applicaretur ſacrificium ipſo dormiente; ſed hoc eſt abſurdum, & inauditum; ergo &c. Prob. maj. Nam ex omnium ſenſu Sacramenta cauſant gratiam 1. aut 2. ex opere operato non habentibus obicem; & ſine fundamento id tribueretur ſacrificio.

Objic. 1. con. 1. p. ea, quæ objiciuntur contra propitiationem, quæ non repetimus.

Objic. con. 2. p. Si hæc haberet ex opere operato, illi effectus non penderent a diſpoſitionibus offerentium; ſed illi ſic dependent; nam pendent ex devotione ſacerdotis, & aliorum offerentium, & eorum, quibus applicatur ſacrificium; ergo hos effectus non habet ex opere operato.

Reſpondeo diſt. min. & ant. ſic dependent quoad augmentum accidentale, con. quoad principale, & primarium, neg. min. & ant. Nam ad hunc effectum nihil aliud requiritur ex parte ſacerdotis, quam intentio, & neceſſaria ad eſſentiam ſacrificii, ſeu operis: idem eſt ex parte aliorum, ſc. ut non habeant obicem ad illas gratias, ſed intentionem illas obtinendi.

Inſt. Quæ pendent ab opere operato, fiunt infallibiliter; ſed gratiæ ex ſacrificio prætenſæ, & deſideratæ non ſic obtinentur, ſed ſæpe negantur; ergo &c.

Reſp. diſt. min. ſi adſit obex ex parte ſubjectorum, con. ſi non adſit obex, neg. min. Nam quoad remiſſionis gratiam, ſemper obtinetur, ſi non adſit obex ex parte noſtra.

Objic.

Objic. con. 3. p. SS. Patres citati pro 1. p. dicunt abſolute per hoc ſacrificium peccata remitti, & illud eſſe propitiatorium; ſed ad hoc non ſufficit cauſalitas mediata gratiæ; ergo eſt immediata, & directa. Prob. min. Nam alias eſſet pure impetratorium; nihil enim aliud faceret, quam impetrare auxilia ad pœnitendum, & pœnitentia ſola deleret peccata, non autem ſacrificium; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. Nihil enim aliud volunt SS. PP. niſi remiſſionem mediatam; & dum ſacrificium nobis impetrat donum pœnitentiæ, operatur hac mediante remiſſionem peccatorum, de quibus conterimur.

In. Patres loquuntur de propria remiſſione, & propitiatione; ſed pure mediata, & indirecta non eſt vera propitiatio, nec remiſſio; ergo &c. Prob. maj. Nam loquuntur, & debent intelligi in ſenſu proprio verborum, quantum fieri poteſt; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. de propria, quantum fieri poteſt in ſubjecta materia, con. abſolute, & ſimpliciter, neg. maj. & ant. Non enim majorem vim tribuere voluerunt ſacrificio miſſæ, quam crucis, quod non remittit peccata, nec cauſat gratiam, niſi quatenus per illud pretium Redemptionis, & gratię ſolutum eſt, qua ſolutione poſita, remittuntur peccata immediate per Sacramenta, quæ vim ſuam ab illo habent.

Objic. 2. Per nos vis hujus ſacrificii, ſicut & crucis, quoad propitiationem, ſignificatur per verba conſecrationis, *Qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*: ſed hęc verba non dicerentur vere, & proprie, ſi non remitteret directe, & per ſe; ergo &c.

Reſp. neg. min. Non enim aliter in vero ſenſu poſſunt intelligi, quam de remiſſione mediata.

Inſt. Saltem venialia remittit directe, & cauſat directe 2. gratiam; ergo quoad hæc falſa eſt concluſio. Prob. ant. Nam ut Sacramentum delet venialia per ſe; ergo & ut ſacrificium.

Reſp. neg. utrumque ant. Nam quoad hoc eadem eſt ratio de venialibus, & mortalibus.

CON-

CONCLUSIO V.

Sacrificium Miſſæ valet ad remiſſionem pœnarum temporalium debitarum pro peccatis mortalibus remiſſis quoad culpam, & pro venialibus, & ſic prodeſt animabus purgantibus, etiam ex opere operato. Eſt de fide, maxime quoad defunctos.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod in poteſtate celebrantis eſt aliquo modo applicare virtutem ſacrificii.* *Quod probatur duplici auctoritate Auguſt. in Enchir. 89. vel 87. Non eſt negandum defunctorum animas relaxari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur;* ergo offerens poteſt applicare illis ſacrificium, & illæ per hoc poterunt relevari. *Idem in Ser. de Cathedra S. Petri: Oſtendam, qua ratione animas defunctorum juvare poſſunt, adhibeant pro eis ſanctorum preces, & ſacerdotali eas proſecutione Domino commendent: juvantur ergo animæ per hoc, quod ſacerdos pro eis applicat virtutem ſacrificii.*

Prob. 2. ex Script. ex facto Judæ Machabæi, [2] qui poſt victoriam 12. *millia argenti miſit Jeroſolymam offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium:* ergo a fortiori ſacrificium Miſſæ proderit mortuis. De hoc latius dicemus, ubi de purgatorio.

Prob. 3. ex Concil. Trid. dicente. [3] *Non ſolum pro fidelium vivorum pœnis, peccati ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenum purgatis rite juxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Quod iterum definit Can. III. & tandem docet, [4] *animas in purgatorio detentas fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero altaris acceptabili ſacrificio juvari;* ergo animæ defunctorum juvantur quoad remiſſionem pœnæ: quia non egent alio juvamine.

Prob. 4. ex Patribus. 1. ex Tertull. [5] *Oblationes pro defunctis annua die facimus.* Et de viro pro uxore defuncta orante dicit: [6] *Pro cujus ſpiritu poſtulas, pro qua oblationes annuas reddis.* Et Cyprianus teſta-

[1] *Quodl. 20. H. 23.*
[2] *2. Machab. 12.* [3] *ſeſſ. 22. c. 2.*
[4] *can. 3. ſeſſ. 25. init.*
[5] *de cor. mil. 3.* [6] *Ex. caſt. 11.*

teſtatur ſuo tempore morem illum invaluiſſe, ut ſi quis clericum offendiſſet, [1] *non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione ejus celebraretur*. Et Auguſt. [2] *Orationibus S. Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adjuvari*. Quod ſi mortuis prodeſt ad remiſſionem pœnæ, quanto magis viventibus?

Confir. ex praxi Eccleſiæ, quæ in ordinatione ſacerdotum dicit, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro vivis, & defunctis*.

Prob. denique. Nam antiqua ſacrificia erant ſatisfactoria pro remiſſione peccatorum; ergo & iſtud a fortiori: quia in eo eſt virtus antiquorum omnium, & quidem eminenter. Prob. ant. ex dictis de Juda Machabæo.

Confir. Nam per ſacrificium Miſſæ nobis applicantur merita ſacrificii crucis, ut patet ex Concil. & Patribus cit. ſed ſacrificium Crucis habet vim ſatisfactoriam, & remiſſivam pœnarum, ſicut & peccatorum; ergo & iſtud.

Prob.ult.p. de opere operato 1. ex Scoto. [3] *Probabile videtur, quod Miſſa non ſolum valet virtute meriti, ſive operis operantis, ſed etiam virtute ſacrificii, & operis operati, alioqui Miſſa mali ſacerdotis, qui in illo actu nihil mereretur perſonaliter, ſed demereretur, nulli valeret in Eccleſia; quod reputatur communiter inconveniens*.

Prob. 2. ex Concil. Trid. Nam ſicut ex virtute ſacrificii, quam habet ex inſtitutione divina, repræſentat, & applicat nobis merita, & valorem ſacrificii Crucis; ita & hanc virtutem habet ex eodem fonte, non vero ſolum dependenter ab homine.

Idem facit po immediata remiſſione; quia ex Scoto cit. ob iſtam repræſentationem, & applicationem efficaciæ Crucis, habet per conſequens vim placandi Deum, ut ejus intuitu remittat pœnas debitas pro peccatis.

Objic. 1. Defuncti non ſunt amplius in via, nec membra Eccleſiæ; ergo nullum ſacrificium, nec ullum Sacramentum eis prodeſt, ſaltem immediate, & ex opere operato.

Reſp.

[1] *Monog.* 10. [2] *de ver. Apoſt.* 2. [3] *Ibid. n.* 20

Reſp. diſt. ant. non ſunt in via abſolute quoad potentiam merendi per ſeipſos, vel demerendi, con. ſecundum quid, & quoad capacitatem accipiendi levamen ex orationibus, & operibus vivorum, neg. ant. Non enim ſunt in termino, ſed in via ad ſalutem, & uniti Eccleſiæ vinculo caritatis, & gratiæ. Nec eadem eſt ratio de Sacramentis, & de ſacrificio; illa proſunt ſolis ſuſcipientibus, qui ſunt capaces acquirendæ, vel augendæ gratiæ; iſtud, ſicut & opera vivorum ſunt applicabilia, & impetratoria, & ſatisfactoria pro aliis, etiam defunctis.

Objic. 1. Opera nec preces non proſunt mortuis niſi per modum impetrationis, & ſuffragii; ergo ſacrificium non prodeſt mortuis immediate, nec per ſe, & ex opere operato. Prob. ant. ex Concil. cit. *Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero altaris ſacrificio*; ergo &c.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nam ex verbis Concilii colligitur quidem juvari mortuos operibus vivorum per modum ſuffragii; ſed præterea hoc ſacrificium ſpecialem habet efficaciam, quæ non poteſt aliter intelligi, quam de immediata, & ex opere operato.

Objic. 3. Animæ defunctorum non ſunt capaces ſatisfaciendi, ſed ſatiſpatiendi; ergo nec poteſt eis applicari ſatisfactio, ſaltem ex opere operato.

Reſp. diſt. ant. ſatisfaciendi per ſeipſas, & active, con. paſſive, & per alios, neg. ant. Nam poſſunt eis applicari per Eccleſiam, & fideles vivos per merita Chriſti, & Sanctorum; & placuit Deo has ſatisfactiones acceptare.

Quæres, *an valeat applicatio ſacrificii hujus pro quibuſcumque vivis, etiam infidelibus*.

Reſp. affirmative, modò non ſint excommunicati nominatim: quia ſcriptura neminem excludit ex eorum numero, pro quibus debent fieri orationes, & ſacrificia. [1] *Orationes, obſecrationes, poſtulationes pro omnibus hominibus; hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Deo ſalutare noſtro.* Item, [2] *Omnis Pontifex pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis... quemadmodum pro popu-*

[1] *1.Tim.2.*
[2] *Hebr.5.*

populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis; ergo nullum excludit peccatorem. Et de facto Eccleſia orat pro infidelibus, & judæis perfidis &c. ut vides in die Veneris Sancti.

Dico, *ſi non ſint excommunicati nominatim:* nam cum iſtis non licet communicare, ut patet cap. *a nobis*, & cap. *ſacris* de ſentent. excom. Qui autem non ſunt denuntiati, ſed tolerati, ut hæretici citra montes, licet pro eis orare, ut convertantur, ut docet Concil. Baſileenſe, [1] & praxis Eccleſiæ.

Quæres 2. *an poſſit ſacerdos applicare valorem ſpecialem miſſæ, ut voluerit.*

Reſp. affirmative cum Scoto, [2] qui hoc probat 1. ex Auguſt. 2. ex congruentia. Nam, inquit, *in omnia bona politia ſemper eſt aliquis deſtinatus ad diſtribuenda bona communitatis, aut familiæ: ergo æque, imo & magis in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, debet eſſe miniſter aliquis, qui bonum virtute ſacrificii communicandum diſtribuat.* Nulli autem potius hoc debet competere, quam ſacerdoti ſacrificium facienti & offerenti.

QUÆSTIO VI.

De ſtipendio Miſſæ: An, & quomodo liceat ſacerdoti accipere ſtipendium aliquod pro celebratione Miſſæ.

PLura quæri ſolent ſub hoc titulo; ſed duo principaliter agitabimus. 1. an licitum ſit accipere ſtipendium aliquod temporale pro miſſa dicenda, cum hoc videatur ſimoniacum; ideoque Theologi non conveniunt de motivo, ſub quo id fieri poſſit ſine ſuſpicione ſimoniæ, qua pro re ſpirituali accipitur temporale, & viciſſim. 2. ad quem ſpectet illa Miſſæ applicatio, ut ſatisfiat obligationi celebrandi, vel applicandi valorem ſacrificii; an ad ſolum ſuperiorem apud Regulares, ita ut non valeat applicatio facta per ſubditum celebrantem, ſi fiat contra intentionem ſuperioris? Alia dubia breviter reſolventur.

CON-

[1] *ſeſſ.* 20. [2] *Ib. d. in.* 13.

CONCLUSIO I.

Sacerdos licite, & ſine labe ſimoniæ poteſt accipere ſtipendium temporale pro miſſis dicendis, ſi debita hoc faciat intentione. Eſt communiſſima.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sacerdos poteſt teneri ad dicendam Miſſam pro aliquo dupliciter. 1. ex liberali promiſſione. 2. ſtricta obligatione. Strictam obligationem non intelligo per conventionem legalem, ſive per commutationem ſpiritualis, ut orationis, pro temporali, ut eleemoſyna, quæ data eſt, quia illa videtur ſimoniaca .... ſed pro eleemoſyna liberaliter offerta cum mendicatione orationis, & recipiens eleemoſynam tenetur ſecundum juſtitiam, liberaliter tamen, ſc. ſine conventione, & commutatione obligare ſe ad orandum pro benefactore*, &c. Vides, qualiter Doctor ſubtilis admittat receptionem ſtipendii pro celebratione Miſſarum, & qua intentione id fiat, ut vitetur ſimonia.

Prob.2. ex praxi totius Eccleſiæ, quæ hucuſque, & ab omni ævo ſolet fidelium oblationes acceptare pro miſſis dicendis. Ideo Concil. Trid. [2] hortatur Epiſcopos, ut impediant *importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes*: Sed non damnat acceptationem ſtipendii, nec eleemoſynæ oblationem ſpontaneam.

Prob.3.ex Script. [3] *Qui altari deſerviunt, de altari participant. Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Scriptum eſt in lege Moyſi, non alligabis os bovi trituranti... ſi nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Igitur Sacerdos, qui ſervit altari celebrando Miſſas, & orans pro fidelibus, juſtum eſt, ut ſtipendia pauca recipiat pro ſuſtentatione.

In hoc nulla ſuſpicio ſimoniæ: quia nec fideles hæc largiuntur, nec Sacerdotes eadem recipiunt ut pretium ſacrificii, vel miniſterii ſpiritualis, ſed ut gratuitam retributionem, & pro miniſterio externo, ac temporali; &, ut loquitur Doctor, titulo elee-

[1] *Ibid.n.25.* [2] *ſeſſ. 22. dec.*
[3] *1.cor.9.*

eleemoſynæ, ac piæ largitionis, ſeu oblationis. Certe nulla eſt proportio nec de ipſo miniſterio ſpirituali, nec de ipſo Sacrificio, vel ejus fructu cum tam modica oblatione, imo nec cum ampliſſima, quæ poſſet offerri: nec ullus eſt fidelis, aut Sacerdos tam irreligioſus, qui vellet iſta in commercium adducere, quidquid oblatrent hæretici, vel impii chriſtianitatis irriſores.

Igitur hæc ſtipendia, & oblationes dantur quidem a fidelibus cum intentione, & quaſi pacto, ut ſibi, ac ſecundum ſuam intentionem applicetur fructus Miſſarum; & Sacerdos peccaret graviter contra juſtitiam, & fidelitatem, ſi non applicaret; ſed tamen non dantur, nec accipiuntur ut pretium pro bonis illis ſpiritualibus, ſed ad congruam ſuſtentationem, & ex aliis motivis pure temporalibus.

Objic. Si pro congrua ſuſtentatione poſſent accipi ſtipendia illa, peccarent ſacerdotes, qui aliunde habent ſuſtentationem, ut beneficiarii pingues; ſed hoc eſt contra praxim; ergo ratio ſuſtentationis non excuſat.

Reſp.neg.maj. Nam licet habeat aliunde, tamen non tenetur ſuſtentare ſe ex illis bonis; ſed juſtum eſt, ut ſuſtentetur ex oblatis, & acceptis pro labore, & miniſterio temporali, quod exhibetur in Miſſa.

CONCLUSIO II.

Sacerdos etiam Religioſus habet poteſtatem applicandi ſacrificium quibus voluerit; & applicatio per ipſum facta valet, licet id faciat contra intentionem ſuperioris; ſed tunc peccat graviter, maxime contra obedientiam. Eſt communior, & hanc docent noſtri PP. Gavatius, & Maſtrius: Poncius vero putat applicationem ſuperioris prævalere.

Prob.1.ex Scoto cit. [1] *Dico, quod in poteſtate ſacerdotis eſt aliquo modo applicare virtutem ſacrificii*, &c. Quod probat ex Auguſt. & ratione.

Prob.1.Sacerdos eſt diſpenſator myſteriorum Dei, & miniſter Chriſti; ſed officium diſpenſatoris eſt diſtribuere, & applicare bona Domini; ergo, &c. Prob. min. ex verbis Epiſcopi ordinantis: *Accipe poteſtatem offe-*

[1] *ibid.H.13.*

offerendi ſacrificium pro vivis, & defunctis. Per verba *offerendi* ſignificatur poteſtas conſecrandi, & celebrandi: per verba *pro vivis* ſignificatur facultas applicandi; ergo utraque poteſtas ſe tenet ex poteſtate ordinis.

Confirm. 1. Nam ſi ſacerdos confert alicui alia ſacramenta, quorum eſt miniſter idoneus, valide facit, licet contra voluntatem ſuperioris, vel contra ſuam obligationem; ergo ita eſt de applicatione hujus ſacrificii; quia iſtud non minus pendet ab ejus miniſterio, & ſacerdotio, quam illud, etiam nolente ſuperiore.

Confir. 2. Nam poteſtas ſacrificandi eſt quid majus facultate applicandi virtutem ſacrificii, quæ eſt tantum appendix ejus: nam qui ſacrificat debet ſcire pro quibus id facit; ſed poteſtas ſacrificandi non pendet a voluntate ſuperioris, ſed eſt actus ſacerdotii ex vi ordinationis; ergo & facultas applicandi.

Quod autem applicans contra debitum, aut contra voluntatem ſuperioris peccet graviter, & maxime cōtra obedientiam, patet; quia per votum obedientiæ renuntiavit propriæ voluntati, quam depoſuit in manibus ſui ſuperioris: peccat etiam contra juſtitiam, ſi hoc faciat contra obligationes Eccleſiæ, vel officii ſui; & tenetur ad reſtitutionem.

Objic. Religioſus propter votum non eſt dominus ſuæ voluntatis, cui totaliter renuntiavit in manibus ſuperioris ſui, ita ut non habeat velle, nec nolle, niſi cum dependentia ab illo; ergo non poteſt velle ſui ſacrificii fructum prodeſſe, niſi ei, quem deſignat Prælatus.

Reſp. diſt. conſ. non poteſt licite, conc. valide, neg. conſ. alioqui non poſſet peccare, niſi hoc volente Prælato, nec mereri. Sic ergo per votum renuntiavit propriæ voluntati, ut non poſſit licite velle, aut nolle contra voluntatem ſuperioris; ſed non impedit, quin ſi velit de ſe aliquid, hoc valide velit, aut nolit, ſaltem quoad imputationem.

Multa alia dubia huc pertinet quoad praxim applicationis, & celebrationis Miſſæ: ſed obvia ſunt apud Caſuiſtas. V. Maſtrium in ſua Morali.

Bonum eſt hic notare aliquot Decreta Pontificia circa materiam iſtam, quæ ſunt gravioris momenti.

1. Eſt-

1. Eſt Urbani VIII. *Sacerdotes, quibus diebus tenentur celebrare ratione beneficii, ſeu capellæ, legati, aut ſalarii, ſi eleemoſynas etiam pro aliis Miſſis celebrandis acceperint, non poſſunt eadem Miſſa utrique obligationi ſatisfacere*. Hoc notent beneficiarii.

2. Idem Papa [1] damnat eos, *qui ſuſcipiunt Miſſam celebrandam cum certa eleemoſyna; & eandem Miſſam alteri parte eleemoſynæ ſibi retenta celebrandam committunt*.

3. Sacra Congregatio iis, *quibus pro pluribus Miſſis etiam ejuſdem qualitatis celebrandis plura ſtipendia, quantumcunq; incongrua, & exigua ſive ab uno, ſive a pluribus perſonis collata fuerunt, aut conferentur in futurum ſacerdotibus, ſub obteſtatione Divini judicii mandat, & præcipit, ut abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerint; alioqui graviter peccant, & ad reſtitutionem tenentur*.

Conſtitutiones noſtræ Urbanæ [2] idem præcipiunt dicentes: *Eleemoſynæ ſi exiguæ fuerint, non recipiantur; alioquin exiguitate non obſtante ad ſatisfactionem, vel reſtitutionem penitus obligantur*.

4. Eadem Sacra Congregatio ſub Paulo V. prohibuit, *celebrari Miſſas anticipate pro iis, qui primi ſtipendia ſunt oblaturi*. Quod ſpecialiter prohibuit per reſcriptum ad ſuum Nuntium in Hiſpania, damnans talem praxim, *ut multis nominibus periculoſam, ſcandalis, & offenſionibus obnoxiam, & a vetere uſu Eccleſiæ abhorrentem*.

5. Item an. 1659. [3] damnat Scriptores docentes, *poſſe ſacerdotem poſt acceptum pro ſua Miſſa ſtipendium, aliud item acceptare pro ſpeciali ſacrificii parte, quæ ſibi tanquam miniſtro contingit*. Eodem recidit ſequens.

6. Alexander VII. [4] inter alias propoſitiones improbandas damnavit iſtam: *Duplicatum ſtipendium poteſt ſacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem ſpecialiſſimam fructus ipſi celebranti correſpondentem*, quod iam damnaverat Urbanus VIII.

Item & iſtam: *Poſt Decretum Urbani poteſt ſacer-* *dos*,

(1) *An.* 1623. (2) *cap.* 3. *tit.* 3.
(3) 25. *Jan.* (4) *An.* 1665.

dos, cui Miſſæ celebrandæ traduntur, per alium ſatisfacere, collato illi minori ſtipendio, alia parte ſtipendii ſibi retenta.

Item & iſtam: *Non eſt contra juſtitiam pro pluribus ſacrificiis ſtipendium accipere, & ſacrificium unum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam promiſſione etiam juramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

Ex talium propoſitionum cenſura facile ſolvuntur plura dubia, quæ circa hanc materiam proponuntur a Caſuiſtis. Doctor ſubtilis noſter ſolide præcipuas ſolvit toto quodlib. 20. & maxime quoad promiſſiones æquivocas, quibus putarent aliqui ſuas fraudes, & damnabilem avaritiam palliare.

Interim tractatui de admirabili Euchariſtiæ Sacramento, & Sacrificio finis eſto, ad majorem D.O.M. & M.D.P. & S.P.Franciſci, & Thomæ Apoſtoli gloriam, ſub judicio, & cenſura Sanctæ Matris Eccleſiæ. An. 1696.

Finis ſeptimi Tomi.

ANT 1317P01

Libri per Cavalli Messe: 4 7